

Officia propria diœcesis Aniciensis

Catholic Church

750

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS ANICIENSIS

A SS. D. N. PIO PAPA IX

APPROBATA ET CONCESSA

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. JOSEPHI AUGUSTI VICTORINI DE MORLHON

EPISCOPI ANICIENSIS.

EDITA.

PARS HIEMALIS.



PARISIIS

ADRIANUS LE CLERE ET SOC.,

SS. D. N. PAPÆ ET ARCHIEPISCOPATUS TYPOGRAPHI

VIA DICTA CASSETTE, 29.

1858

Adriano LE CLERE cum Sociis, SS. Domini Papæ, apud Parisienses, typographo *Proprium diœcesis Aniciensis*, quale fuit nuper a Sancta Sede approbatum, typis mandandum commisimus, Editionemque, PRO PARTE HIEMALI, diligenti examine perlectam cum textu authentico ad unguem concordare perspeximus, ideoque approbamus et in publicum prodire jubemus.

Datum Anicii, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, nec non Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo, die vero mensis Martii quarta.

✝ AUGUSTUS, *Episc. Aniciensis.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Episcopi.

Alirol, *Can. Secr.*

MONITUM.

Si alicubi remissum fuit ad paginam Breviarii, quod omnino cavimus extra necessitatem, pertinere debuit indicatio ad editionem paris formæ et ex iisdem typis ac Supplementum (1). Si alia editione uteris, scalpello indices paginam ejus propriam.

In his autem Propriis habes quæcumque concessa sunt a Sancta Sede Ecclesiæ Aniciensi, quo facilius ex unico Supplemento recitentur, et quibuscumque Breviarii editionibus possint accommodari.

(1) In hac forma in-12, referuntur numeri ad Edit. Parisien. MDCCCLV; ex officina Adriani Le Clere.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO AUGUSTO, EPISCOPO ANICIENSI

ANICIUM IN GALLIA

PIUS, PAPA, IX

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Summam certe voluptatem nobis attulere tuæ litteræ intimo eximiæ tuæ erga Nos et hanc Petri cathedram pietatis, amoris et observantiæ sensu exaratæ, quibus cum maximo tui animi gaudio significas sacram Romanæ Ecclesiæ Liturgiam a te in ista tua Diœcesi juxta nostra desideria fuisse restitutam. Atque ex iisdem litteris libentissime novimus quantam curam, industriamque adhibueris ut hæc res quæ tibi vel ab initio tui episcopatus tantopere cordi fuit ad optatum exitum adducere posses. Itaque de hac ipsa re tibi, venerabilis Frater, vehementer ex animo gratulamur, meritasque deferimus laudes. Quod autem attinet ad Proprium istius Diœceseos a te missum, scias velimus nostræ Sacrorum Rituum Congregationi statim nos commisisse ut illud ex more recognoscat, ac deinde, postquam res omnes ad nos detulerit, congruum tibi suo tempore det responsum. Ne intermittas vero, venerabilis Frater, pro egregia tua religione omnes ministerii tui partes majore usque alacritate et contentione sedulo implere, atque istius gregis saluti advigilare, et salutarem urgere talentorum negotiationem, quæ est de animabus Christo lucrandis. Denique pro certo habeas velimus præcipuam esse qua te in Domino prosequimur benevolentiam. Cujus quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem quam toto cordis affectu tibi ipsi, venerabilis Frater, et gregi tuæ curæ concredito peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 27 Aprilis anno 1857, Pontificatus nostri anno undecimo.

PIUS PP. IX.

ANICIEN.

Reverendissimo Domino Josepho Augusto Victorino de MORLHON, Episcopo Anicien. de redintegranda in sua Diœcesi Liturgia sanctæ Romanæ Ecclesiæ apprime sollicito nihil fuit antiquius quam in pervetusta Ecclesiastici cultus possessione servare Cœlites illos, quos sibi commissi fideles singulari semper pietate prosequi, ac veluti peculiares apud Deum patronos venerari consueverunt. Collatis quocirca cum suæ Cathedralis Capitulo consiliis, qua par est religione ac sedulitate, studuit ut in Kalendario perpetuo eorumdem nomina pristinam honorificam sedem retinerent, in Martyrologio propriis elogiis eorum festa distinguerentur, ac tandem Officia et Missæ in eorum honorem a clero Aniciensi persolvenda e probatis fontibus desumerentur. Postquam hæc omnia præstitit Episcopus orator, gnarus privativo pari Sanctæ Sedis Apostolicæ reservari quidquid Ecclesiasticam Liturgiam respicit, ne in negotio gravissimo quidquam auctoritate sua ordinaria decernere videretur, pro ea qua præstat erga eamdem Sedem Apostolicam pietate ac filiali obsequio, a se concinnatum manuscriptum complectens Kalendarium perpetuum, additamenta ad Martyrologium Romanum, ac Proprium Officiorum atque Missarum

ad usum Cleri Diœcesis suæ sanctissimo Domino nostro Pio Papæ IX exhibuit supplicibus additis ut eadem approbare cleroque Aniciensi concedere dignaretur.

Ejusmodi itaque manuscripti examen juxta receptum morem commissum cum fuerit Sacrorum Rituum Congregationi, hæc, singulis accurate perpensis, integrum opus illud probari posse censuit, attamen sub modo et forma suis apte locis in eodem manuscripto a se adnotatis.

Quæ singula subscriptus Secretarius eidem sanctissimo Domino nostro exponens, Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis ratam habuit, ac supradicta Kalendarium perpetuum, additamenta ad Martyrologium Romanum, Propriumque Officiorum atque Missarum ad usum Cleri Diœcesis Aniciensis suprema auctoritate sua ita approbavit, ut deinceps idem Clerus Aniciensis juxta ipsa, servatis ad unguem observationibus, correctionibus, aliisque cura Sacræ Congregationis in manuscripti margine adnotatis, Horas Canonicas juxta Ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ rite persolvere et sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare debeat, injuncto onere Episcopo oratori, ut, postquam omnia, uti superiori in exemplari prostant, fuerint typis mandata, duplex authenticum exemplar ad Sacrorum Rituum Congregationem transmittat; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Septembris 1857.

P. Episcopus Albanensis Cardin. PATRIZI,
S. R. C. Præfectus.

H. CAPALTI, S. R. C. Secretarius.

Locus ✝ Sigilli.

JOSEPHUS AUGUSTUS VICTORINUS DE MORLHON, Dei gratia et Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, Episcopus Aniciensis, Clero et Fidelibus universis nostræ Diœcesis, Salutem in Domino.

Apprime nostis, Dilectissimi, et in Synodo nostra Diœcesana summa cum spiritus voluptate promulgatum audistis decretum DE UNITATE LITURGIÆ INDUCENDA, editum Claromonti in concilio hujusce Bituricensis provinciæ, anno salutis MDCCCL habito et a Sancta Sede approbato.

« Liturgiæ, quæ in provinciam nostram inducta est, varietati mederi, » et periculosissimæ commutandi libros Liturgicos facilitati obviam ire solli- » citi, nec non et Constitutionibus immortalis memoriæ S. Pii, Papæ V, » prorsus obsequi, et quod in votis est sanctissimo ipsius successori Domino » nostro Pio, Papæ IX, corde toto adimplere sic iteratum amantissimo Patri » et pietatis testimonium et solamen et gaudium allaturi, sanctæ Romanæ » Ecclesiæ Liturgiam antiquitate, stabilitate et universalitate venerabilem, » Apostolica auctoritate sacram, quam citissime et in perpetuum suscipiendam » statuimus. » (*Concil. Bit.*, *tit.* IV, *de Cult. div.*, *decr.* II.)

Cui piissimo et sapientissimo decreto, quantum datum fuit ex circumstantiis, obtemperare properantes, curavimus ope et consiliis venerabilis Ecclesiæ nostræ cathedralis Capituli nec non et plurium aliorum virorum sapientia et doctrina conspicuorum ac studio rerum Liturgicarum incumbentium seligere et ordinare Festa, Officia aliaque hujusce Ecclesiæ Aniciensis Propria, quæ Sanctæ Sedis probationi et supremæ auctoritati suppliciter subjiceremus. His autem demum a SS. Domino nostro Pio,

Papa, IX, approbatis et benignissime concessis, et ad nos remissis cum adnotationibus et correctionibus a Sacra Rituum Congregatione accuratissime appositis, quid jam prohibere potest quin tandem a rivulo ad fontem redeamus, a surculo ad arborem, a ritibus peculiaribus et recens apud nos ortis ad Liturgiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum parentis et magistræ?

Notum igitur vobis facimus, Dilectissimi, quod a Dominica prima Adventus anni proxime occurrentis MDCCCLVIII, prælaudatum decretum plenam suam vim apud nos sit habiturum, ac proinde jam in tota nostra Diœcesi nullum amplius Breviarium, nullum Missale nullosque alios libros Rituales adhibere licebit, in quocumque Officio sive privato sive publico, tum in celebratione Missæ, tum in Horis persolvendis aut aliis quibuscumque ad cultum divinum pertinentibus, nisi tantum Breviarium, Missale et libros Rituales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum hoc nostro Supplemento Aniciensi Apostolica auctoritate approbato et firmato; quæ si debito cum honore, dignaque pietatis obedientia susceperitis ac fideliter observaveritis, ut certa spe de piissimo hujusce Marianæ Diœcesis Clero confidimus, non modicum et vobis proficietis et Ecclesiæ Dei.

In cujus pignus, Dilectissimi, scire gaudeatis, ad preces nostras a Benignissimo nostro Pio Papa IX, diebus III Maii 1857 et XVIII Februarii 1858 concessam fuisse, in memoriam restauratæ apud nos S. Liturgiæ Romanæ, indulgentiam plenariam singulis sacerdotibus nostræ Diœcesis, ac Seminarii nostri majoris alumnis in perpetuum lucrandam in unoquoque anniversario cujuslibet suæ ordinationis, ac promotionis ad Tonsuram, sub conditione recitationis semel in die, per triduum præparatorium, Psalm. *Miserere mei*, et Hymni *Veni, Creator.*

Datum Anicii, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, nec non Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo, die vero mensis Februarii vigesima septima.

† AUGUSTUS, *Episc. Aniciensis.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Episcopi.

ALIROL, *Can. Secr.*

IMPERII GALLIARUM.

Quod Apostolus in prima ad Timotheum Epistola non hortatur solum, sed obsecrat, ut orationes, postulationes, gratiarum actiones fiant pro Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ad quietam et tranquillam vitam in omni pietate et castitate agendam; id summus Pontifex Clemens XIII religiose adeo fideliterque retinuisse Ecclesiam Catholicam docet, ut omnipotente Deo, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt, sublimiores potestates ipsa non commendaverit modo, verum etiam propria quarumdam nomina infra Missæ actionem sacris in diptychis recitari permiserit, earumque regionum consuetudines nunquam improbaverit, in quibus id more antiquissimo receptum fuisse constaret, dummodo de Regibus ageretur qui spiritum unitatis in vinculo

pacis cum Ecclesia Romana servarent. (Clemens XIII in Brevi 5 Maii 1761, ad Imperatricem Mariam Theresam et in Litteris Encyclicis diei 6 ejusdem mensis ad omnes Austriacæ ditionis Episcopos.)

Cum itaque Galliarum Imperator NAPOLEON III, per suum in urbe legatum huic Sanctæ Apostolicæ Sedi exponi nuper fecerit, consuetudinem hanc nominandi Supremum Imperantem in Missæ Canone a vetustissimo tempore, cujus originis memoria non est, in Galliis obtinuisse, moremque præterea antiquitus introductum ibidem vigere pro eodem Supremo Imperante singulares preces addendi, tum in Missis solemnioribus per annum, necnon in Missa Præsanctificatorum, Feria VI in Parasceve; tum in præconio Paschali, die Sabbati Sancti, atque in Litaniis Sanctorum, cupiensque pios hujusmodi usus in toto Galliarum imperio custodiri, et Apostolica accedente Auctoritate omnimodam firmitatem accipere, cum supplicia hac de re vota sua per eumdem legatum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX fecerit exhiberi, Sanctitas Sua, post maturam deliberationem Romanorum Pontificum decessorum suorum vestigia premens, qui supremos magnarum gentium principes, Romanæ Divi Petri Cathedræ communionis vinculo sociatos, similibus identidem non dubitarent cohonestare privilegiis, istiusmodi votis benigne censuit annuendum, præfatosque usus, quibuscumque contrariis minime obstantibus, ratos habuit, et confirmavit atque in omnibus et singulis Diœcesibus intra fines Gallicis Imperii constitutivis servari præcepit.

Memor autem, quæ in Ecclesia fiunt, omnia et Apostolico præcepto (*I Cor.* XIV, 40), honeste et secundum ordinem fieri oportere, prænotatas pro Supremo Principe preces ita in omnibus Galliarum Ecclesiis recitare voluit, ut una eademque sit ubivis usurpanda methodus servatis ad unguem præcriptionibus quæ sequuntur.

I. In Missæ Canone nomen Imperatoris adjiciatur, hac adhibita formula, *Et pro Imperatore nostro N.*, quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi Diœcesani.

II. In Missis solemnibus per annum, expleta Antiphona quæ dicitur Communio, semel (1) cantabitur Versiculus : « Dómine, salvum fac Imperatórem nostrum (2), et exáudi nos in die qua invocavérimus te. » Recitatis deinde Orationibus Postcommunionis, illarum postremæ addetur, sub unica conclusione, sequens Collecta :

« Quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Imperátor noster N., qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium suscípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum. »

. . . .
. . . . (3)

Die 10 Septembris 1857.

C. Episcopus Albanens., Card. PATRIZI,
S. R. C. Præfectus.

Locus ✝ sigilli

H. CAPALTI, S. R. C. Secr.

(1) Semel a clero et semel a populo. — Ex RESP. S. R. C, 17 sept. 1857.

(2) Adjuncto nomine proprio. — Ex EAD RESP.

(3) Cætera pars decreti, cum præscribat preces ad tempora paschalia pertinentes, in parte Verna opportunius referetur.

CONCORDANTIA
SUPPLEMENTI ANICIENSIS
CUM
KALENDARIO ROMANO.

PARS HIEMALIS.

Propria Supplementi Aniciensis distinguuntur caractere italico et asterisco.

NOVEMBER.

27
28
29 Vigilia et Com. S. Saturnini, Ep. et Mart.
30 S. ANDREÆ APOST., *dupl. 2 clas.*

DECEMBER.

1 * *LIBERATIONIS URBIS ANICIENSIS AB HÆRETICIS, dupl. maj.*
2 S. Bibianæ, Virg. et Mart., *semid.*
3 S. Francisci Xaverii, Conf., *dupl.*
4 S. Petri Chrysologi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*, *Comm.* S. Barbaræ, Virg. et Mart.
5 *Commem.* S. Sabbæ, Abb.
6 S. Nicolai, Ep. et Conf., *dupl.*
7 S. Ambrosii, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
8 CONCEPTIO IMMACULATA B. M. V., *dupl. 2 clas.* cum Oct.
9 De Oct.
10 * *TRANSLATIO ALMÆ DOMUS LAURETANÆ, dupl. maj., Comm.* S. Melchiadis, Papæ et Mart.
11 S. Damasi, Papæ et Conf., *semid., Comm.* Oct.
12 De Oct.
13 S. Luciæ, Virg. et Mart., *dupl., Comm.* Oct.
14 De Oct.
15 Octava Conceptionis Immaculatæ, *dupl.*
16 S. Eusebii, Ep. et Mart., *semid.*
17 * *S. Lazari, Christi discipuli, Ep. Massil. et Mart., dupl.*
18 * *EXPECTATIO PARTUS B. M. V., dupl. maj.*
19
20 Vigilia.
21 S. THOMÆ APOST., *dupl. 2 clas.*
22 * *Translatio Reliquiarum S. Georgii Vellavorum Ecclesiæ fundatoris et protopræsulis, dupl.*
23
24 Vigilia.

25 NATIVITAS D. N. J. C., *dupl. 1 clas.* cum Oct.
26 S. STEPHANI PROTOMART., *dupl. 2 clas., Comm. * Omn. SS. Mart. et* Oct.
27 S. JOANNIS, APOST. ET EVANG., *dupl. 2 cl., Comm.* Octavarum.
28 SS. Innocentium, *dupl. 2 clas., Comm.* Oct.
29 S. Thomæ Cantuariensis, Ep. et Mart., *semid., Comm.* Oct.
30 De Dom. infra Oct. Nativ. vel de Oct., *semid., Comm.* aliarum Oct.
31 S. Silvestri, Papæ et Conf., *dupl., Comm.* Oct.

JANUARIUS.

1 CIRCUMCISIO DOMINI, *dupl. 2 clas.*
2 Oct. S. Stephani, *dupl.*
3 Oct. S. Joannis Apost., *dupl.*
4 Oct. SS. Innocentium, *dupl.*
5 Vigil. Epiphaniæ, *semid., Comm.* S. Telesphori, Papæ et Mart.
6 EPIPHANIA DOMINI, *dupl. 1 clas.*
7 De Oct. Epiph.
8 De Oct.
9 De Oct.
10 De Oct.
11 De Oct., *Comm.* S. Hygini, Papæ et Mart.
12 De Oct.
13 Octav. Epiph., *dupl.*
14 S. Hilarii, Ep., Conf. et Doct., *dupl., Comm.* S. Felicis, Presb. et Mart.
15 S. Pauli, primi Erem., *dupl., Comm.* S. Mauri, Abb.
16 S. Marcelli, Papæ et Mart., *semid.*
17 S. Antonii, Abb., *dupl.*
18 CATHEDRA S. PETRI ROMÆ, *dupl. maj., Comm.* S. Priscæ, Virg. et Mart.
19 S. Canuti, Reg. et Mart., *semid. ad libit., Comm.* SS. Marii, etc.
20 S. Sebastiani, Mart., *dupl. maj.*
21 S. Agnetis, Virg. et Mart., *dupl.*
22 SS. Vincentii et Anastasii, Mart., *semid.*
23 * *DESPONSATIO B. M. V., dupl. maj., Com. S. Josephi et* S. Emerentianæ, Virg. et Mart.
24 S. Timothei, Ep. et Mart., *dupl.*
25 Conversio S. Pauli, Apost., *dupl. maj.*
26 S. Polycarpi, Ep. et Mart., *dupl.*
27 S. Joannis Chrysostomi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
28 S. Agnetis, *secundo.*
29 S. Francisci Salesii, Ep. et Conf., *dupl.*
30 S. Martinæ, Virg. et Mart., *semid.*
31 S. Petri Nolasci, Conf., *dupl.*

Dom. II. post Epiph. FESTUM SS. NOMINIS JESU, *dupl. 2 clas.*

* Ultima Dominica post Epiph. *FESTUM PURISSIMI CORDIS B. M. V., dupl. maj. reponendum prima die libera, si non possit fieri de eo in illa Dominica.*

* Feria III post Dom. Septuag. *FESTUM ORATIONIS D. N. J. C. IN MONTE OLIVETI, dupl. maj.*

*Feria III. post Dom. Sexag. *COMM. SS. PASSIONIS D. N. J. C., dupl. maj.*

FEBRUARIUS.

1 * *S. AGRIPPANI, Ep. et Mart., dupl. maj.*
2 PURIFICATIO B. M. V., *dupl. 2 clas., * cum Oct.*
3 * *De Octava. Comm.* S. Blasii, Ep. et Mart.
4 * *B. Joannæ Valesiæ, Reg. Vid., dupl., Comm. Oct.*
5 S. Agathæ, Virg. et Mart., *dupl., * Comm. Oct.*
6 * *S. Odilonis, Abb., dupl. (e die 1 Jan.), Com. Oct.* et S. Dorotheæ, Virg. et Mart.
7 S. Romualdi, Abb., *dupl. * Comm. Oct.*
8 S. Joannis de Matha, *dupl., * Comm. Oct.*
9 * *Octava Purificationis B. M. V., dupl., Com.* S. Apolloniæ, Virg. et Mart.
10 S. Scholasticæ, Virg., *dupl.*
11 S. Titi, Ep. et Conf., *dupl. (e die 4 Jan.)*
12 S. Fabiani, Papæ et Mart., *dupl. (e die 20 Januarii).*
13 S. Ignatii. Ep. et Mart., *dupl. (e die 1 hujus).*
14 * *S. Pauliani. Ep. et Conf., dupl., Comm.* S. Valentini, Presb.
15 S. Andreæ Corsini, Ep. et Conf., *(e die 4 hujus). Comm.* SS. Faustini et Jovitæ, Mart.
16 S. Raymundi de Pennafort, Conf., *semid. (e die 23 Januarii).*
17
18 S. Simeonis, Episc. et Mart.
19
20
21
22 CATHEDRA S. PETRI ANTIOCHIÆ, *dupl. maj.*
23 S. Petri Damiani, Ep., Conf. et Doct., *dupl., Comm.* Vigiliæ.
24 S. MATHIÆ, APOST., *dupl. 2 clas.*
25
26
27
28

* Feria VI. post Cineres. *FESTUM S. CORONÆ SPINEÆ D. N. J. C., dupl. maj.*

In anno bissextili festum S. Mathiæ celebratur die 25.

MARTIUS.

1
2
3
4 S. Casimiri, Conf., *semid., Comm.* S. Lucii, Papæ et Mart.
5
6 * *S. Coletæ, Virg., dupl.*
7 S. Thomæ de Aquino, Conf. et Doct., *dupl., Comm.* SS. Felicitatis et Perpetuæ, Mart.
8 S. Joannis de Deo, Conf., *dupl.*
9 S. Franciscæ, Viduæ, *dupl.*
10 SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*

APPENDIX

AD

MARTYROLOGIUM ROMANUM

PRO

ECCLESIA ANICIENSI.

¶ In Martyrologio urbs Aniciensis appellatur PODIUM SANCTÆ MARIÆ, IN GALLIA, quia sicut ex Bulla, *Si pastores ovium*, S. Leonis, Papæ, IX, est ejus vulgare nomen, ita et gloriosissimum.

In primis enim temporibus Ecclesia Aniciensis dicebatur VELLAVORUM seu VELAUNORUM; quippe cujus regionis incolæ a Julio Cæsare, in *Commentariorum* lib. XII, et a S. Gregorio Turonensi, *Hist.*, lib. X, c. 27, appellantur VELLAVI, Velauni, unde nomen provinciæ Galliæ LE VELAY. Postea dicta fuit Aniciensis ex Monte Anicio gallice Anis, in quem desinente quinto sæculo sedem Cathedralem transtulit S. Evodius ab urbe Vetula jam *S. Pauliani* cognominata. Dicitur etiam tertio ecclesia PODIENSIS S. MARIÆ, ex voce celtica PODIUM seu Mons, quasi per antonomasim diceretur Mons Mariæ consecratus. Quarto tandem dicta fuit aliquando Diœcesis B. Mariæ seu Mariana, quia ab initio beatissimam Deiparam præcipuo honore prosequitur et ab ipsa prædilectionis indicia accipere non desiit, ut apertissime probant authentica plura Sedis apostolicæ testimonia.

DECEMBER.

DIE I. Kaléndis Decémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, solemnitas Liberationis ab hæreticis aliisque divinæ vindictæ flagellis.

DIE XVII. OMNIA UT IN MART. ROMANO SED PRÆMISSO ELOGIO S. LAZARI.

DIE XVIII. Quinto décimo Kaléndas Januárii, Luna *N.*
Festum Expectationis Partus B. M. V.

DIE XXII. Undécimo Kaléndas Januárii, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Translatio sancti Georgii, Episcopi, Ecclesiæ Vellavorum fundatoris, ab urbe Vetula in Podiensem, desinente sæculo nono, ubi mox ampla ædificata est Ecclesia quam suis reliquiis et nomine insignivit.

DIE XXVI. Séptimo Kaléndas Januárii, Luna *N.*
Hierósolymis, natális sancti Stéphani Protomártyris, qui a Judæis non longe post Ascensiónem Dómini lapidátus est. *In Gallia, Commemoratio omnium sanctorum Martyrum.*

JANUARIUS.

DIE XXIII. Décimo Kaléndas Februárii, Luna *N.*
Hierosolymis, Desponsatio B. M. V. Virginis cum sancto Joseph.

DOMINICA ULTIMA POST EPIPHANIAM aut si impediatur, prima libera die post eam : (Kal. *N.*, Lun. *N.*)
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Festum purissimi Cordis B. M. V.

FERIA III POST DOM. SEPTUAGESIMÆ : (Kal. *N.*, Lun. *N.*)
Festum Orationis D. N. J. C.

FERIA III POST. DOM. SEXAGESIMÆ : (Kal. *N.*, Lun. *N.*)
Festum Commemorationis Passionis Domini.

FEBRUARIUS.

DIE I. Kaléndis Februárii, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, sancti Agrippani Vellavorum Episcopi et Martyris, qui, cum visitasset Limina Apostolorum et inde ad ovile se reciperet, vigesimo fere ab urbe sua milliario, a Paganis quos arguebat, decollatus est cum Ursicino famulo suo.

DIE IV. Prídie Nonas Februárii, Luna *N.*
Apud Bituricas, beatæ Joannæ Valesiæ, quæ, cum regum Franciæ filia et uxor, regiæ dignitati, Deo providente, valedixisset, Moniales Annuntiationis, sub regula decem virtutum beatissimæ Virginis, instituit, Sociarum exemplar et pauperum mater munificentissima.

DIE VI. Octávo Idus Februárii, Luna *N.*
Sancti Odilonis, Abbatis, de quo agitur Kalendas Januarii.

DIE IX. Quinto Idus Februárii, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Octava Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

DIE XI. Tértio Idus Februárii, Luna *N.*
Sancti Titi, Episcopi et Confessoris, de quo agitur pridie Nonas Januarii.

DIE XII. Prídie Idus Februárii, Luna *N.*
Sancti Fabiani, Papæ et Martyris, de quo agitur tertio decima Kalendas Februarii.

DIE XIII. Idus Februárii, Luna *N.*
Sancti Ignatii, Episcopi et Martyris, de quo agitur Kalendas Februarii.

DIE XIV. Sexto décimo Kaléndas Mártii, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Natale sancti Pauliani, Vellavorum Episcopi, qui idolorum cultu in hac regione ferme deleto, eximiæ pietatis fama suavissimæ memoriæ nomen reliquit.

DIE XV. Quinto décimo Kaléndas Mártii, Luna *N.*
Sancti Andreæ Corsini, Episcopi et Confessoris, de cujus natali agitur pridie Nonas Februarii.

FERIA VI. POST CINERES : (Kal. *N.*, Lun. *N.*)
Festum S. spineæ Coronæ D. N. J. C.

MARTIUS.

DIE VI. Prídie Nonas Mártii, Luna *N.*
Apud Gandavum in Flandria, sanctæ Coletæ, Virginis, quæ primum Tertii Ordinis regulam professa, deinde divino Spiritu afflata, quam plura monialium secundi Ordinis monasteria primævæ disciplinæ restituit, atque divinis exornata virtutibus, innumeris claruit miraculis, a Pio Septimo, Pontifice Maximo, in Albo sanctorum adscripta.

¶ In Indulto Apostolico, 10 Sept. 1857, concedere dignatus est sanctissimus Dominus, ut Festa affixa quibusdam certis Dominicis vel Feriis transferri queant ad primos insequentes dies liberos, quoties juxta decreta designatæ sedes impeditæ occurrerint; modo tamen officia instrumentorum et mysteriorum Dominicæ Passionis a Feria III post Septuagesimam, in Quadragesima quibusdam determinatis Feriis affixa, non transferantur ultra Quadragesimam.

¶ *Matutinum inchoari potest pro die sequenti, juxta Tabulam Romæ editam ad horologium gallicum accommodatam :*

		P. H.
Die 20	Januarii, hora	2 cum quadrante.
13	Februarii.	2 cum dimidia.
1	Martii.	2 cum tribus quadrantibus.
18	Martii.	3.
18	Novembris.	2 cum quadrante.
15	Decembris.	2.

Si qui autem, ex Ecclesiasticis viris Diœcesis Aniciensis, gravi legitimaque de causa impediantur quominus, in privata recitatione Breviarii Romani, horam a Rubricis præscriptam adamussim expectent, concedere dignatus est SS. Dominus in eodem indulto ac supra, Episcopo Aniciensi ut eos dispensare possit, quatenus anticipare valeant Matutinum cum Laudibus ad Horam secundam pomeridianam, ***sub his tamen conditionibus a*** Sua Sanctitate ***expresse et*** absolute requisitis, ***nempe quod non concedatur dispensatio hæc*** nisi sigillatim postulantibus et justam causam proferentibus, ***et qui hanc dispensationem obtinuerint*** ea non utantur, nisi eadem justa persistente causa.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS ANICIENSIS

PARS HIEMALIS.

FESTA FIXA

CERTIS DIEBUS MENSIS.

MENSE DECEMBRI.

NOTA GENERALIS. — *In Festis intra Adventum occurrentibus addenda erit comm. Feriæ, tam in Laudibus quam in Vesperis.*

DIE I.

IN SOLEMNITATE LIBERATIONIS

URBIS ANICIENSIS AB HÆRETICIS.

Duplex majus.

AD I VESPERAS.

Ant. de Laudibus; Psalmi ut in Fest. B. M. V., p. cxlvij.

Capit. Mulíerem fortem, *ut infra in Laudibus.*

HYMNUS.

Reginæ mundi prælia,
Trophæa matris vírginis,
Nostra canant encómia,
Ad summi laudem Núminis.
O Mater admirábilis,
Velut castra, fulmínibus
Armáta, formidábilis
Tartáreis cohórtibus.
Tu monstrum ab orígine
Cunctis innátum méntibus
In ipso vitæ límine,
Tuis concúlcas pédibus.
Carnem, mundum et Sátanam
Triúmphi tui glóriæ
Et vastam orbis máchinam
Tuæ subdis poténtiæ.
Per te Judæos, Ethnicos
Debellávit Ecclésia;
Per te fugat Hæréticos
Et monstra vincit ómnia.
Terra, pontus et flúmina
Tuo gaudent obséquio:
Ignis, aer et fúlmina
Tuo parent império.
O dux sacræ milítiæ,
Serpéntis regnum díssipa;
Ut summæ regis glóriæ
Cuncta flectántur génua.
Præsta, Jesu, sub pédibus
Nostris calcári Zábulum;
Ut in tuórum córdibus
Regnes per omne sæculum.
Amen.

¶ *Sic terminat. Hymn. ad Completorium.*

℣. Una múlier Hebræa
℟. Confusiónem fecit in domo príncipis tenebrárum.

Ad Magnif. Ant. Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio, ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invit. Victórias Maríæ Vírginis celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte, exultémus, *p.* 2.

HYMNUS.

Pange, lingua, Deíparæ
Celebránda certámina:
Et triúmphos Christíferæ
Nostra colláudent cármina.

Iram treméndi Núminis
Accéndunt mundi scélera,
Sed hanc Maríæ Vírginis
Vincunt matérna víscera.

O Virgo sole clárior,
Quam sæpe mortis víncula
Solvísti morte fórtior
Cuncta proclámant sæcula.

Tu morbos insanábiles,
Salus ægrórum, súperas:
Ærúmnas implacábiles,
Spes miserórum, díssipas.

Tu surdis aures áperis,
Cæcos ad lumen révocas,
Mutis vocem restítuis,
Et claudis gressum réparas.

Per te mentes Christícolum
Terréna spérnunt gáudia;
Per te malígnum sæculum
Et orci vincunt ágmina.

Te propugnánte, fúgiunt
Cuncta malórum génera;
Te favénte, profíciunt
Diléctis tuis ómnia.

Præsta, Jesu, sub pédibus
Nostris calcári Zábulum:
Ut in tuórum córdibus
Regnes per omne sæculum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Admirábile nomen tuum, o Dómine Jesu, in sanctíssima Matre tua, quia in manu ejus destruxísti inimícum et ultórem.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. In omnem terram éxeat laus victoriárum Maríæ; et glóriam triumphórum ejus cœli enárrent in ætérnum.

Ant. Tu, Dómina virtútum; tu, regína glóriæ; tu fortis et potens in prælio fecísti victóriam.

℣. Una múlier Hebræa
℟. Confusiónem fecit in domo príncipis tenebrárum.

De libro Genésis. *Cap.* 3.

LECTIO I.

Vocavit Dóminus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso; et tímui, eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam: Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem;

Quare hoc fecísti? Quæ respóndit : Serpens decépit me, et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem : Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, et béstias terræ : super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non déserit sperántes in se. * Respéxit humilitátem ancíllæ suæ, et interfécit in manu mea hostem pópuli sui. ℣. Grátias Deo, qui dedit tibi victóriam, per diléctum Fílium suum, et tuum. Respéxit.

De Cánticis Canticórum. *C.* 6.

LECTIO II.

Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ et beatíssimam prædicavérunt; regínæ et concubínæ, et laudavérunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. Benedícta es tu, o María, a Dómino et benedíctus Dóminus, qui per te confrégit inimícos nostros. * Et nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum in ætérnum. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum, qui fecit poténtiam in bráchio suo. Et nomen.

De libro Ecclesiástici. *Cap.* 24.

LECTIO III.

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis hábito et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi; in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti; et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui; et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi.

℟. Veni, sponsa mea, veni de Líbano : * Tu legítime certásti, et glorióse superásti omnes inimícos meos; veni, coronáberis. ℣. Non manus mea, sed Dóminus fecit hæc ómnia; ipsi glória in sæcula. Tu legítime. Glória Patri. Tu legítime.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Sagíttæ tuæ, o María, acútæ in corda inimicórum regis : pópuli sub te cadent.

Ant. Veníte et vidéte prodí-

gia, quæ per manus vírginis fecit Dóminus : caput et arma dracónis confrégit usque ad finem terræ.

Ant. Gloriósa dicta sunt de te, o Mater Dei, quia super áspidem et basilíscum ambulásti : et conculcásti leónem et dracónem.

℣. Elégit Maríam Dóminus ab ætérno. ℟. Ut in ea contéreret hostem pópuli sui.

LECTIO IV.

Gloriosissimæ Vírginis Maríæ cultus cum ipsa in Christum fide ubíque primum suscépta, succedéntibus sæculis, novis cláruit increméntis. Cum autem beatíssima Virgo, in locis sibi dicátis præcípue, poténtiæ suæ mirácula osténderet, singuláres omníno tantæ protectiónis sensit efféctus Aniciénsis cívitas quæ se totam Maríæ dicátam semper gloriáta est; pestiléntiam non semel ope Dei genitrícis depúlsam, plúviam obténtam, ægros sanátos aliáque innúmera benefícia concéssa testántur tum festa et supplicatiónes quæ quotánnis solémniter celebrántur, tum instruménta in históriis sincéris consignáta, et ad nos usque transmíssa.

℟. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : * Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, eo quod castitátem amáveris. ℣. Manus Dómini confortávit me : et ídeo beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecísti.

LECTIO V.

Cæsis in pugna Pictaviénsi Saracénis, cum illórum pars non mínima per Diœcésim Aniciénsem cuncta devástans pertransíret, protegénte María, nihil detriménti ab hóstibus christiáni nóminis passa est urbs Aniciénsis. Hoc éadem cívitas benefício patrónæ debet, quod avítæ fídei tenax, ab hæreticórum Calvinianórum, qui Hálliam fere totam, vicínas præsértim civitátes et províncias inféceerat labe semper fuit illæsa, ita ut nulla unquam família hujúsmodi heterodoxórum in urbe fúerit admíssa. Sæpius ab hæréticis tentáta et oppugnáta, María favénte, semper invícta remánsit.

℟. Cértamen forte dedit tibi Dóminus, o Regína, ut vínceres : * Et quóniam vicísti, dedit tibi potestátem super gentes, et exaltávit te super omnes choros Angelórum. ℣. Revocávit me gaudéntem in victória sua, in evasióne mea et in liberatióne vestra. Et quóniam.

LECTIO VI.

Anno supra millésimum quingentésimo sexagésimo, decem míllia hæreticórum, diréptis subúrbiis pluribúsque evérsis ecclésiis ac cœnóbiis, urbem arcta ubíque obsidióne

cinxérunt. At quinque post diébus fúgere cogúntur, quod non sine cœlésti auxílio et ope Dei genitrícis contigísse créditur. At illa præsértim Maríæ de hæréticis memoránda victória quæ áccidit vigínti tribus annis post eam quam modo retúlimus. Illi quippe noctu civitátem ex improvíso aggrediéntes, admóto ad unam ex portis torménto béllico, fores effríngere tentábant, cum ecce súbito terróre corrépti in fugam convertúntur némine persequénte. Ut autem tam insígnium beneficiórum nunquam intéreat memória, hodiérnam solemnitátem quotánnis grata religióne célebrat Ecclésia Aniciénsis.

℟. Glorió, dicta sunt de te, o María Regína cœli, Dómina mundi : * Quia ex te natus, et tibi súbditus est Rex regum et Dóminus dominántium. ℣. Super áspidem et basilíscum ambulásti et conculcásti leónem et dracónem. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Gaude, María Virgo, quia data est tibi potéstas calcándi super omnem virtútem inimíci et omnem languórem et infirmitátem curándi.

Ant. Bonum certámen certávi : ídeo data est mihi coróna justítiæ quæ est super omnes corónas cívium supernórum.

Ant. O Mater admirábilis, ex te natus et tibi súbditus est Deus : super áspidem et basilíscum ambulásti et conculcásti leónem et dracónem.

℣. Domináta est in médio inimicórum suórum. ℟. Pósuit eos Dóminus scabéllum pedum ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi, abbátis.

Ex Hom. 2., *super* Missus est.

Missus est, inquit, Angelus ad Vírginem, vírginem carne, vírginem mente, vírginem professióne, vírginem dénique qualem déscribit Apóstolus mente et córpore sanctam; nec nóviter, nec fortuíto invéntam, sed a sæculo eléctam, ab Altíssimo præcógnitam et sibi præparátam, ab Angelis servátam, a Pátribus præfigurátam, a Prophétis promíssam. Scrutáre Scriptúras et proba quæ dico. Visne ut ego áliqua ex his testimónia hic ínferam? Ut pauca loquar de plúribus; quam sibi áliam prædixísse Deus vidétur quando ad serpéntem ait : Inimicítias ponam inter te et mulíerem? Et si

adhuc dúbitas an de María díxerit, audi quod séquitur : Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est nisi Maríæ?

℟. Congregáti sunt inimíci nostri ut dímicent contra nos et ignorámus quæ ágere debeámus : * Ad te sunt óculi nostri, o Dómina, ne pereámus; subcóntere illos in virtúte tua. ℣. Tu scis quæ cógitant in nos : quómodo potérimus subsístere ante fáciem eórum nisi tu ádjuves nos. Ad te sunt.

LECTIO VIII.

Ipsa procul dúbio caput contrívit venenátum, quæ omnímodam malígni suggestiónem tam de carnis illécebra, quam de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam vero áliam Sálomon requirébat, cum dicébat : Mulíerem fortem quis invéniet? Nóverat quippe vir sápiens hujus sexus infirmitátem : quia tamen et Deum légerat promisísse, et ita vidébat congrúere, ut qui vícerat per fœminam vinceréttur per ipsam, veheménter admírans aiébat : Mulíerem fortem quis invéniet?

℟. Confortámini, fílii, in Dómino et in poténtia virtútis ejus : * Indúite vos armatúram Dei, humilitátem, benignitátem, patiéntiam, obediéntiam, charitátem. ℣. Pone nos, o María, juxta te et cujúsvis manus pugnet contra nos. Indúite. Glória Patri. Indúite.

LECTIO IX.

Si ita de manu fœminæ pendet et nostra ómnium salus et innocéntiæ restitútio, et de hoste victória; fortis omníno necésse est ut provideátur quæ ad tantum opus posset esse idónea. Sed mulíerem fortem quis invéniet? At ne hoc quæsísse putétur desperándo, subdit prophetándo : Procul et de últimis fínibus prétium ejus; hoc est, non vile, non parvum non medíocre, non dénique de terra, sed de cœlo; nec de cœlo próximo terris, prétium fortis hujus mulíeris, sed a summo cœlo egréssio ejus.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. O quam pulchra * est casta generátio! In perpétuum coronáta triúmphat incoinquinatórum certáminum præmium vincens.

Ant. Magnificáte * Dóminum mecum, qui non déserit sperántes in se, et qui interfécit in manu mea hostem pópuli sui.

Ant. Benedícant * Dóminum omnes fines terræ, quia per te, o María, ad níhilum redégit inimícos nostros.

Ant. Benedícta es tu, a Dómino, quóniam vicísti : ídeo sedes ad déxteram fílii tui sicut ipse vicit et sedet ad déxteram Patris sui.

Ant. Tibi laus,* tibi glória, Regína cœli; quia gládii ancípites in mánibus tuis ad fa-

ciéndam vindíctam in hóstibus salútis nostræ.

CAPITULUM. *Prov.* 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

HYMNUS.

O MARIA Deígena,
Coronáta sidéribus,
Castrórum poli Dómina,
Solis cincta splendóribus,
Armis indúta cœlicis,
Decem dracónis córnua
Tu, Mater Agni, cónteris
Et septem frangis cápita.
Per te dérident Mártyres
Tyrannórum sævítiam:
Per te sacrátæ vírgines
Carnis horrent spurcítiam.
O Vírgo, mater Vírginum.
Tu palmas omnes Súperum
Sola vincis exímio
Virginitátis lílio.
Tuæ sunt omnes Cœlitum
Coróna, tua glória;
Trophæa Christi mílitum
Tua, jure, sunt ómnia.
In Nati quippe sánguine
Dira vincéntes tártara,
Vincunt in matre Vírgine,
Triúmphant super sídera.
Eía viríli péctore
Sequámur Matris prælia:
Vincet Mater in sóbole,
Crescet vincéntis glória.
Præsta, Jesu, sub pédibus
Nostris calcári Zábulum;
Ut in tuórum córdibus
Regnes per omne sæculum.
Amen.

¶ *Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.*

Ad Bened. Ant. Quæ vidébis in Sulámite, nisi choros castrórum? Turris fortíssima nomen ejus ómnibus invocántibus eam.

ORATIO.

DOMINE, Deus omnípotens, qui beatíssimæ Vírgini Maríæ matri tuæ, tantam virtútem conférre voluísti, ut caput serpéntis antíqui contríverit ac de ómnibus inimícis tuis glorióse triumpháverit: præsta, quæsumus; ut ejus précibus et imitatióne nosmetípsos perfécte abnegántes, tibíque soli fírmiter adhæréntes, Sátanam sub pédibus nostris velóciter contérere valeámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

AD TERTIAM.

Ant. Magnificáte Dóminum.

Capit. Mulíerem fortem, *ut supra in I. Vesp.*

℟. *br.* Una * Múlier hebræa. Una. ℣. Confusiónem fecit in domo príncipis tenebrárum. Múlier. Glória Patri. Una.

℣. Elégit Maríam Dóminus ab ætérno. ℟. Ut in ea contéreret hostem pópuli sui.

AD SEXTAM.

Ant. Benedícant Dóminum.

CAPITULUM. *Apoc.* 12.

SIGNUM magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. *br.* Elégit Maríam Dóminus * Ab ætérno. Elégit. ℣. Ut in ea contéreret hostem pópuli sui. Ab ætérno. Glória Patri. Elégit.

℣. Domináta est in médio inimicórum suórum. ℟. Pósuit eos Dóminus scabéllum pedum ejus.

AD NONAM.

Ant. Tibi laus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis, et in omni gente primátum hábui; et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi.

℟. *br.* Domináta est * In médio inimicórum suórum. Domináta est. ℣. Pósuit eos Dóminus scabéllum pedum ejus. In médio. Glória Patri. Domináta est.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, exceptis quæ sequuntur.

HYMNUS.

O mater Regis glóriæ
Lumen, robur, præsídium
Militántis Ecclésiæ,
Et triumphántis gáudium.
Tuis sternúntur pédibus
Catérvæ truces dæmonum,
Tuis agúntur légibus
Cœli primátes ágminum.
Qui poli turmis ímperat
Tibi Jesus obséquitur;
Qui mundum nutu témperat
Tibi parénti súbditur.
O miránda mystéria!
Virgo regit Altíssimum;
Qui sæcla fecit ómnia
Matris subdit impérium.
O bellátrix fortíssima,
O spes nostra dulcíssima,
Ab hóstibus nos prótege,
In extrémo certámine.
Dirúmpe vincla críminum;
Evérte fraudes dæmonum;
In nobis mundus óccidat!
Vetus homo dispéreat!
Tolle cordis supérbiam,
Amórem aufer nóxium,
Pelle mentis nequítiam,
Extúrba velle próprium.
Præsta, Jesu, sub pédibus
Nostris calcári Zábulum:
Ut in tuórum córdibus
Regnes per omne sæculum.
Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Irátus est draco contra mulíerem, et ábiit ut pugnáret contra eam et contra semen ejus. Sed ipsa contrívit caput illíus.

Fit Commem. S. Bibianæ, Virg. et Mart., ut in Brev. p. 408, *et Feriæ occurr.*

DIE VIII.

IN FESTO IMMACUL. CONCEPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex 2. *cl. cum Oct.*

¶ *Dicitur, in Diœcesi Aniciensi, Officium pro Clero Urbis denuo editum anno* 1847, *et*

universo orbi extentum die 2. Febr. 1849, accedente Ordinarii licentia.

IN I. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V., p. cxlvij.

℣. Immaculáta Concéptio est (hódie) sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ant. Beáta Dei Génitrix, María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo, placuísti Dómino nostro Jesu Christo, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. S. Ambrosii, ut p. 419.

Postea Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum, ejus Fílium, adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymnus. Quem terra, *ut in Festis, B. M. V.*, p. CXLIX.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. Manus Dómini confortávit te; et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ant. Noli metúere, non moriéris : non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

℣. Deus præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO I. *Cap.* 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola : et profúndum abyssi penetrávi : in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol? ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis. Pulchra.

LECTIO II.

Ab inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non dési-

nam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano : et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi platánus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris : et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, * Cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Cujus.

LECTIO III.

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis : in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient; et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, * Quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quia. Glória Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et factus est Dóminus protéctor meus.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Fundátur mons Sion exultatióne univérsæ terræ, látera aquilónis, cívitas Regis magni.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Ex libro sancti Ambrósii, Epíscopi, de Virgínibus.

Ex Lib. 2., sub init.

LECTIO IV.

SIT vobis tamquam in imágine descrípta virgínitas vitaque beátæ Maríæ : de qua velut in spéculo refúlget spécies castitátis et forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla vivéndi, ubi tamquam in exemplári magistéria expréssa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea quam splendor elégit? Quid cástius ea quæ corpus sine córporis contagióne generávit?

℞. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Glorióѕa sunt dicta de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

NAM de cæteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens : loquéndi párcior, legéndi studiósior, non in incérto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens : inténta óperi, verecúnda sermóne, árbitrum mentis sólita non hóminem, sed Deum quærere : nullum lædere, bene velle ómnibus, assúrgere majóribus natu, æquálibus non invidére, fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem.

℞. Nihil inquinátum in eam incúrrit; * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula. ℣. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

QUANDO ista vel vultu læsit paréntes? Quando dissénsit a propínquis? Quando fastidívit húmilem? Quando derísit débilem? Quando vitávit ínopem? Eos solos sólita cœtus virórum invísere, quos misericórdia non erubésceret, neque præteríret verecúndia. Nihil torvum in óculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecúndum. Non gestus fráctior, non incéssus solútior, non vox petulántior, ut ipsa córporis spécies simulácrum fúerit mentis, figúra probitátis.

℞. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia ancíllam hóminem respéxit Deus. ℣. Ornátam monílibus, fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ave, grátia plena : Dóminus tecum.

Ant. Veníte, et vidéte, et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ.

Ant. A dextris est mihi Dóminus ne commóvear : propter hoc dilatátum est cor meum.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Lib. 2. *de Cons. Evang.* *c.* 1.

Matthæus Evangelísta sic orsus est : Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Quo exórdio suo satis osténdit generatiónem Christi secúndum carnem se suscépisse narrándam. Secúndum hanc enim Christus fílius hóminis est, quod étiam se ipse sæpíssime appéllat, commendans nobis quid misericórditer dignátus sit esse pro nobis. Nam illa supérna et ætérna generátio, secúndum quam Fílius Dei unigénitus est ante omnem creatúram, quia ómnia per ipsum facta sunt, ita ineffábilis est, ut de illa dictum a Prophéta intelligátur : Generatiónem ejus quis enarrábit?

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et.

LECTIO VIII.

Exequitur ergo humánam generatiónem Christi Matthæus, ab Abraham generatóres commémorans, quos perdúcit ad Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjúgio Maríæ separándum putáret, quod non ex ejus concúbitu, sed virgo péperit Christum. Hoc enim exémplo magnífice insinuátur fidélibus conjugátis, étiam serváta pari consénsu continéntia, posse permanére vocaríque conjúgium, non permíxto córporis sexu, sed custodíto mentis afféctu : præsértim quia nasci eis étiam fílius pótuit sine ullo compléxu carnáli, qui propter solos gignéndos fílios adhibéndus est.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia. Glória Patri. Quia.

LECTIO IX. *Cap.* 2.

Cum autem evidénter dicat Apóstolus Paulus, ex sémine David secúndum carnem Christum, ipsam quoque Maríam de stirpe David áliquam consanguinitátem duxísse, du-

bitáre útique non debémus. Cujus fœminæ quóniam nec sacerdotále genus tacétur, insinuánte Luca, quod cognáta ejus esset Elísabeth, quam dicit de filiábus Aaron, firmíssime tenéndum est carnem Christi ex utróque génere propagátam, et regum scílicet et sacerdótum, in quibus persónis apud illum pópulum Hebræórum étiam mystica únctio figurabátur, id est chrisma, unde Christi nomen elúcet, tanto ante étiam ista evidentíssima significatióne prænuntiátum.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Sicut lílium * inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Diléctus meus * mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Ant. Tota pulchra es,* amíca mea, et mácula non est in te.

Ant. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

Ant. Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymn. O glorióṡa, *in Fest. B. M.*, p. clviij.

℣. Immaculáta Concéptio est (hódie) sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Bened. Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

ORATIO.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : ejus nobis intercessióne concéde ; ut cor et corpus nostrum immaculátum Tibi, qui eam ab omni labe præservásti, fidéliter custodiámur. Per eúmdem.

Et fit Comm. Feriæ.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Diléctus meus.

Capitulum Dóminus.

℟. *br.* Deus * Præcínxit me virtúte. Deus. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Præcínxit. Glória Patri. Deus.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

AD SEXTAM.

Ant. Tota pulchra es.

CAPITULUM. *Ezech.* 44.

Porta hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam, erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. *br.* In hoc cognóvi* Quóniam voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam. Glória Patri. In hoc.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ant. Tu glória.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

Beatus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

℟. *br.* Elégit eam Deus,* Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

IN II. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V., p. CXLVII.

℣. Immaculáta Concéptio est (hódie) sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ant. Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.
Et fit Comm. Feriæ.

DIE IX.

DE SECUNDA DIE

INFRA OCT. IMMAC. CONCEPT.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo præter Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Epiphánii, Epíscopi.

Orat. de Laud. S. Mariæ Deiparæ.

LECTIO IV.

Quid dicam? et quid próloquar? Quo pacto beátam prædicábo hanc Vírginem, glóriæ radícem? Solo enim Deo excépto, cunctis supérior exístit; natúra formósior est ipsis Chérubim, Séraphim, et omni exércitu angélico : cui prædicándæ cœléstis ac terréna lingua mínime súfficit, imo vero nec Angelórum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem,

honórem protulérunt. Lætabántur vero Angeli, tanquam ipsi duntáxat Deum habérent: quibus sanctíssima Virgo supérior facta, Deum habitántem in cœlis concépit in terra, ut hac ratióne exércitus Angelórum tráheret in terram, qui versaréntur cum homínibus. Ipsa enim est cœli et terræ mediátrix, quæ uniónem naturáliter perégit.

LECTIO V.

O BEATA Virgo, colúmba pura et sponsa cœléstis María, cœlum, templum et thronus Divinitátis, quæ coruscántem in cœlo et in terra solem habes Christum: nubes lúcida, quæ fulgur de cœlo lucidíssimum ad illuminándum mundum deduxísti Christum. Nubes cœléstis, quæ tonítruum Spíritus sancti in se ipsa recónditum dedúxit in mundum, et imbrem Spíritus sancti in univérsam terram, ad producéndum fídei fructum, cum ímpetu demísit. Ave, grátia plena, porta cœlórum, de qua Prophéta vaticinátus est his verbis: Ecce porta clausa, et nullus ingrediétur per eam, nec egrediétur, præter quam Dóminus Deus solus: et erit porta clausa duci, quia dux ipse vocábitur, et in ipsum sperábunt omnes gentes. De hac porta étiam in Cánticis Prophéta in decúrsu oratiónis plane et apérte prolóquitur inclámans; Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

LECTIO VI.

ANGELI accusábant Evam, nunc vero Maríam glória prosequúntur, quæ mulíerum infirmitátem vere gloriósam réddidit; quæ lapsam Evam eréxit, et Adámum e paradíso dejéctum in cœlos misit; quæ paradísum clausum apéruit, et per latrónem rursum Adámum complantávit. Per te enim, o Virgo, médius obstructiónis páries inimicítias dissólvit: per te pax cœléstis donáta est mundo: per te hómines facti sunt Angeli: per te hómines appelláti sunt amíci, servi, et fílii Dei; per te hómines meruérunt esse consérvi Angelórum, et cum eis familiáriter conversári; per te notítia cœléstis a terra transmíttitur in cœlos; per te hómines fidúciam habent in cœlo erga Altíssimum; per te Crux resplénduit per univérsam terram, in quo quidem cruce pepéndit fílius tuus Christus Deus noster; per te mors conculcátur, et spoliátur inférnus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi, Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in Matth. in init.

In Isáia légimus : Generatiónem ejus quis enarrábit? Non ergo putémus Evangelístam Prophétæ esse contrárium; ut quod ille impossíbile dixit effátu, hic enarráre incípiat : quia ibi de generatióne divinitátis, hic de incarnatióne est dictum. A carnálibus autem cœpit, ut per hóminem Deum díscere incipiámus. Fílii David, fílii Abraham. Ordo præpósterus, sed necessário commutátus. Si enim primum posuísset Abraham, et póstea David, rursus ei repeténdus fúerat Abraham, ut generatiónis séries texerétur.

LECTIO VIII.

Ideo autem cæteris prætermíssis, horum fílium nuncupávit, quia ad hos tantum facta est de Christo repromíssio. Ad Abraham : In sémine, inquit, tuo benedicéntur omnes gentes, quod est Christus. Ad David : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Notándum, in genealógia Salvatóris, nullam sanctárum assúmi mulíerum, sed eas, quas Scriptúra reprehéndit : ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus nascens, ómnium peccáta deléret. Unde et in consequéntibus Ruth Moábitis pónitur, et Bethsábee uxor Uríæ.

LECTIO IX.

Jacob autem génuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárum, cur Evangelísta Matthæus Joseph díxerit fílium Jacob, et Lucas eum fílium appellárit Heli; non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen, Deo jubénte, præcéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris, vel propínqui sui. Joseph, virum Maríæ. Cum virum audíeris, suspício tibi non súbeat nuptiárum : sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quod sponsi viri, et sponsæ vocéntur uxóres.

Te Deum laudámus. *p.* 16.

Et fit Comm. Feriæ in Laud. Vesp. de seq.

DIE X.

TRANSLATIONIS ALMÆ DOMUS LAURETANÆ.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. de Laud. Psalm. Dixit Dóminus, *cum reliquis ut in Festis B. M. V.*, p. cxlij.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini

morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus Ave, maris stella., *in Festis B. M. V.* p. cxlxix.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. Ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

ORATIO.

Deus, qui beátæ Maríæ Vírginis domum per incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabíliter collocásti : concéde; ut, segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres domus sanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum.

Fit Comm. Feriæ occurr., et S. Melchiadis, Papæ et Mart., ut in Brev., p. 422, *non autem de Oct. Item in Laudibus.*

AD MATUTINUM.

Invit. Salvatórem mundi in domo Vírginis de Spíritu sancto concéptum,* Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, exultémus. *p.* 2.

HYMNUS.

Cœlestis Urbs Jerúsalem,
Beáta pacis vísio,
Quæ celsa de vivéntibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsæque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.

O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa Sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Príncipi,
Cœli corúsca cívitas.

Hic margarítis émicant,
Paténtque cunctis óstia :
Virtúte namque prævia
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústinet.

Scalpri salúbris íctibus
Et tunsióne plúrima,
Fabri políta málleo
Hanc saxa molem cónstruunt,
Aptísque juncta néxibus
Locántur in fastígio.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. In sole pósuit tabernáculum suum, et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Ant. Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens mánibus et mundo corde.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

De libro tértio Regum.

LECTIO I. *Cap.* 8.

STETIT autem Sálomon ante altáre Dómini in conspéctu ecclésiæ Israel, et expándit manus suas in cœlum, et ait: Ergóne putándum est quod vere Deus hábitet super terram? Si enim cœlum et cœli cœlórum te cápere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificávi? Sed réspice ad oratiónem servi tui, et ad preces ejus, Dómine Deus meus: audi hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie: ut sint óculi tui apérti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixísti: Erit nomen meum ibi: ut exáudias deprecatiónem servi tui, et pópuli tui Israel, quodcúmque oráverint in loco isto, et exáudies in loco habitáculi tui in cœlo, et cum exaudíeris, propítius eris.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus, * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhæ et thuris. Et sicut.

LECTIO II.

SI fúgerit pópulus tuus Israel inimícos suos (quia peccatúrus est tibi), et agéntes pœniténtiam, et confiténtes nómini tuo, vénerint, et oráverint, et deprecáti te fúerint in domo hac, exáudi in cœlo, et dimítte peccátum pópuli tui Israel, et redúces eos in terram, quam dedísti pátribus eórum. Si clausum fúerit cœlum, et non plúerit propter peccáta eórum, et orántes in loco isto, pœniténtiam égerint nómini tuo, et a peccátis suis convérsi fúerint propter afflictiónem suam, exáudi eos in cœlo, et dimítte peccáta servórum tuórum et pópuli tui Israel, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da plúviam super terram tuam, quam dedísti pópulo tuo in possessiónem.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, * Terríbilis ut castrórum ácies ordináta. ℣. Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. Terríbilis.

LECTIO III.

SI quis cognóverit plagam cordis sui, et expánderit manus suas in domo hac, tu exáudies in cœlo in loco habitatiónis tuæ, et repropitiáberis, et fácies ut des unicuíque secúndum omnes vias suas, sicut víderis cor ejus (quia tu nosti solus cor ómnium filiórum hóminum), ut tímeant te cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terræ, quam dedísti pátribus nostris. Insuper et alienígena, qui non est de

pópulo tuo Israel, cum vénerit de terra longínqua propter nomen tuum (audiétur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et bráchium tuum exténtum ubíque); cum vénerit ergo, et oráverit in hoc loco, tu exáudies in cœlo, in firmaménto habitáculi tui, et fácies ómnia pro quibus invocáverit te alienígena, ut discant univérsi pópuli terrárum nomen tuum timére, sicut pópulus Israel, et probent quia nomen tuum invocátum est super domum hanc.

℞. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt. Glória. Vidérunt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

℣. Dómine, diléxi decórem domus tuæ. ℞. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

Serm. 52. *de diversis.*

LECTIO IV.

SAPIENTIA, quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos véniens ædificávit sibi domum, ipsam scílicet Matrem suam Vírginem Maríam, in qua septem colúmnas éxcidit. Quid est in ea septem colúmnas excídere, nisi ipsam dignum sibi habitáculum fide et opéribus præparáre? Nimírum ternárius númerus ad fidem propter sanctam Trinitátem, quaternárius pértinet ad mores propter quátuor principáles virtútes. Quod autem in beáta María sancta Trínitas fúerit; fúerit, dico, per præséntiam majestátis, ubi solus Fílius erat per susceptiónem humanitátis, testátur Núntius cœléstis, qui ei arcána mystéria réserans, ait: Ave, grátia plena, Dóminus tecum; et post pauca: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ecce habes Dóminum, habes virtútem Altíssimi, habes Spíritum sanctum, habes Patrem, Fílium, et Spíritum sanctum.

℞. O quam metuéndus est locus iste! * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cœli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere.

LECTIO V.

UTRUM autem et quátuor principáles virtútes, tamquam quátuor colúmnas possíderit, inquisitióne dignum vidétur. Primum ergo videámus, an fortitúdinem habúerit. Quæ nimírum virtus quó-

modo illi abésse pótuit, quæ abjéctis sæculáribus pompis, spretísque voluptátibus carnis, soli Deo in virginitáte vívere propósuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomónem légitur: Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Porro, quod témperans et justa fúerit, ex Angeli collocutióne, et sui ipsíus responsióne, luce clárius comprobámus. Salutáta quippe tam venerabíliter ab Angelo: Ave, grátia plena, Dóminus tecum, non se éxtulit, quasi quæ ex singulári grátiæ privilégio benedicerétur, sed síluit, et qualis esset insólita hæc salutátio secum cogitávit. Qua in re, quid, nisi témperans, fuit? At vero, cum de cœléstibus mystériis ab eódem Angelo docerétur, diligénter quæsívit quómodo concíperet et páreret, quæ virum útique non cognósceret; et in hoc sine dúbio prudens éxtitit.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles, * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent: Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Et vénient.

LECTIO VI.

JUSTITIÆ autem præ se fert insígne, ubi se ancíllam Dómini confitétur; nam quod justórum sit conféssio, testátur, qui ait: Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo. Fuit ígitur beáta Virgo María fortis in propósito, témperans in siléntio, prudens in interrogatióne, justa in confessióne. His ítaque quátuor morum colúmnis, et tribus fídei prædíctis extrúxit in ea sibi domum. Sapiéntia cœléstis, quæ ádeo mentem ejus replévit, ut de plenitúdine mentis fœcundarétur et caro. Ipsíus autem Vírginis natális Domus divínis mystériis consecráta, Angelórum ministério ab infidélium potestáte, in Dalmátiam prius, deínde in agrum Lauretánum Picénæ Provínciæ transláta fuit, sedénte sancto Cœlestíno Quinto: eamdémque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, tum Pontifíciis diplomátibus, et celebérrima totíus orbis veneratióne, tum contínua miraculórum virtúte, et cœléstium beneficiórum grátia comprobátur. Quibus permótus Innocéntius Duodécimus, quo fervéntius erga Matris amantíssimæ cultum fidélium memória excitarétur, ejúsdem sanctæ Domus Translatiónem anniversária solemnitáte in tota Picéni Província venerátam, Missa étiam et Offício próprio celebrári præcépit.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus: in ea omnis qui petit, áccipit: et qui quærit, ínve-

nit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis : quærite, et inveniétis. Et pulsánti. Glória. Et pulsánti.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Ant. Vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit Dóminus, allelúia.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo ℟. In longitúdinem diérum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi, Abbátis.

Ex Hom. 1., *super* Missus est.

Quæ hæc est Virgo tam venerábilis, ut salutétur ab Angelo; tam húmilis, ut desponsáta sit fabro? Pulchra permíxtio virginitátis et humilitátis : nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem : sed quanta, putas, veneratióne digna est, in qua humilitátem exáltat fœcúnditas, et partus cónsecrat virginitátem? Audis vírginem? Audis húmilem? Laudábilis virtus virgínitas, sed magis necessária humílitas : illa consúlitur, ista præcípitur.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus te delectavérunt fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Ex Hom. 2., *super eodem loco.*

LECTIO VIII.

Missus est, inquit, Angelus ad Vírginem, vírginem carne, vírginem mente, vírginem professióne, vírginem dénique, qualem descríbit Apóstolus, mente et córpore sanctam, nec nóviter, nec fortúito invéntam, sed a sæculo eléctam, ab Altíssimo præcógnitam, et sibi præparátam, ab Angelis servátam, a Pátribus præfigurátam, a Prophétis promíssam. Ut pauca loquar de plúribus, quam sibi áliam prædixísse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait : Inimicítias ponam inter te et mulíerem? Et si adhuc dúbitas an de María díxerit, audi quod séquitur : Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ?

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te,

quæ dicta sunt tibi. Ecce exaltáta es super choros Angelórum : * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Ex Hom. 3., *sub eodem loco.*

LECTIO IX.

Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena, Dóminus tecum. Quo ingréssus ad eam? Puto in sacrárium pudíci cubículi, ubi illa fortássis, clauso super se óstio, orábat Patrem in abscóndito. Solent Angeli adstáre orántibus, et delectári in his quos vident leváre puras manus in oratióne. Holocáustum sanctæ devotiónis gaudent se offérre Deo in odórem suavitátis. Maríæ autem oratiónes quantum placúerint in conspéctu Altíssimi, Angelus indicávit, qui ingréssus ad eam tam reverénter salutávit.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Domum tuam, * Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dom.*, p. 17.

Ant. Domus mea * domus oratiónis vocábitur : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; et pulsánti aperiétur.

Ant. Propter domum * Dómini Dei nostri, quæsívi bona tibi.

Ant. Dómine Deus, exaltásti super terram habitatiónem meam.

Ant. Domum majestátis meæ, * et locum pedum meórum glorificábo.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

HYMNUS.

Alto ex Olympi vértice
Summi Paréntis Fílius,
Ceu monte desécus lapis
Terras in imas décidens,
Domus supérnæ et ínfimæ
Utrúmque junxit ángulum.

Sed illa sedes Cœlitum
Semper resúltat láudibus,
Deúmque Trinum et Unicum
Jugi canóre prædicat :
Illi canéntes júngimur
Almæ Siónis æmuli.

Hæc templa, Rex cœléstium,
Imple benígno lúmine :
Huc, o rogátus, ádveni,
Plebísque vota súscipe,
Et nostra corda júgiter
Perfúnde cœli grátia.

Hic ímpetrent fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátæ múnera,
Partísque donis gáudeant,
Donec solúti córpore
Sedes beátas ímpleant.

Decus Parénti débitum

Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula.
Amen.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus. ℟. Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Ad Bened. Ant. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

ORATIO.

Deus, qui beátæ Maríæ Vírginis Domum per incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabíliter collocásti : concéde; ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres Domus sanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Comm. Feriæ.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Domus mea.

Capit. In ómnibus réquiem quæsívi, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Hic domus Dei est, * Et porta cœli. Hic. ℣. Et vocábitur aula Dei. Et. Glória Patri. Hic.

℣. Dómine, diléxi decórem domus tuæ. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

AD SEXTAM.

Ant. Propter domum Dómini.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. *br.* Dómine, * Diléxi decórem domus tuæ. Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. Diléxi. Glória Patri. Dómine.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

AD NONAM.

Ant. Domum majestátis meæ.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. *br.* Domum tuam, Dómine, * Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória. Domum.

℣. Hic domus Dei est, et porta cœli. ℟. Et vocábitur aula Dei.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Ant. Ad Magníficat.

Ad Magnif. Ant. O quam

metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud nisi domus Dei et porta cœli.

Oratio ut supra, et Comm. S. Damasi, Pap., Conf., p. 425, *et Feriæ occurrentis.*

DIE XII.

DE QUINTA DIE INFRA OCT. IMMAC. CONCEPT.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, præter Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

De duodecim Prærogativis B. M. V.

LECTIO IV.

Mulier, inquit, amícta sole. Plane amícta lúmine tanquam vestiménto. Non pércipit forte carnális: nimírum spirituále est: stultítia illi vidétur. Non sic videbátur Apóstolo, qui dicébat: Induímini Dóminum Jesum Christum. Quam familiáris ei facta es, Dómina! Quam próxima, imo quam íntima fíeri meruísti! Quantam invenísti grátiam apud eum! In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substántia carnis, et vestit ille te glória suæ majestátis. Vestis solem nube, sole ipsa vestíris. Novum enim fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári.

LECTIO V.

In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim. Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans, ornet eas pótius quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est? Supra hóminem est corónæ hujus ratiónem expónere, indicáre compositiónem. Mihi sane singuláris rútilat fulgor, primo quidem in Maríæ generatióne, secúndo in Angélica salutatióne, tértio in Spíritus superventióne, quarto in Fílii Dei inenarrábili conceptióne.

LECTIO VI.

Quid ergo sidéreum micat in generatióne Maríæ? Plane quod ex régibus orta; quod ex sémine Abrahæ; quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi, ob singuláre privilégium sanctitátis, divínitus nóscitur esse concéssa; quod longe ante eísdem Pátribus

cœlitus repromíssa; quod mysticis præsignáta miráculis; quod oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virgo, dum sine radíce flóruit; hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit; hanc in Ezechiélis visióne orientális porta, quæ nulli unquam pátuit, præsignábat. Hanc dénique præ cæteris Isaías nunc virgam de radíce Jesse oritúram prænuntiábat; nunc evidéntius vírginem paritúram. Mérito signum hoc magnum in cœlo apparuísse scríbitur, quod tanto ante de cœlo nóscitur fuísse promíssum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 2. in Matth. post init.

AUDITU quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fíeri ex muliere dignátus est, et habére progenitóres David et Abraham: et quid dico David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, fœminas, quas paulo ante memorávi. Hæc ígitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspíceris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te fílium fáceret Dei: servum patrem habére dignátus est, ut tibi servum Patrem fáceret ipsum Deum.

LECTIO VIII.

VIDES ab ipso statim princípio, quam læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuum spectant honórem, ab iis quæ illíus sunt, étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est difficílius Deum hóminem fíeri, quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris quia Fílius Dei fílius sit et David et Abrahæ, dubitáre jam désine, quod et tu qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nasceréré spíritu: natus est ex muliere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

LECTIO IX.

PROPTEREA duplex facta generátio est, hæc scílicet

nostræ símilis, illa nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fœmina est, et nobis cómpetit; quod vero non ex sánguine, neque ex voluntáte carnis, aut viri, sed ex Spíritu sancto, áliam nobis sublimiórem, futurámque, et spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábunt. Nam et baptísma profécto tale suscépit, quod habéret quidem áliquid véteris, habéret et novi. Quod enim baptizátus est a Prophéta, expréssit vetus : quod autem descéndit Spíritus, adumbrávit novum.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

Et fit Comm. Feriæ in Laud.

Vesp. de S. Lucia, p. 427; *et fit Comm. Oct. et Feriæ.*

DIE XIV.

DE SEPTIMA DIE

INFRA OCT. IMMAC. CONCEPT.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, præter Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quatuor vero Temp. Ego Sapiéntia, *ut in Festis B. M. V.*, p. CLI.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Serm. 2. in Nativ. B. M. V.

LECTIO IV.

CUM homo per imménsam Dei bonitátem in rerum natúram edéndus esset, in primis cœlum exténditur, substérnitur terra, suis mare términis cláuditur, cætéraque ómnia, quibus útraque compléṇda essent, in univérsi ornátu una prodúcta sunt. Tum postrémum homo, régio cultu in paradíso, velut in virtútis schola, pónitur, ac nisi violásset præcéptum, a vitáli illo loco nunquam exulásset : cumque expers induménti esset, nisi divínis consíliis obstitísset, haudquáquam in multis variísque affectiónibus obnóxiam mutatiónem cecidísset, ut Dei monárchæ loco plura númina cóleret. Cunctis ítaque, ut verbo expédiam, interitióni déditis, miseránte Deo, ne quem suis ipse mánibus formásset, in níhilum céderet penitúsque abolerétur, cœlum áliud novum, terrámque ac mare fábricat, in quibus propensióri consílio humánum genus reformatúrus, ipse caperétur, qui capi nusquam potest. Isthæc porro est beáta multiplicitérque celebránda Virgo.

LECTIO V.

O REM miram! Cœlum quidem est, cum velut ex penitíssimis virginitátis thesáuris Solem justítiæ próferat: terra vero, ceu quæ ex intemerátis lumbis vitæ spicam edat : mare tandem, útpote quæ ex úteri sui sinu spiritálem margarítam prodit. Nunc ítaque nova ejus, qui capi nequit,

creatúra elúxit: universórum Regis regális aula paráta est, ejus qui incomprehensíbilis est, ratióne utens diversórium instrúctum. Quam mundus iste magníficus est! Quam stupénda creátio, quæ virtútum arbóribus venustátem habet, castitátis flóribus odóre fragrat, visibílium splendóribus claret, cunctísque bonis áliis nulla penúria frúitur: digna dénique prorsus est, in qua Deus ad hómines véniens inhábitet! Quinímo, inquit, mundus antérior quam máxime est admirábilis. Tunc enim, cum creáta sunt sídera, laudavérunt me voce magna Angeli mei, et prædicavérunt. Nihil vero sic Deo decens gratúmque fuit, uti sancta omnibúsque modis miránda Virgo.

LECTIO VI.

O INDULGENTIÆ demissiónem! Qui exímie bonus est, próprii figménti proles audíre non rénuit, amóre captus illíus, quæ creátis ómnibus speciósior est, illam ampléxus, quæ cœléstibus virtútibus dignitáte præit. De hac ítaque summe admirábilis Zacharías ait: Gaude et lætáre, fília Sion, quia ecce vénio, et habitábo in médio tui, dicit Dóminus. Sed et beatíssimus Joel de eádem, ut quidem exístimo, ita propémodum nóscitur clamáre: Confíde, terra, gaude et lætáre, quia magnificávit Dóminus ut fáceret tibi. Terra namque est, in qua sacratíssimus Móyses umbráticæ legis calceaméntum sólvere ob grátiæ commendatiónem jussus est. Terra est, in qua ille carne fundátus a spíritu cánitur, qui fundat terram super stabilitátem suam. Terra est, in qua nulla peccáti enáta spina: secus vero per cujus germen illud pótius evúlsum est. Terra est, non uti prior maledícta, ac cujus fructus spinis ac tríbulis horréscant: sed super quam benedíctio Dómini fuit, et cujus fructus ventris benedíctus, ut sacro dictum est oráculo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap. 1.*

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra paulo post.

CUJUS vero rei grátia librum ipsum generatiónis Christi vocat, ubi non sola útique generátio, sed tota prorsus ipsíus mystérii dispensátio continétur? Quia tótius scílicet dispensatiónis caput, radix atque princípium ómnium nobis in hoc consístit bonórum. Ut enim Móyses librum cœli

appellávit ac terræ, cum certe non de cœlo solum terráque loquerétur, sed de cunctis quæ inter ista subsístunt; ita étiam Evangelísta ab ipso ómnium fonte et cápite bonórum librum vocávit.

LECTIO VIII.

Qua vero de causa non eum ante fílium Abrahæ, et póstea fílium David nuncupávit? Non, sicut opinántur áliqui, ab inferióribus volens ad superióra conscéndere. Cæterum fecísset quod fecit et Lucas; nunc autem e contrário facit. Cur ergo commemorávit priórem David? Quia ipse procul dúbio in ómnium versabátur ore, ob insígne honóris et glóriæ, ob ipsíus quoque témporis spátia junctióra. Etsi enim utríque promíserat Deus, sed tamen illud quasi antíquum reticebátur, hoc vero, quasi novum et recens, ab ómnibus celebrabátur.

LECTIO IX.

Ipsi namque Judæi dicunt: Nonne ex sémine David, et Béthlehem castéllo, unde erat David, venit Christus? Nemo ígitur illum fílium Abrahæ, sed omnes fílium David nominábant; qui étiam honorabilióres quosque de sanctitáte reges, qui post David fuísse referúntur, ab illo omnes vocábant. Nec ipsi solum, verum étiam Deus; nam et Ezéchiel, et álii Prophétæ dicunt David surrectúrum esse eis, atque ventúrum: non de illo útique mórtuo jam loquéntes, sed de iis, qui illíus virtútem erant imitatúri. Proptérea ígitur a notióre ínterim, et celebratióre persóna sumit exórdium, et tum demum ad antiquiórem recúrrit paréntem.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Comm. Fer.

DIE XV.

IN OCTAVA

IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

Duplex.

Offic. ut in Festo.

Lect. I. Noct. de Script. occ. Verum occurrente Feria IV. *Quatuor Temp.* Ego Sapiéntia, *ut in Festis B. M. V.* p. clj.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

Hom. 2. *super* Missus est.

LECTIO IV.

Lætare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exúlta, qui sicut ómnium paréntes, ita ómnium fuístis peremptóres; et quod infelícius est, prius peremptóres, quam paréntes. Ambo, inquam, consolámini super fília, et tali fília; sed illa ámplius, de qua malum ortum est prius, cujus oppróbrium in omnes pertransívit mulíeres. Instat namque tempus, quo jam tollátur oppróbrium,

nec hábeat vir quid causétur advérsus fœminam; qui útique, dum se imprudénter excusáre conarétur, crudéliter illam accusáre non cunctátus est, dicens: Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Proptérea curre, Eva, ad Maríam; curre, mater, ad fíliam; fília pro matre respóndeat; ipsa matris oppróbrium áuferat; ipsa patri pro matre satisfáciat: quia ecce si vir cécidit per fœminam, jam non erígitur nisi per fœminam.

LECTIO V.

Quid dicébas, o Adam? Múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malítiæ sunt hæc, quibus magis áugeas quam déleas culpam. Verúmtamen sapiéntia vicit malítiam, cum occasiónem véniæ, quam a te Deus interrogándo elícere tentávit, sed non pótuit, in thesáuro indeficiéntis suæ pietátis invénit. Rédditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fátua, húmilis pro supérba; quæ pro ligno mortis gustum tibi pórrigat vitæ, et pro venenóso cibo illo amaritúdinis, dulcédinem páriat fructus ætérni. Muta ergo iníquæ excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiónis, et dic: Dómine, múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comédi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificásti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Vírginem. O fœminam singuláriter venerándam, super omnes fœminas admirábilem, paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem!

LECTIO VI.

Quam tibi áliam prædixísse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait: Inimicítias ponam inter te et mulíerem? Et si adhuc dúbitas, quod de María díxerit, audi quod séquitur: Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ? Ipsa procul dúbio caput contrívit venenátum, quæ omnímodam suggestiónem tam de carnis illécebra, quam de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam vero áliam Sálomon requirébat, cum dicébat: Mulíerem fortem quis invéniet? Nóverat quippe vir sápiens hujus sexus infirmitátem, frágile corpus, lúbricam mentem. Quia tamen et Deum légerat promisísse, et ita vidébat congrúere, ut qui víceret per fœminam, vincerétur per ipsam, veheménter admírans aiébat: Mulíerem fortem quis invéniet? Quod est dícere: Si ita de manu fœminæ pendet et nostra ómnium salus, et innocéntiæ restitútio, et de hoste victória, fortis omníno necésse est ut provideátur quæ ad tantum opus possit esse idónea.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap. 1.*

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra paulo post.

Duo sunt, quæ páriunt quæstiónem. Unum, quæ causa sit, ut in generatiónum catálogo Virgo sileátur : álterum vero, qua ratióne Joseph memorétur, cui certe nihil cum Christi generatióne est commúne. Vidétur enim et unum abundáre, et álterum deésse. Quid ergo dicémus? quod útique primum illud necésse fúerit memorári, quemádmodum ex David Virgo descénderit. Unde hoc ítaque discémus? Audi ad Gábriel loquéntem Dóminum : Vade ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen Joseph, ex domo et família David. Quid vis audíre maniféstius, cum ex domo et família David illam Vírginem esse cognóscas?

LECTIO VIII.

Non erat apud Hebræos generatiónum catálogum per fœminas téxere. Ut ergo et morem custodíret (ne in ipso statim princípio viderétur antíqua destrúere), et nobis vírginem cértius indicáret, paréntes ejus réticens, atque majóres, de Joseph generatióne non tácuit. Sive enim hæc fecísset in Vírgine, novitátis non effugísset invídiam; sive Joseph reticuísset, non agnoscerémus ex qua tribu Virgo subsísteret. Ut ergo et nos discernerémus quæ esset María, vel unde, et consuétudo legis permanéret immóbilis, generatiónum catálogum usque ad sponsum ejus perdúxit, ac de domo illum David esse monstrávit.

LECTIO IX.

Hoc enim declaráto, illud quoque páriter osténdit, quod scílicet inde esset et Virgo; quia útique nequáquam justus iste paterétur uxórem sibi aliúnde, quam unde lex præcipiébat, elígere. Póssumus vero áliam quoque et altiórem quidem proférre ratiónem, ob quam paréntes Vírginis prætermíssi sunt. Sed quæ ea est? Nóluit Evangelísta recénti adhuc témpore novi illíus admirandíque partus, Judæis esse maniféstum, quod Christus natus fuísset ex Vírgine. Neque próprius noster hic sermo est, sed a nobis de Patrum atque insígnium virórum traditióne suscéptus.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

Et fit Comm. Feriæ in Laud.

In II. Vesp. fit Commem. S. Eusebii, Episc. et Mart., p. 432.

Deinde Feriæ.

DIE XVII.

SANCTI LAZARI,

CHRISTI DISCIPULI, EPISCOPI MASSILIENSIS ET MARTYRIS.

Duplex.

De Communi unius Mart. Pridie Vesp. de eo Comm. præced. et Feriæ.

ORATIO.

Deus, qui beátum Lázarum, Christi discípulum, quatriduánum mórtuum suscitátum, Pontifício et Martyrio decorásti : concéde nobis ejus méritis, a peccátis resúrgere, et vita ætérna gaudére. Per eúmdem.

In I. Noct. Lect. de Script. occurrente. In Quatuor Temp. Lectio A Míleto., *primo loco.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Lazarus e Betháma, clarus génere, sed virtúte nobílior, Martham et Maríam soróres hábuit. His Christum Jesum hospítio frequénter excipiéntibus, eúmdem páriter cordis hospítio excépit Lázarus, et a suo vicíssim excéptus hóspite, inter amícos adscríptus est. Cóntigit autem, absénte Christo, Lázarum grávius infirmári : de cujus valetúdine sollícitæ soróres misérunt qui hóspiti suo de amíci perículo nuntiáret. Quo audíto, Jesus dum ad Lázarum veníre differt, inter moras, ille diem suum últimum óbiit. Ubi vero Christus accéssit, et amícum mórtuum vidit, ad hoc spectáculum et sorórum dolórem ínfremens, fusis lácrymis, quatriduánum et jam fœténtem, de monuménto, magna voce inclámans suscitávit.

LECTIO V.

Hoc prodígio cum Christi virtus et doctrína maniféstius cunctis claréscerent, in ægris óculis excipiéntes Judæi, Lázaro ejúsque soróribus parant exítium. Et ne tam stupéndi miráculi testes usquam conspiceréntur, una cum Marcélla, Maximíno, aliísque Christiánis, in vetústam navem, sine velo, sine remígio, sine viático impósitos, vastíssimo mari commíttunt, ut omnes vel inédia vel naufrágium certum absúmeret. Sed navis, Deo adgubernánte, salvis ómnibus Massíliam appúlsa est : ubi Massiliénsium Epíscopus creátus Lázarus verbi prædicatióne, et vitæ cœléstis exémplis plúrimos ad Christum convértit.

LECTIO VI.

Cum autem annos círciter trigínta tenéllum gregem Evangélicæ doctrínæ pábulo nutrivísset, tentus tandem ab infidélibus, procónsuli sístitur; a quo vel idólis sacrificáre, vel mori compúlsus, respóndit amícum se habére, cujus poténtia fúerat semel a morte

revocátus in vitam et pro quo mortem subíre dénuo non recúset. Pectínibus ítaque férreis lacerátus, igníta étiam loríca circúmdatus et crate férrea tostus, cum superári non posset, jussus est sagíttis cónfigi : sed illæsus persevérans, ad último cápite truncátus, consummáto Martyrio, migrávit ad Christum, anno salútis círciter octogésimo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

In illo témpore : Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ, et Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni, Epíscopi.

In Joan. Tract. 49.

Dicit Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus enim est. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quóniam, si credíderis, vidébis glóriam Dei? Quid est, Vidébis glóriam Dei? Quia et puténtem et quatriduánum resúscitat. Omnes enim peccavérunt et egent glória Dei ; et : Ubi abundávit peccátum, superabundávit et grátia. Tulérunt ergo lápidem. Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me; ego autem sciébam quia semper me audis; sed propter pópulum qui circúmstat, dixi, ut credant quia tu me misísti.

LECTIO VIII.

Hæc cum dixísset, magna voce clamávit, frémuit, lacrymávit. Voce magna clamávit. Quam diffícile surgit quem moles malæ consuetúdinis premit! Sed tamen surgit; occúlta grátia intus vivificátur; surgit post vocem magnam. Quid est factum? Voce magna clamávit : Lázare, veni foras; et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus manus et pedes instítis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Quómodo procéssit ligátus pédibus miráris, et non miráris quia surréxit quatriduánus? In utróque poténtia Dómini erat, non vires mórtui.

LECTIO IX.

Processit et adhuc ligátus est : adhuc involútus, tamen jam foras procéssit. Quid signíficat? Quando contémnis, mórtuus jaces : et si tanta quanta dixi contémnis, sepúltus jaces : quando confitéris, procédis. Quid est enim procédere, nisi ab occúltis velut exeúndo manifestári? Sed ut confiteáris Deus facit, magna voce clamándo, id est, magna grátia vocándo. Ideo cum processísset mórtuus adhuc ligátus, cónfitens et adhuc reus, ut solveréntur peccáta ejus, minístris hoc dixit Dóminus :

Sólvite illum et sínite abíre. Quid est, sólvite et sínite abíre? Quæ solvéritis in terra, solúta erunt et in cœlo. Multi ergo ex Judæis qui vénerant ad Maríam, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. Non omnes ex Judæis qui convénerant ad Maríam, credidérunt, sed tamen multi.

Vesp. de seq. Comm. S. Lazari, et Feriæ.

DIE XVIII.

IN EXPECTATIONE PARTUS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. de Laudibus, Psalmi ut in Festis B. M. V.

CAPITULUM. *Isaiæ* 11.

EGREDIETUR virga de radíce Jesse. Et flos de radíce ejus ascéndet, et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

In Sabb. ante Dom. I. Adv. Hymnus Creátor alme, *p.* 153.

℣. Ave, María, grátia plena.
℟. Dóminus tecum.

Ad Magnif. Ant. Spíritus sanctus in te descéndet, María, ne tímeas : habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit Commemor. Adventus, Ant. O.

Ad Completorium, et alias Horas, in fine omnium Hymnorum dicitur :

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula. Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Ave, María, grátia plena : * Dóminus tecum.

Psalm. Veníte, exultémus, *p.* 2.

Hymn. Verbum supérnum... E Patris, *p.* 154. *In Dom. I. Adv.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminábit óculos servórum suórum, allelúia.

Psalm. I. et II. Noct. de Communi Virgin., p. xciv.

Ant. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant Justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ant. Ecce nomen Dómini de longínquo : et cláritas ejus replet orbem terrárum.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

De Isaía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 7.

ET adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in

profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo, domus David : Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec véniat qui mitténdus est, * Et ipse erit expectátio Géntium. ℣. Pulchrióres sunt óculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidióres. Et ipse.

LECTIO II. *Cap.* 11.

Et egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus Dómini : spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis; et replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet; sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ, et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus.

℟. Oriétur stella ex Jacob, et consúrget homo de Israel, et confrínget omnes duces alienigenárum, * Et erit omnis terra posséssio ejus. ℣. De Jacob erit qui dominábitur, et perdet relíquias civitátis. Et erit.

LECTIO III. *Cap.* 35.

Lætabitur desérta et ínvia, et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exultábit lætabúnda et laudans : glória Líbani data est ei : decor Carméli et Saron : ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis : Confortámini, et nolíte timére : ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis : Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum : quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum.

℟. Descéndet Dóminus sicut plúvia in vellus : oriétur in diébus ejus justítia, * Et abundántia pacis. ℣. Et adorábunt eum omnes reges : omnes Gentes sérvient ei. Et. Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

Ant. Ecce Deus noster : expectávimus eum, et salvábit nos, allelúia.

Ant. Dóminus véniet : occúrrite illi, dicéntes : Magnum princípium, et regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominátor, Princeps pacis, allelúia.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

Sermo sancti Ildefónsi, Archiepíscopi Toletáni.

Ex Lib. de Virg. B. Mariæ.

LECTIO IV.

Domina mea, atque dominátrix mea, dóminans mihi, mater Dómini mei, ancílla Fílii tui, Génitrix Factóris mundi, te rogo, te oro, te quæso, ut hábeam spíritum Dómini tui, spiritúmque Filii tui, necnon et spíritum Redemptóris mei, ut de te vera et digna sápiam, vera et digna loquar, vere et digna quæcúmque sunt, díligam. Tu enim es elécta a Deo, assúmpta a Deo, advocáta a Deo, próxima Deo, adhærens Deo, conjúncta Deo : visitáta ab Angelo, salutáta ab Angelo, benedícta ab Angelo, beatificáta ab Angelo : turbáta in sermóne, attónita in cogitatióne, stupefácta in salutatióne, admiráta in dictórum annuntiatióne.

℟. Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, dicit Dóminus, * Et vocábitur nomen ejus Admirábilis, Deus, Fortis. ℣. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum. Et.

LECTIO V.

Invenisse te apud Deum grátiam audis, et ne tímeas, jubéris. Unde et tu fidúcia roboráris, cognitióne miraculórum instrúeris, ad novitátem inaudítæ glóriæ provéheris. De prole ab Angelo nuntiáta es, et post fœtum íntegra et pudíca manes. Certa virgínitas nobis propónitur, et nascitúrum ex te sanctum Dei Fílium tibi ab Angelo evangelizátur : et quæ sit nascéntis Regis poténtia, mirabíliter intimátur. Quómodo fiat, quæris : de orígine intérrogas, de ratióne perscrutáris, de experiéntia requíris, de órdine sciscitáris. Audi inaudítum oráculum, consídera inusitátum opus, animadvérte incógnitum arcánum, atténde invísum factum: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

℟. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum : * Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. ℣. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terræ de petra desérti ad montem fíliæ Sion. Aperiátur.

LECTIO VI.

Tota invisibíliter Trínitas conceptiónem operábitur in

te : sola persóna Fílii Dei in córpore tuo nascitúra carnem assúmet de te. Ideóque quod concipiétur ex te, quod nascétur ex te, quod pródiet ex te, quod germinábitur ex te, quod parturiétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtútum, hic Rex ómnium sæculórum, hic factor ómnium rerum. Ecce beáta tu inter mulíeres, íntegra inter puérperas, Dómina inter ancíllas, Regína inter soróres. Ecce ex hoc beátam te dicent omnes generatiónes, beátam te novérunt omnes cœléstes Virtútes, beátam te prædicant omnes Vates, beátam te célebrant omnes natiónes. Beáta tu fídei nostræ, beáta tu ánimæ nostræ, beáta dilectióni nostræ, beáta præcóniis et prædicatiónibus meis.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus, * Quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem. ℣. Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum.

Psalm. Benedixísti, *Fer.* VI. *ad Mat.*, p. 98.

Ant. Ecce véniet Deus, et homo de domo David sedére in throno, allelúia.

Psalm. Fundaménta ejus, *ibid.*, p. 99.

Ant. Annuntiáte pópulis, et dícite : Ecce Deus Salvátor noster véniet.

Psalm. 95. Cantáte Dómino, omnis terra, *ibid.*, p. 103.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet ut salvet pópulum suum.

Si hoc Festum venerit in Feria quarta Quatuor Temporum Adventus, loco sequentis Homiliæ leguntur tres lectiones Homiliæ ejusdem Feriæ IV., *cum Responsoriis, quæ hic assignantur.*

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ, Presbyteri.

In Evang. Lucæ cap. 1., *et in Homiliis hiemalibus de Tempore, Feria* IV. *Quat. Temp. mensis Decembris.*

Ad Maríam Vírginem Gábriel míttitur, qui Dei fortitúdo nominátur : illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. De quo per Psalmístam dícitur : Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio. Et rursum : Dóminus virtútum

ipse est Rex glóriæ. Per Dei ergo fortitúdinem nuntiándus erat, qui virtútum Dóminus, et potens in prælio contra potestátes aéreas ad bella veniébat. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Bene grátia plena vocátur, quæ nimírum grátiam, quam nulla ália merúerat, asséquitur, ut ipsum vidélicet grátiæ concípiat et géneret auctórem.

℣. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : * Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi : quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. Spíritus sanctus.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

LECTIO VIII.

Ecce concípies in útero et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Jesus Salvátor sive Salutáris interpretátur : cujus sacraméntum nóminis álloquens Joseph Angelus expósuit : Ipse enim (ínquiens) salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Non ait, pópulum Israel, sed pópulum suum; hoc est, in unitátem fídei ex præpútio et circumcisióne vocátum : quibus ex divérsa parte vocátis, fíeret unus pastor, et unum ovíle. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus. Idem ergo Fílius Altíssimi, qui in útero virgináli concéptus et natus est. Idem homo in témpore creátus ex matre, qui Deus est ante témpora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est, omíttat Nestórius hóminem tantum dícere ex Vírgine natum.

℟. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est : concípies et páries Deum páriter et hóminem, * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres. ℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum : efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. Ut. Glória Patri. Ut.

LECTIO IX.

Ideoque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Ad distinctiónem nostræ sanctitátis, Jesus sanctus singuláriter nascitúrus asséritur. Nos quippe, etsi sancti effícimur, non tamen náscimur, quia ipsa natúræ corruptiónis conditióne constríngimur, ut mérito cum Prophéta geméntes sínguli dicámus : Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, et in delíctis péperit me mater mea. Ille autem solus veráciter sanctus est, qui ut ipsam conditiónem natúræ corruptíbilis vínceret,

ex commixtióne carnális cópulæ concéptus non est. Sanctum, inquit, vocábitur Fílius Dei. Quid hic dicis, Nestoriáne, qui beátam Maríam Dei negans esse Genitrícem, apérte níteris impugnáre veritátem? Ecce Deum dixit superventúrum, Dei Fílium nascitúrum. Quómodo ergo aut Dei Fílius Deus non est, aut quæ Deum édidit, quómodo theótocos, id est, Dei Génitrix non esse potest?

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica,* p. 17.

Ant. Ave, María, * grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, allelúia.

Ant. Ne tímeas, María: * invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries fílium, allelúia.

Ant. Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus, et regnábit in ætérnum.

Ant. Ecce ancílla Dómini :* fiat mihi secúndum verbum tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ* 11.

EGREDIETUR virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus En clara vox, *p.* 159. *In Dom. I. Adv. ad Laud.*

℣. Spíritus sanctus super véniet in te. ℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Ad Bened. Ant. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in ætérnum.

ORATIO.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit Comm. Feriæ.

AD PRIMAM.

In ℟. *brevi dicitur* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Ave, María.

Capit. Egrediétur. *ut supra.*

℟. *br.* Tu exúrgens, Dómimine, * Miseréberis Sion. Tu.

℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Miseréberis. Glória Patri. Tu.

℣. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant Justum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

AD SEXTAM.

Ant. Ne tímeas, María.

CAPITULUM. *Isaiæ* 7.

ECCE virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum et mel cómedet, ut sciat

reprobáre malum, et elígere bónum.

℞. *br.* Roráte, cœli, désuper, * Et nubes pluant Justum. Roráte. ℣. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Et. Glória Patri. Roráte.

℣. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terræ. ℞. De petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD NONAM.

Ant. Ecce ancílla Dómini.

CAPITULUM. *Isaiæ* 45.

RORATE, cœli, désuper, et nubes pluant Justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul : ego Dóminus creávi eum.

℞. *br.* Emítte Agnum, Dómine, * Dominatórem terræ. Emítte. ℣. De petra déserti ad montem fíliæ Sion. Dominatórem. Glória Patri. Emítte.

℣. Spíritus sanctus supervéniet in te. ℞. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

IN II. VESPERIS.

Ant. Missus est, *cum reliq. de Laud., Ps. de Fest. B. M. V., præter ultim.. Ant. et Psalm. quorum loco dicuntur.*

Ant. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Psalmus Meménto, Dómine, David, *p.* 134. *Fer.* v. *ad Vesp.*

Capit., Hymn. et ℣. *ut in primis Vesperis.*

Ad Magnif. Ant. O Virgo vírginum, quómodo fiet istud? quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem? Fíliæ Jerúsalem quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc quod cérnitis.

Oratio ut supra, ad Laudes.

Pro Commem. Adventus, Antiphona O.

DIE XXII.

TRANSLATIONIS RELIQUIARUM
S. GEORGII VELLAVORUM,
ECCLESIÆ FUNDATORIS
AC PROTOPRÆSULIS.

Duplex.

De Comm. Conf. Pont.; pridie Commem. ejus et Feriæ.

ORATIO.

DEUS, qui nos, sancti Pontíficis nostri Geórgii protectióne réfoves; éxcita in translatióne córporis ejus quam adhuc spirant sacri cíneres pietátem, ejúsque précibus, ab omni nos adversitáte custódi. Per eúmdem.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In Quat. Temp. Lectio Fidélis sermo, *de Comm., primo loco.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

BEATI Geórgii Vellavórum Ecclésiæ fundatóris corpus Norbértus Aniciénsis Epíscopus, desinénte nono sæculo, ab óppido sancti Pauliáni Anícium tránstulit in oratórium subterráneum sancti Stéphani,

et cum íbidem amplam ædificásset Ecclésiam, quam sub sancti præsulis nómine consecrávit, sacras ipsíus exúvias prope majus altáre in sepúlchro lapídeo cóndidit.

LECTIO V.

Anno autem sexagésimo secúndo supra millésimum et centésimum, Petrus Aniciénsis Epíscopus, cum præfátum túmulum sibi aperíri fecísset, in eo, ut ipse testátur, membra sanctórum réperit cum duábus tábulis marmóreis quarum una præ se ferébat : Hic requiéscunt membra sancti ac gloriosíssimi Geórgii Epíscopi; áltera autem : Hic requiéscunt membra sancti ac gloriosíssimi Hilárii Pictaviénsis Epíscopi, quæ ómnia in vase lígneo laminísque férreis fírmiter ligáto sigillóque suo obsignáto diligentíssime inclúsit idem Petrus Epíscopus Aniciénsis, ac in prædícto túmulo repósuit. Anno autem décimi quinti sæculi vigésimo octávo sepúlchrum solémni more inspéxit Guillélmus Aniciénsis Epíscopus, intáctaque ac illæsa tum vas tum cætera supradícta recognóvit.

LECTIO VI.

Demum sub Henríci antístite, médio círciter décimo séptimo sæculo, utriúsque præsulis relíquiæ, divísim pósitæ, in eminentióri loco fuére solémniter ex túmulo collocátæ, ibíque pia fidélium devotióne invisebántur. Sed nunc a lugénda exeúntis sæculi décimi octávi Galliárum perturbatióne, sub paviménto ejúsdem Ecclésiæ dispérsæ, nónnisi incérta veneratióne colúntur. Servántur tamen tum ibídem, tum in Ecclésia Cathedráli et in Ecclésia Collégii, nunc sancti Geórgii dicta, pretiosíssimi pígnoris partículæ. Unum autem ejus bráchium íntegrum Ecclésia Cathedrális Pictaviénsis possidére se gloriátur.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evangelium Designávit Dóminus., *e Communi Evangelistarum*. p. xix. *Comm. Feriæ.*

DIE XXV.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

¶ *In III. Noct. post ultimam Lect., in Choro canitur a Diacono Genealogia Domini secundum Matthæum, ritu Evangelii, ut notatur in Proprio Missalis.*

DIE XXVI.

IN FESTO SANCTI STEPHANI, PROTOMARTYRIS.

Fit Comm. omnium SS. Martyrum ut sequitur, juxta decretum S. R. C. 18 *Octobris* 1818.

IN I. VESPERIS.

Ant. Isti sunt quos elégit Dóminus in charitáte non ficta.

℣. Justi epuléntur in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

ORATIO.

Deus, qui glorificáris in Concílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ, ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

In Laud. Ant. Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. In sanctis ejus laudáte eum.

IN II. VESPERIS.

Ant. Dico autem vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui óccidunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

DIEBUS XXXI. DECEMBRIS ET I. JANUARII.

Loco precum quæ prius erant in usu pro anno abeunte et pro redeunte, fiet ut sequitur, juxta beneplacitum Sacræ Rituum Congregationis. Postrema die anni, cantabitur in singulis Ecclesiis, sub Vesperam, si commode possis; sin autem mane post Missam principaliorem, Hymn. Ambrosianus Te Deum, *cum* ℣℣. *et Orationibus, a Rituali Romano præscriptis titulo* de Processióne pro gratiárum actióne, *quæ sequuntur.*

℣. Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es, Dómine Deus, in firmaménto cœli. ℟. Et laudábilis et gloriósus et superexaltátus in sæcula.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infínitus est thesáurus, piíssime majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes, ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens ad præmia futúra dispónas.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere et de ejus semper consolatióne gaudére.

Deus, qui neminem in te sperántem nímium afflígi permíttis, sed pium précibus

præstas audítum : pro postulatiónibus nostris, votísque suscéptis grátias ágimus, te piíssime deprecántes, ut a cunctis semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Tum, prima die anni, in Festo scilicet Circumcisionis Domini, ante Missam principaliorem cantabitur item in singulis Ecclesiis, Hymn. Veni, Creátor, *ut in Antiphonario, cum Doxol.* Deo Patri... Ejúsque soli Fílio....

℣. Emíttes Spíritum tuum et creabúntur. ℟. Et renovábis fáciem terræ. *Oratio* Deus, qui corda, *ut supra.*

MENSE JANUARIO.

DIE XX.

SANCTI SEBASTIANI,

MARTYRIS.

Duplex majus.

De Comm. unius Martyris.

Pridie Vesp. de eo. Comm. præced.

ORATIO.

Vide, Dómine, infirmitátes nostras, et, intercedénte beáto Sebastiáno Mártyre tuo, advérsus ígnea antíqui hostis jácula, céleri nobis pietáte succúrre. Per Dóminum nostrum.

In I. Noct. Lect. Fratres, Debitóres, *e Communi plurimorum Mart., primo loco.* p. XXXIX.

In II. Noct. Lect IV. *est* V. *Breviarii* : Sebastiánus ex patre Narbonénsi, *p.* 462.

Lect. V. *est* VI. *Breviarii* : Quem ómnium opinióne, *p.* 462.

LECTIO VI.

Narrat Paulus Diáconus gravíssimam pestem, quæ tribus ménsibus Romam depopuláta est, anno sexcentésimo octogésimo, non ante quievísse quam in Basílica sancti Petri ad Víncula altáre sub invocatióne sancti Sebastiáni pósitum esset. Depúlsa quoque Medioláni pestis est, invocáta sancti Mártyris ope, et voto ei públice nuncupáto, uti sanctus Cárolus ad id cives hortátu prædíxerat. Plúrima ália in divérsis regiónibus ac provínciis loca sancti Mártyris præsens auxílium contra pestem grassántem sensérunt; hinc in ejus honórem eréctæ Basílicæ, públicæ supplicatiónes institútæ et iteráta fidélium vota. Hunc præcípuo cultu venerátur Diœcésis Aniciénsis quæ ipsum jam a longo témpore in patrŏnum secundárium assúmpsit.

DIE XXIII.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia, hic non propria, ut in Festis B. M. V., p. CLXVII.

AD VESPERAS.

Ant. Desponsátio, *cum reliquis de Laud.*

℣. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ant. Gloriósa Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus quæ et Genitrícis dignitátem obtínuit et virginálem pudicítiam non amísit.

ORATIO.

Famulis tuis, quæsumus, Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre : ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. S. Joseph Sponsi B. M V.

Ant. Exúrgens Joseph a somno fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugem suam.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

ORATIO.

Sanctissimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adjuvémur : ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

Deinde fit Comm. S. Vincentii et Anastasii, Mart. ut in Brev., p. 467.

Postea S. Emerentianæ, Virg. et Mart., ut in Breviario, p. 469.

AD MATUTINUM.

Invit. Desponsatiónem Vírginis Maríæ celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt Cántica C[illegible]ticórum.

LECTIO I. *Cap.* 1.

Osculetur me ó[illegible]ulo oris sui : quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum, ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me : post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me Rex in cellária sua : exultábimus, et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex progénie David : * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Desponsatiónem beátæ Maríæ Vírginis cum gáudio celebrémus. Per quam salus mundi.

LECTIO II.

Nolite me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis : víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tab:-nácula pastórum. Equitátui meo in curribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis : collum tuum sicut monília.

℟. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desposatiónem devotíssime celebrémus, * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ Vírginis devotíssime celebrémus. Ut ipsa.

LECTIO III.

Murenulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es : óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, diléçte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus : ligna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem digníssimam recolámus : * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Desponsatiónem devotíssime celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

LECTIO IV.

Ex Homilia 2. *de laudibus Virginis super* Missus est.

Oportebat a príncipe mundi aliquándiu celári divíni consílii Sacraméntum : non quod Deus, si palam opus suum fácere vellet, impedíri posse ab illo metúeret; sed quia ipse, qui non solum poténter, sed étiam sapiénter quæcúmque vóluit, fecit, sicut in ómnibus opéribus suis quasdam rerum vel témporum congruéntias propter órdinis pulchritúdinem serváre consuévit : ita in hoc quoque tam magnífico ópere suo, nostræ vidélicet reparatiónis, non tantum poténtiam suam, sed et prudéntiam osténdere vóluit.

℟. Desponsátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex

stirpe David, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie desponsáta est beáta Virgo María ex progénie David. Cujus vita.

LECTIO V.

Conveniens ergo erat, ut suáviter quoque ómnia, cœléstia scílicet et terréna dispóneret, quátenus et illinc dejíciens inquiétum, réliquos in pace firmáret; et hic debellatúrus ínvidum, nobis prius suæ humilitátis et mansuetúdinis valde necessárium exémplum relínqueret: sicque mirábili fíeret moderámine sapiéntiæ, ut et suis suávis, et hóstibus fortis apparéret.

℟. Cum jucunditáte Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. Ut ipsa.

LECTIO VI.

Quid enim prodésset diábolum a Deo vinci, nobis manéntibus supérbis? Necessário ígitur desponsáta est María Joseph, quando per hoc et a cánibus sanctum abscónditur, et a Sponso virgínitas comprobátur, et vírginis tam verecúndiæ párcitur, quam famæ providétur. Quid sapiéntius? quid dígnius divína providéntia? Uno tali consílio secrétis cœléstibus et admíttitur testis, et exclúditur hostis, et íntegra servátur fama Vírginis Matris.

℟. Desponsátio tua, Dei Génitrix virgo gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem; et, confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Ex te. Glória Patri. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Quare non de símplici, *ut in Vigilia Nativ. Domini*, p. 204.

℟. VII. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

℟. VIII. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima. * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Desponsatiónem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro S. Emerentiana Virg. et Mart. Lect. IX. *ut in Brev.* p. 471.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Desponsátio * gloriósæ Vírginis Maríæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica,* p. 17.

Ant. Desponsátio est hódie,* sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ant. Regáli ex progénie * María exórta refúlget; cujus précibus nos adjuvári mente et spíritum devotíssime póscimus.

Ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

Ant. Cum jucunditáte * Desponsatiónem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Desponsátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Bened. Ant. Desponsatiónem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

ORATIO.

Famulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium; Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. sancti Joseph Sponsi. B. M. V.

Ant. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio Sanctíssimæ, *ut supra,* p. 43*; *ac tandem Comm. S. Emerentianæ, ut in Brev.* 471.

IN II. VESPERIS.

Ant., Psalm., Cap., Hymnus et ℣. ut in I. Vesp.

Ad Magnif. Ant. Desponsátio tua, Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Fit Commem. S. Joseph.

Ant. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória, et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio Sanctíssimæ, *ut supra,* p. 43, *ac tandem Comm. S. Timothei ut in Brev.*, p. 471.

DIE I.

SANCTI AGRIPPANI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Duplex majus.

De Communi unius Mart.

Pridie Vesperæ de eo. Comm. præced.

ORATIO.

Deus, qui es ómnium sanctórum splendor mirábilis, da Ecclésiæ suæ de beáti Agrippáni, Mártyris tui atque Pontíficis, triúmpho lætári; ut quæ ejus prædicatióne flóruit et sánguine fœcundáta est, ejus contínuis adjuvétur intercessiónibus. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. A Miléto, *primo loco, de Comm. unius Mart.*, p. xxij.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Agrippanus, ex Velláviæ Epíscopis Martyr únicus, in Hispánia natus est. A pueritia, tum docilitáte, tum ingénio æquáles súperans plúrimum in doctrína profécit. Sæpe cum ad refectiónem suméndam a Magístro quærerétur, in templo invéntus est, ánimam longa et fervénti oratióne páscere studiósior. Matrimónium a paréntibus importúne propósitum fúgiens, clam Romam pétiit ubi ob exímiam pietátem et eruditiónem Mártino Summo Pontífici notus, ab eo Ecclésiæ Vellavórum Pastor est consecrátus.

LECTIO V.

Cum ígitur in Veláuniam venísset Agrippánus eam superstitiónibus gentílium adhuc inféctam, Ariíque et Helvídii erróribus contaminátam réperit. Advérsus hæc monstra, oratiónis et jejúnii armis accínctus, vino et carne omníno ábstinens, egrégius pastor, invícto ánimi róbore indefessáque constántia præliátus est. Deínde crebra verbi Dei prædicatióne confirmáre fidéles, pagános confúndere, hæréticos ad saniórem revocáre doctrínam non déstitit, multa vitæ discrímina perpéssus a quibus divínitus eréptus est.

LECTIO VI.

Romam ad Summum Pontíficem proféctus, cum inde ad suum ovíle redíret, vigésimo fere ab Aniciána civitáte milliário, in idolórum cultóres íncidit; cumque eórum ritus sacrílegos sevére argúeret, ab ipsis conjícitur in víncula; et post tres dies, excitánte loci Dómina gentíli, cum Ursícino fámulo suo martyriíque cómite, decollátus est. Sancti autem præsulis sacro cápite in vallem delápso, ibi contínuo fons prosiliísse nar-

rátur, cujus aqua sanándis póstea ægritudínibus et baptizándis plúrimis gentílibus adhíbita fuit. Ad ejus túmulum Christiáni sæpe in oratióne pernoctántes multa Dei benefícia sunt consecúti. Martyrio coronátus est sanctus præsul Kaléndis Februárii.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evangelium Si quis vult post me veníre, *secundo loco,* p. xxxiij. *De Comm. unius Mart.*

Vesperæ de Purificatione B. M. V. cum Commemor. S. Agrippani.

DIE II.

PURIFICATIONIS B. M. V.

Dupl. 2. cl. cum Octava quæ cessat occurr. Quadrag.

Ut in Breviario.

Infra Octavam, diebus non impeditis, omnia ut in die, servato ritu semiduplici, præter ea quæ sequuntur.

DIE III.

De Octava.

In I. Noct. Lect. de Script. occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni, Epíscopi.

Serm. 18. de Sanctis.

LECTIO IV.

Exultat María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu sancto se peperísse gaudet; nec quia péperit innúpta, terrétur; sed, quia genúerit, cum exultatióne mirátur. O fœmina super fœminas benedícta, quæ virum omníno non novit et virum suo útero circumdédit! Circúmdat virum María, Angelo fidem dando, quia Eva pérdidit virum serpénti consentiéndo. O Felix obediéntia! o insígnis grátia! quæ dum fidem humíliter dedit, cœli in se opíficem corporávit. Hinc proméruit glóriam quam ipse póstmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

LECTIO V.

O beata María, quis tibi digne váleat jura gratiárum ac laudum præcónia repéndere, quæ singulári tuo assénsu mundo succurrísti pérdito? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat, quæ solo suo commércio recuperándi adítum invénit? Accipe ítaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares, gratiárum actiónes; et, cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis et repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

LECTIO VI.

Sit per te excusábile, quod per te ingérimus; fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus, quia tu es spes única peccatórum.

Per te sperámus véniam delictórum, et in te, beatíssima, nostrórum est expectátio præmiórum. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, interchéni pro clero, intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Purificatiónem.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Orat. 7. inter 17. Decl. Patrum, circa med.

Tametsi Virgo nulla purgatióne egéret, áttamen, ne lex calcári viderétur, adduxérunt púerum Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Ubi corpóreæ expiatiónis méntio habétur, ibi lex Móysi tribúitur: ubi vero oblatiónis sanctæ, ibi sicut in lege Dómini scriptum est dícitur. Hoc autem discrímen ea de causa non constitúitur, quasi lex Móysis non sit lex Dómini. Quidquid enim Prophéta Spíritu sancto affiátus, de re quápiam dísserens, lóquitur, Dóminus súggerit: nihilóminus, quod expiátio corpóreum typum præ se ferret, Móysis sánctio appellátur.

LECTIO VIII.

Contra vero, quod omne primogénitum Dómino sisterétur, Evangelísta, quod primo ex útero natum erat honórans, secúndum legem Dómini sisti pérhibet. Sicut scriptum est in lege Dómini: Omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. Hoc decrétum, et hæc lex, tótaque decréti et legis rátio et causa ob eum pósita est, qui úterum apertúrus erat. Nulla enim sive brutórum animálium, sive hóminum primogénita compérta sunt umquam quæ aperírent vulvam: quare tantum primogénita erant. Quem autem Virgo péperit, is solus úterum apéruit.

Lect. IX. *de S. Blasio,* p. 496, *cujus fit Commem. in Laud.*

Vesperæ de seq., Comm. Octavæ et Fer. in Quadrag.

DIE IV.

B. JOANNÆ VALESIÆ,

REGINÆ, VIDUÆ.

Duplex.

De Comm. nec Virg. nec Mart., p. CVIII.

ORATIO.

Deus, qui ad imitándum beátæ Vírginis, Fílii tui Genitrícis, virtútes, novum per beátam Joánnam sacrárum Vírginum cœtum institui voluísti: ejus méritis precibúsque concéde; ut per eádem gradiámur virtútum exémpla. Per eúmdem Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

In Quadrag. Mulíerem fortem, *de Communi.* p. cx.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Joanna Valésia, Ludovíci Undécimi, Galliárum regis, fília, a téneris annis in omnem pietátem institúta ac propénsa, non obscúris futúræ sanctitátis indíciis contínuo cláruit. Quinquénnis, ferventíssimis précibus Deíparam Vírginem, quam semper miríﬁce cóluit, exoránti, ut quo ei placére magis posset obséquio, signiﬁcáret, prænuntiári sibi visa est fore aliquándo, ut novum sacrárum Vírginum Ordinem in ejúsdem Deíparæ honórem institúeret. Ludovíco, Aureliánénsium duci, nupta, summam in prósperis moderatiónem exhíbuit atque in advérsis constántiam. Ipso póstea in Galliárum regem assúmpto, ac nullo et írrito per Apostólicam Sedem eo declaráto conjúgio, id non solum æquíssimo ánimo tulit, sed gravi se vínculo solútam prædicans, libérius deínceps uni Deo famulári posse gratuláta est.

LECTIO V.

Bituricensis ducátus sibi a Ludovíco rege assignátos rédditus aléndis paupéribus, curándis ægrótis, ædiﬁcandísque monastériis profúse erogábat. In eam vero curam præsértim incúbuit, ut sacrárum Vírginum cœtum sub nómine Annuntiatiónis beátæ Vírginis Maríæ, quibus ejúsdem virtútes, certis régulis ab Alexándro Sexto approbátis, essent ad imitándum propósitæ, institúeret ac promovéret: quod ei felíciter cessit. Egénos ac míseros omnes ad se confugiéntes matérnæ charitátis complectebátur viscéribus, ægrótos in primis, quorum úlcera et sániem própriis mánibus térgere et contrectáre non refugiébat, restitúta non semel eo contáctu iísdem sanitáte.

LECTIO VI.

Singulari atque exímia erga sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum pietáte ferebátur: ad quod tanta accedébat lacrymárum vi, ut ejúsdem charitátis ac devotiónis sensus in adstántium ánimis excitáret. Dominícæ quoque passiónis mystéria pari recolébat afféctu: quare constrúcto intra doméstícum hortum Christi sepúlchro, ibi secedébat, idéntidem nudum pectus lápide tundens, atque in preces et lácrymas júgiter effúsa. Vitæ demum innocentíssime actæ

finem quadragenária præséntiens, sacris ómnibus Christiánæ religiónis mystériis rite piéque suscéptis, prídie Nonas Februárii, Bitúrici decéssit, anno millésimo quingentésimo quinto. Ejus corpus, quinquagésimo séptimo post óbitum anno, incorrúptum repértum, dum ab hæréticis milítibus ad cremándum raperétur, gémitus edidísse, et mucróne transfíxum, copióso sánguine manásse perhibétur. Ejus cultum Benedíctus Décimus Quartus Apostólica auctoritáte probávit, anno millésimo septingentésimo quadragésimo secúndo. Tandem Pius Sextus, ut in toto Gálliæ regno possit de beáta Joánna Valésia, anniversária ejus dormitiónis die, Offícium recitári ac Missa celebrári de Commúni nec Vírginis nec Mártyris indúlsit, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto, die vero Aprílis vigésima.

In III. Noct. Homilia in Evang. Símile est, *de Comm., primo* **loco**, p. cxvj.

IX. Lectio de Homilia et Comm. Feriæ in Laud., si celebretur in Quadrag.

Vesp. a Cap. de S. Agatha, Virg. et Mart., ut in Brev., p. 498, *cum Comm. B. Joannæ et Fer. in Quadrag.*

¶ *In hac die, quæ prima sedes est Feriæ quartæ Cinerum, præmittenda est nota hæc generalis.*

Intra Quadragesimam addenda semper erit tam in Vesperis quam in Laudibus Comm. Feriæ, cum IX. *Lect. in III. Noct.; Lectiones vero I. Noct. semper desumendæ erunt de Com., nisi designentur propriæ.*

DIE V.

SANCTÆ AGATHÆ,

VIRG. ET MART.

Ut in Breviario, p. 498.

Comm. Oct. in Laud.

Vesp. a Capit. de seq. In Hymno mutatur tertius versus. Comm. præc. Oct. et S. Dorotheæ, Virg. et Mart.

DIE VI.

S. ODILONIS,

ABBATIS.

Duplex.

(*E die* 1. *Januar. in Mart.*)

Omnia ut in Com. Conf. non Pont. Orat. de Abb., p. lxxiij.

In I. Noct. Lect. de Script. occ. In Quadrag. Lect. de Com. Conf. non Pont. Justus si morte, *primo loco.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

ODILO in Arvérnia nobílibus paréntibus natus, dum adhuc puer esset, tanto ómnium fere membrórum languóre constríctus est, ut incedéndi prorsus facultátem amisísse viderétur, sanctíssimæ Dei genitrícis ope mirabíliter curátus, primum in mártyris Juliáni Brivaténsi Ecclésia cléricus, deínde in civitáte Aniciénsi Abbas collegiátæ sancti

Evódii, tum famíliæ Cluniacénsi sub Abbátis Mayoli magistério nomen dedit, cui quarto post anno ad cœlum migránti, succéssor designátus est.

LECTIO V.

Jam vero in commíssi regíminis sollicitúdine ita in síngulis virtútibus visus est eminére, quasi cæteras non habéret; ita omnes retinére, ut nulla deésset. Divínæ dilectiónis prærogatíva donátum, quæ in perfectióne virtútum pónitur, ab hac étiam quæ depreheńditur in occasióne signórum, Deus servum suum exclúdi non volens, plúrima per eum mirabíliter operátus est in ægrórum sanatióne, aquæ in vinum mutatióne, flúminum siccis pédibus transmeatióne, ac animárum de purgatórii flammis ereptióne. In quarum adjutórium, commemoratiónem ómnium fidélium defunctórum, prima die post festum ómnium Sanctórum, primus in suis monastériis fíeri præcépit; quem ritum póstea universális Ecclésia recípiens comprobávit.

LECTIO VI.

In extrémis vitæ suæ per quinquénnium gravíssimis Cruciátibus afflíctus, cum jam mortem vicínam sentíret, sanctórum Apostolórum límina ádiit, ea spe, ut ibi sub protectióne tantórum Apostolórum débitum mortis exólveret, sicut semper in votis habúerat. Sed quia non est in hóminis potestáte via ejus, áliter se res hábuit quam sperá-verat; nam contra spem convaléscens, ad própria remeávit. Post annum explétum fratres suos ante mortem visitándi cúpidus, Sylviniácum venit, ubi mórtuus fúerat prædecéssor Mayolus et requiescébat; ibíque ab antíquis dolóribus captus, sumpto vivífici córporis et sánguinis mystério, pace frátribus data, et ad últimum salutífera cruce ad adorándum accépta, beátum spíritum Deo réddidit. Decéssit vir sanctus nocte Circumcisiónis Dómini nostri Jesu Christi, in prima vigília noctis, quæ étiam Domínica habebátur, ætátis suæ anno octogésimo séptimo, ordinatiónis vero, quinquagésimo sexto, anno Domínicæ Incarnatiónis millésimo quadragésimo nono.

In III. Noct. Homil. S. Hieronymi, Presbyt. in Evang., Dixit Petrus ad Jesum, *pro Abb., primo loco,* p. lxxxvii. *Lectio* ix. *de S. Dorothea ut in Breviario,* p. 503.

Ad Laudes Com. Oct. et S. Dorotheæ.

Vesp. a Capit. de seq. In Hymno mutatur tertius versus. Commem. præced. et Octav.

DIE VII.

S. ROMUALDI,

ABBATIS.

Duplex.

Ut in Breviario, p. 503.

Ad Laud. Com. Oct.

Vesp. a Capit. de seq. In Hymno mutatur tertius versus, Commem. præced. et Oct.

DIE VIII.

S. JOANNIS DE MATHA, CONFESSORIS.

Duplex.

Ut in Breviario, p. 504.

Ad Laudes Com. Oct.

Vesp. de seq. ut in I. Vesp. Festi. Commemorat. præced. et S. Apolloniæ, Virg. et Mart., ut in Breviario, p. 506.

DIE IX.

OCT. PURIFICATIONIS B. M. V.

Duplex.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

De Expositióne sancti Gregórii, Papæ, in Libro Regum.

LECTIO IV. *I. Reg. Cap.* 1.

FUIT vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nómine beatíssima semper Virgo María Dei génitrix designári. Mons quippe fuit, quæ omnem eléctæ creatúræ altitúdinem electiónis suæ dignitáte transcéndit. Annon mons sublímis Maríæ quæ ut ad Conceptiónem ætérni pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros usque ad sólium Deitátis crescet? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait : Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes sanctos refúlsit.

De Epístola sancti Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam.

LECTIO V. *Epist.* 13.

SACRAMENTUM reconciliatiónis nostræ ante témpora ætérna dispósitum nullæ implébant figúræ; quia nondum supervénerat Spíritus sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, Creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem, et consubstantiális Patri consubstantiális esse dignarétur et Matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret, sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

De Expositióne sancti Basílii Epíscopi in Isaíam Prophétam.

LECTIO VI. *In Cap.* 8.

ACCESSI, inquit, ad prophetíssam, et in útero accé-

DIE VI.

SANCTI TITI.

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

[illegible]

De Communi Conf. Pont.
[illegible]

ORATIO.

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque Pontificem apostolicis virtutibus decorasti: ejus meritis et intercessione concede; ut juste et pie viventes in hoc sæculo, ad cælestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum.

Comm. præced.
In I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Titus Cretensium Episcopum vix. Pauli Apostoli verbo, christianæ fidei sacramentis, mysteriisque exculptum, ea sanctitatis luce Ecclesiæ tunc vagienti effulsisse compertum est, ut inter ejusdem Doctoris Gentium discipulos meruerit cooptari. Adscitus in partem oneris prædicationis, adeo evangelizandi ardore, et fidelitate Paulo exstitit charus, ut ipse cum venisset Troadem propter Evangelium Christi, testatus sit [illegible] habuisse requiem spiritui [illegible] quod Ti[illegible] non [illegible] Et [illegible]

[illegible]

LECTIO V.

[illegible] verbo seminavit [illegible] Crucis trophæo cum [illegible] duce Paulo Cretæ insulam [illegible] Cum porro hujus [illegible] siæ Episcopus ab ipso Apostolo delectus esset, dubitandum non est, quin in eo munere ita versatus sit, ut juxta Pauli præceptoris monita ipsum præbuerit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

LECTIO VI.

Itaque tanquam lucerna inter eos, qui in idololatriæ et mendaciorum tenebris, veluti in umbra mortis sedebant,

pit, et péperit fílium. Quod María prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per prænotiónem Spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophético affláta Spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis, non útique contentióse negáveris eam fuísse prophetíssam, quod Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VI. *Cap.* 2.

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnnis Chrysóstomi.

Ex Orat. 7. *inter* 17. *Declam. Patrum circa medium.*

Lumen ad revelatiónem Géntium. Cur lumen? Quia Gentes in ténebris versabántur, et quia rursum obscuráta utrísque peccatórum ténebris obdúcta, per illud lustránda et expiánda erant. Et glóriam plebis tuæ Israel. Hic glória, illic revelátio. Hic doctrínæ inítium, illic disciplínæ persecútio. Ast, objíciet hic fortásse quíspiam: Dic, quæso, ubínam sunt Israelítæ? Ecce habes Petrum, habes Paulum, habes Joánnem, habes tria míllia, habes quinque míllia, habes Ecclésiam Hierosolymitánam, habes eos prætérea Judæos, qui inter Gentes dispérsi fidem suscepérunt.

LECTIO VIII.

Itaque asservabátur in pópulo illo fídei semen, neque simul univérsus pessumivit, absit, neque simul omnes Judæi in intéritum ruérunt, sed plúrimi; neque id mirum. Nam et nunc quoque, in felíci hac rerum constitutióne beatáque vocatióne, multi quidem sunt vocáti, pauci vero elécti. Non totus ítaque pópulus ille simul intériit, non totus depravátus est, non totus in infidelitáte permánsit, non totus persecútus est Apóstolos. Credidérunt enim per Apóstolos simul tria míllia, extra mulíeres et párvulos, et facta est Hierosólymis Ecclésia ádmodum numerósa.

Lectio IX. *de S. Apollonia* p. 507, *cujus Comm. in Laud.*

In II. Vesperis Commem. S. Scholasticæ, Virg. ut in Breviario, p. 507.

DIE XI.
SANCTI TITI,
EPISCOPI, CONFESSORIS.

Duplex.

(E 4. Januarii.)

De Communi Conf. Pontif. Pridie a Capit. de eo.

ORATIO.

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti : ejus méritis, et intercessióne concéde; ut juste et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Comm. præced.

In I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Titum Creténsium Epíscopum vix, Pauli Apóstoli verbo, christiánæ fídei sacraméntis, mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiæ tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris Géntium discípulos merúerit cooptári. Adscítus in partem óneris prædicatiónis, ádeo evangelizándi ardóre, et fidelitáte Paulo éxtitit charus, ut ipse cum venísset Tróadem propter Evangélium Christi, testátus sit non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedóniam petens, rursus suam in eum charitátem ita éxprimit : Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

LECTIO V.

Quamobrem Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quæ præsértim de Fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiæ Hebræórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, æmulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus instítuit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter Gentes linguis locísque distínctas divíni verbi semen, plúribus terra caríque itinéribus reléctis, magnáque ánimi firmitáte pro Crucis trophæo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Cretæ ínsulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiæ Epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut juxta ípsius Pauli præceptóris mónita seípsum præbúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

LECTIO VI.

Itaque tanquam lucérna inter eos, qui in idololátriæ et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis sedébant,

religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut Crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum et diérum plenus quarto supra nonagésimum anno, prídie Nonas Januárii, pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclésia, ubi ab Apóstolo Miníster fúerat constitútus. Hujus nomen a sancto Joánne Chrysóstomo, et a sancto Hierónymo præcípue commendátum, Martyrológio Románo eádem die inscríptum légitur; verum pro ejus die festo cum Offício et Missa in cathólico Orbe recoléndo ab utróque Clero, primam insequéntem diem líberam Summus Póntifex Pius Nonus assignávit.

In III. Noct. de Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Designávit Dóminus., *de Com. Evangelist. cum Respons. de Com. Conf. Pont.*, p. xix.

Vesperæ a Capit. de seq. Com. præced.

DIE XII.
SANCTI FABIANI,
PAPÆ ET MART.

Duplex.

(*E die* 20. *Januarii.*)

De Comm. unius Martyris, p. xx.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Fabianus post mortem sancti Antéri, qui Románam sedem mensis unius spátio ténuit, ad Pontificátum, præter ómnium expectatiónem, divínitus vocátus est. Nam, ut narrat Eusébius, cum de electióne Románi Pontíficis agerétur ac nemo de Fabiáno cogitáret, colúmba e sublími delápsa, repénte cápiti ejus insedísse fertur; quo spectáculo permóti omnes simul exclamáre cœpérunt Fabiánum dignum esse, statímque Pontificáli Cáthedræ imposuérunt.

LECTIO V.

A Maximino ígitur usque ad Décium regens Ecclésiam, septem Diáconis regiónes divísit, qui páuperum curam habérent; tótidem Subdiáconos creávit qui res gestas Mártyrum a septem notáriis scriptas collígerent. Idem státuit ut quotánnis féria quinta in cœna Dómini, véteri combústo, chrisma renovarétur. Per lítteras ácriter reprehéndit Privátum hæréticum, in Concílio nonagínta Episcopórum Africanórum ob multa et grávia delícta condemnátum.

LECTIO VI.

Ad ipsum Orígenes epístolam de sua fide conscrípsit. Dénique in persecutióne Décii martyrio coronátus, in cœmetério Callíxti via Appia sepelítur, cum sedísset annos quindecim, dies quátuor, de cujus agóne sanctus Cypriánus per Epístolam Cleri Románi cértior factus sic rescrípsit : Plúrimum grátulor quod ejus

memóriam tam célebri et illústri testimónio prosequámini ut et per vos innotésceret nobis quod et vobis esset circa propósiti memóriam gloriósum, et nobis quoque fídei ac virtútis præbéret exémplum. Hic fecit ordinatiónes quinque mense Decémbri, quibus creávit presbyteros vigínti duos, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca úndecim.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ, primo loco, in Evang. Si quis venit ad me, p. xxviij.

Vesperæ a Capit. de seq. Commem. præcedentis.

DIE XIII.

SANCTI IGNATII,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

(*E die* 1. *hujus.*)

Ut in Breviario, p. 488.

In II. Vesp. A Capit. de S. Pauliano. Comm. præced. et S. Valentini, Presb. et Mart., ut in Breviario, p. 509.

DIE XIV.

SANCTI PAULIANI,

EPISCOPI ANICIENSIS ET CONF.

Duplex.

De Comm. Conf. Pont.

ORATIO.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui beátum Pauliánum Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præérat verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cápiant et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Paulianus Episcopus Ecclésiæ Velaunórum præfuit cum Vétula cívitas nondum transláta sede præfulgéret. Hanc Ecclésiam persecutiónum procéllis pene attrítam apostólica virtúte ac ómnibus pastorális stúdii offíciis felíciter instaurávit; demúmque idolórum cultu ferme deléto, firmitérque stabilíta Christi religióne, beáto fine quiévit.

LECTIO V.

Morte sublátus Pauliánus eo in óppido cónditus est quod ab ipso nomen habet, tum Vétulæ civitátis, tum Ruéssii appellatióne relícta. Tanta enim laude perfúnctus fúerat múnere pastoráli, et tanta sanctitátis fama regiónem impléverat, ut mox ab óbitu ejus ad sepúlchrum undequáque concúrsus fíeret. Cum autem per mirácula innúmera Deus annúeret piis visitántium votis, hinc a sancto Antístite nobilitáta cívitas ejus nomen retínúit.

LECTIO VI.

Eodem in óppido templum olim sub sancti Pauliáni invocatióne dicátum fúerat, et título parochiális Ecclésiæ in-

signítum, ubi sacra ejus pígnora asservabántur cum relíquiis sanctórum Valentíni et Albíni, in lapídea cápsula sub altári príncipe collocáta. In lugénda autem Galliárum perturbatióne sub finem sæculi décimi octávi, dirútum fuit templum, confráctaque cápsula : súperest tamen unum ex sanctíssimi præsulis óssibus, quod nunc in Ecclésia sancti Geórgii ejúsdem urbis multa veneratióne cólitur. Agitur ab antiquíssimis tempóribus die décima quarta Februárii sancti Pauliáni anniversária solémnitas.

In III. Noct. Hom. in Evang. Vigiláte, *S. Hilarii, Episc., secundo loco,* p. lxv. *IX. Lect. de S. Valentino, ut in Brev., cujus Comm. in Laud.,* p. 509.

In II. Vesp. a Capit. de seq. Comm. præc. et SS. Faustini et Jovitæ, Martyrum, p. 509.

DIE XV.

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISC. ET CONF.

Duplex.

(*E die* 4. *hujus.*)

Ut in Brev. p. 496. *In III. Noct.* IX. *Lectio, et in Laudibus Commem. SS. Faustini et Jovitæ Mart.,* p. 509.

Vesperæ de eodem cum Commem. sequentis.

DIE XVI.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT,

CONFESSORIS.

Semiduplex.

E die 23. *Januarii, ut in Breviario hac die,* p. 469.

MENSE MARTIO.

DIE VI.

SANCTÆ COLETÆ,

VIRGINIS.

Duplex.

De Communi Virginum.

Pridie Vesp. de ea.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui beátam Colétam Vírginem tuam cœléstibus donis cumulásti : tríbue, quæsumus, ut, ejus virtútes æmulántes in terris, ætérnis gáudiis cum ipsa perfruámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Picardiæ cívitas, Corbéia, diœcésis Ambianénsis, sanctæ Colétæ natálibus ex matre stérili et sexagenária illústris effécta est. Hæc ab ineúnte ætáte cœpit ardéntius cólere offícia charitátis, ita ut quidquid habéret hiláriter paupéribus elargirétur. Oratióni assídue vacans perféctam vitam auspicabátur, ténerum corpúsculum áffligens jejúniis, carnem spirítui subjíciens, caténa férrea cilicióque nunquam aut raro depósitis, humi cubans cum brevi somno ex necessitáte

indulgéret. Ita donis spirituálibus inhiábat, cætera réspuens, ut repetítis précibus a Dómino impetráverit venustátem oris sibi in térreum colórem mutári, damnum córporis ánimæ lucrum repútans. A dæmónibus frequénter lacessíta, vulneribúsque toto córpore laceráta, impénsius ad Dei grémium confugiébat, ita ut sæpe in éxtasim rapta Angelórum visióne et collóquio recrearétur.

LECTIO V.

Facultatibus inter páuperes distribútis tértii Franciscáni órdinis régulam proféssa, mox ad restaurándam Clarissárum disciplínam plúribus in locis collápsam a Deo multis modis admónita, destinári se cognóvit. Sedem ítaque Apostólicam ádiit et suscépto reformatiónis mandáto tantum opus in váriis regiónibus aggréssa est, et felíciter adimplévit. Sub præsule Guillélmo Anícium venit, ibíque Moniálibus sanctæ Claræ domum cóndidit, quam fundávit Cláudia de Rossilónio Armándi vice cómitis de Podemniáco vídua, sóciam se piæ famíliæ adjúngens. Ecclésia solémni ritu consecráta, sancta Coléta cum séxdecim Soróribus ab Epíscopo, canónicis ac primáriis cívibus dedúcta est in novum monastérium quod ipsa rexit per biénnium. Extat etiámnum céllula quam incóluit, quæ, in oratórium mutáta, crebro pie invísitur.

LECTIO VI.

Cum deínde summo stúdio antíqua monastéria reformáre et nova institúere pérgeret, advérsa plúrima sustínuit et humilitáte ac patiéntia devícit. Paupertátem Christi in primis deperíbat, cæteróquin áliis ómnibus præfúlgens virtútibus. Dono étiam prophétiæ illústris, ábdita Dei mystéria, divínitus edócta, penetrávit ut de his altíssime disséreret. Multis tandem et máximis patrátis miráculis, morte sua ante biénnium præcógnita, Soróres ad regulárem disciplínam hortáta est, et, ómnibus muníta sacraméntis, Gándavi in Flándria, obdormívit in Dómino, prídie Nonas Mártii, versus médium sæculi a virgíneo partu décimi quinti. Ibidem servántur ejus relíquiæ in monastério quod extrúxerat et assídua fidélium veneratióne colúntur. Pius autem, Papa Séptimus, ineúnte sæculo décimo nono, novis ríteque probátis prodígiis coruscántem solémni pompa Sanctórum catálogo Colétam adscrípsit.

In III. Noct. Homilia S. Gregorii, Papæ, in Evang. Símile erit decem virgínibus, *primo loco*, p. cj.

In II. Vesp. a Capit. de seq. scilicet, de S. Thoma, ut in Breviario, p. 519.

FESTA MOBILIA

DOM. ULTIMA POST EPIPH.

FESTUM. PURISSIMI CORDIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. et Cap. de Laud.

Psalmi ut in Festis B.M. V.

Hymnus. Ave, maris stella. *p.* cxlix, *ibid.*

℣. Exúlta in omni corde, fília Jerúsalem. ℟. Rex Israel Dóminus in médio tui.

Ad Magnif. Ant. Exultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

ORATIO.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in corde Beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum.

Fit Comm. Dominicæ.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave, María, grátia plena, * Dóminus tecum.

Psalm. Veníte, exultémus Dómino, *p.* 2.

Hymn. Quem terra, pontus, *p.* cxlix, *in Fest. B. M. V.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Ant. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est. ℟. Ut locútus est diléctus.

De Cánticis Canticórum.

LECTIO I. *Cap.* 4.

Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! óculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea lábia tua; et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui.

Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus. Tu autem.

℟. Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : lætétur cor meum * Ut tímeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. Ut tímeat.

LECTIO II. *Cap.* 5.

Veni in hortum meum, soror mea, sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis : cómedi favum cum melle meo, vox dilécti mei pulsántis. Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea, quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi ut aperírem dilécto meo, manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo, at ille declináverat atque transiérat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est. Tu autem.

℟. In Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo : Deus Dóminus fortitúdo mea, * Super excélsa dedúcet me. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Super.

LECTIO III. *Cap.* 5 *et* 6.

Qualis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? Quo declinávit diléctus tuus? Et quærémus eum tecum. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ et beatíssimam prædicavérunt, et Regínæ laudavérunt eam. Tu autem.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, * Qui consolátus es me et locútus es ad cor ancíllæ tuæ. ℣. In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis. Qui consolátus. Glória Patri. Qui consolátus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit poténtiam in bráchio suo; dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

LECTIO IV.

Ex Serm. 9. de Visitatione.

Quis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis genitríce quidquam módicum sive grande præsúmat pollútis lábiis nomináre : quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem digníssimam, Fílius elégit in matrem, Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virgínei cordis, sanctíssimo ore prolátos éfferam, quibus non súfficit lingua ómnium hóminum, et étiam angelórum? Dóminus enim ait : Bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa quæ méruit éffici mater Dei, quæ in corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo Cor Vírginis ardens erat? Tu autem.

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me; mecum sunt divítiæ et glória : * Opes supérbæ et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam. Opes.

LECTIO V.

De hoc ígitur corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ charitátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno non potest exíre nisi óptimum vinum : aut sicut a fornáce summi ardóris non expéditur nísi incéndium fervens; sic de Corde Matris Christi exíre non pótuit verbum nisi summi summéque divíni amóris atque ardóris. Septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elisabeth, bis étiam. Cum Fílio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine proláta, quasi sicut septem flammæ Cordis ejus. Tu autem.

℟. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis. * In me omnis spes vitæ et virtútis. ℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. In me omnis spes.

LECTIO VI.

Quæ verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, id est ómnibus áffectiónibus elóquia tua! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus

ígitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedíctæ. Prima est flamma amóris separántis; secúnda, amóris transformántis; tertia, amóris communicántis; quarta, amóris jubilántis; quinta', amóris soporántis; sexta, amóris compatiéntis; séptima amóris consummántis. Tu autem.

℟. Beátus homo qui audit me et qui vígilat ad fores meas quotídie et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam: omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Qui me. Glória Patri. Qui me.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Ant. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Ant. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ.

℣. Ego diIécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

In illo témpore: Dixit Mater Jesu ad illum, Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ, Presbyteri.

In Hom. Hiem. de Temp. Dom. I. post Epiph.

Mater ejus, inquit Evangelísta, conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Omnia quæ de Dómino vel a Dómino dicta, sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in corde retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus prædicándæ sive scribéndæ incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri in corde conservándo. Tu autem.

℟. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem: * Neque flúmina óbruent eam. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Neque.

LECTIO VIII.

Horum Dómini verbórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus: horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis et male dulcorátis detractiónum collóquiis castigáre, atque ad divínæ frequén-

tiam laudis accéndere curémus. * Si enim, fratres charíssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, sollícite præmonstrémus: frequentándo vidélicet Ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quæ ad laudem gloriámque Conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo. Tu autem.

℟. Spíritus meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Qui audit me, non confundétur: * Et qui operántur in me, non peccábunt. ℣. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Et qui. Glória Patri. Et qui.

Lectio IX. *de Homilia Dominicæ occurrentis, sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc Lectio* IX. *incipiet ab asterisco posito supra Lectione* VIII.

Te Deum Laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Trahe me * post te; currémus in odórem unguentórum tuórum.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica,* p. 17.

Ant. Diléctus meus * lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea.

Ant. Fulcíte * me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo.

Ant. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis diléctam quoadúsque ipsa velit.

Ant. Ego dormio * et cor meum vigílat.

CAPITULUM. *Cant. Cap.* 8.

Pone me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum.

Hymnus. O gloriósa Vírginum, *p.* clviij, *in Fest. B. M. V.*

℣. Qui me invénerit, invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Bened. Ant. Extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti !

ORATIO.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum.

Fit Comm. Dominicæ.

AD PRIMAM.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad Absolutionem Capituli

Lectio brevis. In omni terra, *ut infra ad Nonam.*

AD TERTIAM.

Ant. Diléctus meus.

Cap. Pone me ut signáculum.

℟. *br.* Anima mea * Liquefácta est. ℣. Ut locútus est diléctus meus. Liquefácta est. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

AD SEXTAM.

Ant. Fulcíte.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram; ego feci in cœlis, ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est * Ut mors diléctio. Fortis. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio. Ut mors. Glória Patri. Fortis est.

℣. Ego diléctο meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM.

Ant. Ego dórmio.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

In omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor.

℟. *br.* Ego * Dilécto meo. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus. Dilécto meo. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit, inveniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis præter:

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri. ℟. Cum dilatásti cor meum.

Ad Magnif. Ant. Exultávit Cor meum in Deo salutári meo,* quia fecit mihi magna qui potens est.

Oratio ut in Laudibus et fit Commem. Dom. occ.

FERIA TERTIA.

POST DOM. SEPTUAGESIMÆ.

ORATIONIS D. N. J. C.

IN MONTE OLIVETI.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi de Dom., et loco ult. Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes, *p.* 127.

HYMNUS.

Aspice ut Verbum Patris a supérnis
Sédibus clemens, et amóre flagrans,
Pérditis culpa génitis medéri
Pergit Adámi.

Flébilem mundi míserans ruínam,
Et volens nostros reparáre casus,
Orat, et prona véniam precátur
Fronte Magíster.

Flúctuat secum tot acérba volvens:

Hunc, ait supplex, cálicem dolóris,
Mi Pater, transfer; tua sed volúntas,
Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Déficit languens Dóminus : per artus
Sánguinis sudor fluit, atque guttis
Terra madéscit.

At celer summo véniens Olympo
Angelus Jesum récreat jacéntem,
Córporis vires rédeunt, novóque
Róbore surgit.

Laus, honor Patri genitæque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus atque virtus
Omne per ævum. Amen.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnif. Ant. Pósitis génibus, orábat, dicens : Pater, si vis, transfer cálicem istum a me : verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Jesum, in monte Olivárum orántem, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymnus Aspice, *supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ante oratiónem præpara ánimam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Psalm. 16. Exáudi... justítiam, *Dom. II. Noct.*, p. 10.

Ant. Non impediáris oráre semper, et ne vereáris usque ad mortem justificári.

Ps. 27. Ad te, Dómine, clamábo, *Fer. II. ad Mat.*, p. 47.

Ant. Omnia quæcúmque petiéritis in oratióne, credéntes accipiétis.

Psalm. 76. Voce mea, *Fer. V. ad Matut.*, p. 88.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

De libro Tobíæ.

LECTIO I. *Cap.* 12.

Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere, quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quæ purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te.

℟. In ómnibus grátias ágite : * Sine intermissióne oráte.

℣. Hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Sine.

De Epístola beáti Jacóbi, Apóstoli.

LECTIO II. *Cap.* 5.

Orate pro ínvicem, ut salvémini; multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte, et convérterit quis eum, scire debet, quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus a morte, et opériet multitúdinem peccatórum.

℟. Cum stábitis ad orándum, * Dimíttite, si quid habétis advérsus áliquem. ℣. Ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimíttat vobis peccáta vestra. Dimíttite.

De Epístola beáti Pauli, Apóstoli, ad Hebræos.

LECTIO III. *Cap.* 5.

Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu: ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces supplicationésque ad eum qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est, obediéntiam, et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit. ℣. Clamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine. Dóminus. Glória Patri. Dóminus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Cum orátis, non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Psalm. 42. Júdica me, *Fer. III. ad Laud.*, p. 69.

Ant. Tu autem, cum oráveris, intra in cubículum tuum, et, clauso óstio, ora Patrem tuum in abscóndito.

Psalm. 63. Exáudi, *Fer. IV. ad Mat.*, p. 76.

Ant. Factum est autem in illis diébus, éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

Psalm. 120. Levávi, *Fer. II. ad Vesp.*, p. 127.

℣. Pater mi, si possíbile est.
℟. Tránseat a me calix iste.

Ex Tractátu sancti Cypriáni, Epíscopi et Mártyris.

In Oratione Dominica.

LECTIO IV.

Nec verbis tantum, sed et factis Dóminus oráre nos dócuit, ipse orans frequénter, et déprecans, et quid fácere nos oportéret, exempli sui contestatióne demónstrans, sicut scriptum est : Ipse autem fuit secédens in solitúdinem, et adórans. Et íterum : Exívit in montem oráre, et fuit pernóctans in oratióne Dei. Quod si ille orábat, qui sine peccáto erat, quanto magis peccatóres opórtet oráre? Et si ille per totam noctem júgiter vígilans contínuis précibus orábat, quanto nos magis in frequentánda oratióne debémus nocte vigiláre? Orábat autem Dóminus, et rogábat, non pro se (quid enim pro se ínnocens precarétur?); sed pro delíctis nostris, sicut et ipse declárat, cum dicit ad Petrum : Ecce Sátanas expetívit, ut vos vexáret quómodo tríticum : ego autem rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Et póstmodum pro ómnibus Patrem deprecátur, dicens : Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis qui creditúri sunt per verbum ipsórum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce Sátanas expetívit, ut vos cribráret sicut tríticum : * Ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua. ℣. Et tu aliquándo convérsus, confírma fratres tuos. Ego.

Ex Commentáriis sancti Ansélmi, Epíscopi.

In Epist. ad Hebræos. Cap. 5.

LECTIO V.

Sicut verus Póntifex óbtulit preces; nam in Evangélio sæpe légitur orásse, et máxime apud Lucam, quí Sacerdótis in eo descrípsit persónam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicatiónes fuérunt pro homínibus. Tota vita sua Patrem orávit de resurrectióne carnis suæ ac de nostra salúte, et instánte jam passióne, óbtulit supplicatiónes, id est, humíllimas et instantíssimas oratiónes, cum summa devotióne cordis et affectióne, quando factus in agónia, prolíxius orábat, et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et has preces supplicationésque óbtulit, id est, óbviam tulit Patri per exauditiónem sibi obviánti. Obtulit eas ad eum qui posset illum a morte salvum fácere, id est, resuscitáre; ad eum quem scivit esse sufficiéntem ut salváret eum, id est, immortálem et impassíbilem fáceret eripiéndo a morte, ut nec ánima remanéret in inférno, nec caro putrésceret in sepúlchro.

℟. Orátio humiliántis se nu-

bes penetrábit, * Et donec propínquet, non consolábitur. ℣. Et non discédet, donec Altíssimus áspiciat. Et.

LECTIO VI.

Et óbtulit has cum clamóre válido, id est, cum intentióne piæ devotiónis vehementíssima et efficacíssima, ut quando prolíxius orábat, et étiam cum lácrymis, quia in illa prolíxa oratióne credéndus est lácrymas effudísse, cum et guttæ sánguinis pro sudóre decúrrerent ab ejus córpore, et exaudítus est, quia, quod quæsíerat, accépit in resurrectióne. Exaudítus est, id est, extra númerum aliórum ómnium audítus est, quóniam super omnem creatúram, post labóris sui milítiam, a Patre sublimátus est, et hoc pro sui reveréntia, id est, secúndum hoc quod ipse, sicut Dei Fílius, dignus est reveréntia et veneratióne, vel pro sua reveréntia in Deum, id est, propter quod ipse super ómnia Patrem revéritus est et honorávit : sive pro sua reveréntia, id est, sicut sua relígio méruit. Sánguinis quoque ejus effúsio potest intélligi clamor válidus, in quo exaudítus est pro sua reveréntia ejúsdem passiónis. Reveréntia est, quod sine peccáto passus est sola charitáte.

℟. Fiant aures tuæ auscultántes, et óculi tui apérti, * Ut áudias oratiónem servi tui. ℣. Quam ego oro coram te hódie nocte ac die. Ut. Glória Patri. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Tribulátio et angústia invenérunt me : mandáta tua meditátio mea est.

Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt, *Dom. I. Noct.*, p. 4.

Ant. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolarétur, et non invéni.

Psalm. Usquequo, Dómine, *ibid.*, p. 8.

Ant. Adhæsit paviménto ánima mea : vivífica me secúndum verbum tuum.

Psalm. Dómine, Deus salútis meæ, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 99.

℣. Vigiláte et oráte. ℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VIII. *Cap.* 22.

In illo témpore : Egréssus Jesus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et réliqua.

De Homilía sancti Ambrósii, Epíscopi.

Lib. 10. *Comment. in Luc. Cap.* 22.

Transfer a me cálicem istum : quasi homo mortem recúsans, quasi Deus senténtiam suam servans. Opórtet enim mori nos sæculo, ut re-

surgámus Deo, ut, juxta divínam senténtiam, lex maledictiónis resolúta in terræ limum, natúræ fine solvátur. Quod autem ait : Non mea volúntas, sed tua fiat, suam ad hóminem rétulit, Patris ad divinitátem. Volúntas enim hóminis temporális, volúntas divinitátis ætérna. Non ália volúntas Patris, ália Fílii. Una enim volúntas, ubi una divínitas. Disce tamen Deo esse subjéctus, ut non, quod ipse vis, éligas; sed quod Deo scias esse placitúrum.

℟. Veni in altitúdinem maris, * Et tempéstas demérsit me. ℣. Salvum me fac, Deus, quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. Et.

LECTIO VIII.

Deinde verbórum ipsórum proprietátem considerémus. Tristis est, inquit, ánima mea. Et álibi : Nunc ánima mea turbáta est valde. Non ergo suscípiens, sed suscépta turbátur. Anima enim obnóxia passiónibus, divínitas líbera. Dénique spíritus promptus, caro autem infírma. Tristis autem est non ipse, sed ánima. Non est tristis sapiéntia, non divína substántia, sed ánima. Suscépit enim ánimam meam, suscépit corpus meum. Non me feféllit, ut áliud esset, et áliud viderétur. Tristis videbátur, et tristis erat, non pro sua passióne, sed pro nostra dispersióne,

℟. Intret in conspéctu tuo orátio mea : * Inclína aurem tuam ad precem meam. ℣. Quia repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit. Inclína. Glória Patri. Inclína.

LECTIO IX.

Denique ait : Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis. Tristis erat, quia nos párvulos relinquébat. Cæterum quam constánter se morti obtúlerit, consequéntia declárant, quandóquidem quæréntibus occúrrit, turbátos confirmávit, trépidos provocávit, proditórem ósculi dignatióne suscépit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutóribus suis, quos sciébat immánis sacrilégii pœnas datúros. Et ídeo dixit : Transfer hunc cálicem a me. Non quia Deus, Dei Fílius, mortem timébat, sed quia nec malos pro se períre volébat.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Venit Jesus * cum discípulis suis in villam, quæ dícitur Gethsémani, et dixit illis : Sedéte hic, donec vadam illuc, et orem.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dom.*

Ant. Et assúmpto Petro, * et duóbus fíliis Zebedæi, cœpit contristári et mœstus esse,

Ant. Tunc ait illis : * Tristis est ánima mea usque ad mortem : sustinéte hic, et vigiláte mecum.

Ant. Et progréssus pusíllum, procídit in fáciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste.

Ant. Pater mi, * si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum, fiat volúntas tua.

CAPITULUM. *Matth.* 26.

VENIT Jesus ad discípulos suos, et invénit eos dormiéntes, et dicit Petro : Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

HYMNUS.

VENIT e Cœlo Mediátor alto,
Quem sacri dudum cecinére vates :
Parce mœróri lacrymísque amáris,
Fília Sion.

Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodívit : novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Pérmanet orans.

Víndicem placat Genitóris iram :
Réprimit forti jaciénda dextra
Fúlmina : occúrrit scéleri expiándo
Sponte Redémptor.

Sic teret duros láqueos Avérni,
Et diu clausam reserábit aulam,
Nos ad ætérna révocans beáti
Gáudia regni.

Laus, honor Patri genitæque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paráclito decus atque virtus
Omne per ævum.
Amen.

℣. Doce nos oráre. ℟. Sic ergo vos orábitis.

Ad Bened. Ant. Factus in agónia, prolíxius orábat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

ORATIO.

DOMINE Jesu Christe, qui in horto, verbo et exémplo, nos oráre docuísti ad tentatiónum perícula superánda : concéde propítius; ut, nos oratióni semper inténti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis.

AD TERTIAM.

Ant. Et assúmpto Petro.

Capit. Venit Jesus.

℟. *br.* Tristis est * Anima mea. Tristis. ℣. Usque ad mortem. Anima. Glória Patri. Tristis.

℣. Pater mi, si possíbile est. ℟. Tránseat a me calix iste.

AD SEXTAM.

Ant. Tunc ait illis.

CAPITULUM. *Luc.* 21.

VIGILATE ítaque omni témpore orántes, ut digni ha-

beámini fúgere ista ómnia quæ futúra sunt, et stare ante Fílium hóminis.

℟. *br*. Pater mi, * Si possíbile est. Pater. ℣. Tránseat a me calix iste. Si. Glória Patri. Pater.

℣. Vigiláte et oráte. ℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

AD NONAM.

Ant. Pater mi.

CAPITULUM. *Matth*. 5.

ORATE pro persequéntibus et calumniántibus vos, ut sitis fílii Patris vestri, qui in cœlis est.

℟. *br*. Vigiláte * Et oráte. Vigiláte. ℣. Ut non intrétis in tentatiónem. Et. Glória Patri. Vigiláte.

℣. Factus est sudor ejus, ℟. Sicut guttæ sánguinis.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in I. præter ult. Psalmum, cujus loco dicitur Psalm. Crédidi, *p.* 127. *Feriæ II. ad Vesp.*

℣. Factus est sudor ejus. ℟. Sicut guttæ sánguinis.

Ad Magnif. Ant. Ecce appropinquávit hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum.

FERIA TERTIA.

POST DOMINICAM SEXAGESIMÆ.

COMMEMORATIO SS. PASSIONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Psalm. Crédidi, *Feriæ II. ad Vesp.*, p. 127.

Ant. Cum his qui odérunt pacem, erant pacíficus : dum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Psalm. Ad Dóminum, cum tribulárer, *ibid.*, p. 127.

Ant. Ab homínibus iníquis líbera me, Dómine.

Psalm. 139. Eripe me, *Feriæ VI. ad Vesp.*, p. 139.

Ant. Custódi me a láqueo quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniquitátem.

Psalm. Dómine, clamávi ad te., *ibid*, *p*. 139.

Ant. Considerábam ad déxteram, et vidébam, et non erat qui cognósceret me.

Psalm. 141. Voce mea, *ibid.*, p. 140.

Capit. ut in Laudibus.

HYMNUS.

MŒRENTES óculi, spárgite lácrymas,
Et luctu résonent íntima córdium :
Illátas réfero Númini ab ímpiis
Pœnas, et fera vúlnera.

Accíncta, heu ! gládiis turba satéllitum
Arréptum Dóminus fústibus ímpetit :
Nunc cædit cólaphis : nunc quatit hórridis
Divínum caput íctibus.

Haud finis scéleri : tráditur ímprobo

Christus carnífici; nec mora, bárbarus
In Regem Súperum non timet, ímpio
Ausu, vértere déxteram.

Audíte, o pópuli! Numen amábile,
Manánte ex húmeris úndique sánguine,
Lictóris rábidi sústinet ímpetum,
Et vocem premit ínnocens.

Quis non illácrymet! Jam nova cóndidit
Torménta indómitæ gentis iníquitas:
Infígit cerébro, proh dolor! éfferis
Sertum vépribus ásperum.

Heu crimen! tráhitur fúnibus ímprobis
Funésti Dóminus supplícii ad locum:
Illic oppétiit fúnere spíritum
Patri restítuens suo.

Passo pro míseris tam fera vúlnera
In terris résonet débita glória,
Sacrúmque assídue nomen in æthera
Humánum genus éfferat. Amen.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit. ℟. Et livóre hujus sanáti sumus.

Ad Magnif. Ant. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio ut in Laudibus.

Ad Compl., et per Horas diei, in fine Hymnorum dicitur:

Sit laus Patri, ac Paráclito,
Natóque Patris único,
Nostræ dedit qui pródigus
Prétium salútis sánguinem.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem crucifíxum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

Aspice, infámi Deus ipse ligno
Pendet, effúso mádidus cruóre,
Aspice, immíti manus alma clavo.
Fínditur alte.

Hunc, velut pravi scéleris minístrum,
Inter indígnos médium latrónes,
Cerne: crudélis fuit ista gentis
Dira volúntas.

Pallet, heu! vultus: caput ecce lassum
Fléctitur: clausis óculis Redémptor
Spíritum sacro méritis onústum
Fundit ab ore.

O cor, æs durum súperas, geméndo
Ni scelus tergas: tua culpa Christum
Stípiti affíxit: tua culpa morti
Súbdidit atræ.

Sit Deo ætérnum decus omne in ævum,
Qui pius nostri géneris Redémptor,

Críminis labem, míseris nocéntem,
Sánguine tersit.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Psalm. Quare fremuérunt, *Dom. 1. Noct.*, p. 3.

Ant. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me: multi insúrgunt advérsum me.

Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt, *ibid.*, p. 4.

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Psalm. Deus, Deus meus, réspice in me, *Fer. VI. ad Prim.*, p. 31.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

De Epístola beáti Pauli, Apóstoli, ad Romanos.

LECTIO I. *Cap.* 5. *et* 6.

Commendat charitátem suam Deus in nobis, quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est: multo ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus, multo magis reconciliáti salvi érimus in vita ipsíus. Non solum autem, sed et gloriámur in Deo, per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Si enim uníus delícto mors regnávit per unum, multo magis abundántiam grátiæ, et donatiónis, et justítiæ accipiéntes, in vita regnábunt per Jesum Christum.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi, dicit Dóminus, et tu facta es mihi nimis amára, * Quia parásti crucem Salvatóri tuo. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Quia.

LECTIO II.

Igitur sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem; sic et per uníus justítiam in omnes hómines in justificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi, ita et per uníus obeditiónem justi constituéntur multi. Lex autem subintrávit, ut abundáret delíctum: ubi autem abundávit delíctum, superabundávit grátia, ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet per justítiam in vitam ætérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Ego edúxi te de Ægypto, demérso Pharaóne in mare Rubrum, et ante te præívi in colúmna nubis; * Et tu me tradidísti princípibus Sacerdó-

tum, et me duxísti ad prætórium Piláti. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et.

LECTIO III.

Quid ergo dicémus? Permanébimus in peccáto, ut grátia abúndet? Absit! qui enim mórtui sumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris; ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellávi Ægyptum cum primogénitis suis : * Et tu me flagellátum tradidísti, * Qui, tanquam agnus coram tondénte se, obmútui, et non apérui os meum. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et. Glória Patri. Qui.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Inimíci mei dixérunt mala mihi : Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Psalm. Beátus qui intélligit, *Fer. III. ad Matut.*, p. 62.

Ant. Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam.

Psalm. Deus, in nómine, *Dom. ad Prim.*, p. 22.

Ant. Conculcavérunt me inimíci mei tota die : advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Psalm. 55. Miserére mei... conculcávit., *Feriæ IV. ad Matut.*, p. 72.

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus. ℟. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Sermo sancti Augustini, Epíscopi.

Sermo 114. de Passione Domini.

LECTIO IV.

Admonet nos, fratres charíssimi, ad solemnitátem Domínicæ Passiónis dies ipse, in quo eam nec muta eleménta tacuérunt. Célebret eam lux fídei linguis hóminum, quam conclamavérunt étiam siléntia tenebrárum. Dóminus noster in statéra crucis prétium nostræ salútis appéndit, et una morte univérsum mundum, sicut ómnium Cónditor, ita ómnium Reparátor absólvit. Indubitánter enim credámus,

quod totum mundum redémit, qui plus dedit quam totus mundus valéret. Méritum enim redémptæ mercédis dígnitas insígnis prétii supergréssa est. Inter redémptum et Rediméntem dispensátio fuit, compensátio non fuit. Qui ergo non habébat peccáta própria, digne delévit aliéna. Solus hic pia víctima pro ómnibus cécidit, ut omnes leváret; et quia débitum solus non hábuit, recta fœnus misericórdiæ pro debitóribus erogávit.

℟. Ego propter te Chananæórum reges percússi, et dedi tibi sceptrum regále; * Et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam, et percussísti arúndine caput meum. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et.

LECTIO V.

Perpende, inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecúniam, qualem a nobis sit exactúrus usúram. In hac ítaque die fides prophéticæ annuntiatiónis impléta est, ita dicéntis : Corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus : fáciem meam non avérti a fœditáte sputórum. Suscépit mala nostra, ut tribúeret bona sua. Hinc intelligámus quantum hóminem dilígere dignátus sit ante culpam, quem sic díligit post ruínam. Agnósce, homo, quantum váleas, et quantum débeas; et dum tantam redemptiónis tuæ pérspicis dignitátem, ipse tibi indícito peccándi pudórem. Ecce pro ímpio píetas flagellátur, pro stulto sapiéntia illúditur, pro mendáce véritas necátur, damnátur justítia pro iníquo, misericórdia affícitur pro crudéli, pro mísero replétur sincéritas acéto, inebriátur felle dulcédo, addícitur innocéntia pro reo, móritur vita pro mórtuo.

℟. Ego duxi te per desértum quadragínta annis, et manna cibávi te; * Et tu me cecidísti álapis et flagéllis. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et.

LECTIO VI.

Expavit scelus hóminum natúra rerum; et quem creatúra rebéllis non agnóscit, eum mundi Dóminum tremens terra testátur, et cœli Regem sol fúgiens confitétur. Chlámyde coccínea indúitur, quia sánguine mártyrum suórum Ecclésiæ corpus ornátur. Coróna spínea cápiti ejus impónitur, quia púnctio peccatórum nostrórum, quorum remissióne Redemptóris glória strúitur, áridis tríbulis comparátur. Studeámus nunc e divérso, ut membrórum vita Cápitis sit coróna. Quod vero sitíre se in cruce pósitus dicit, fidem incrédulæ gentis concupíscit; sed e contra acétum malítiæ pórrigunt, quia

vinum sapiéntiæ, quod a Deo accéperant, peccándo corrúperant. Velum templi scínditur, quia Synagóga honóre nudátur, observátio antíqua dissólvitur, Ecclésiæ únitas præmonstrátur. Monuménta aperiúntur, quia mortis jura jure superántur.

℟. Ego exaltávi te magna virtúte; * Et tu me suspendísti in patíbulo crucis, * In qua expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et. Glória Patri. In.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Filii hóminum, dentes eórum arma et sagíttæ, et lingua eórum gládius acútus.

Psalm. 56. Miserére mei... confídit, *Fer. IV. ad Matut.*, p. 73.

Ant. Intendérunt arcum, rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Psalm. 65. Exáudi, Deus, deprecatiónem, *ibid.*, *p.* 75.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Psalm. Dómine, Deus salútis meæ, *Fer. VI. ad Mat.*, *p.* 99.

℣. Factus est obédiens usque ad mortem. ℟. Mortem autem crucis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore: Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 84. *in cap.* 19. *Joannis, ante medium.*

Sciens Jesus ómnia consummáta, ait: Sítio, étiam hoc verbo prophetíam implens. Tu autem adstántium pravitátem intéllige: nam licet innúmeros habeámus inimícos, qui nos gravíssime persecúti sint, cum tamen intérimi eos vidémus, fléctimur misericórdia. Hi vero nil moti, magis efferántur et irrídent, acetúmque in spóngia pórrigunt, ut bibat tamquam reus. Nam propter hoc hyssópum ádditur, quo gustáto, mórtuus est. Vides quam non perturbáte et quam poténter ómnia transigéntem? Quod et prósequens osténdit; cum enim ómnia consummáta essent, inclináto cápite, quod affíxum non erat, trádidit spíritum, hoc est, expirávit.

℟. Ego te potávi aqua salútis de petra; * Et tu me potásti felle et acéto. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII.

Atqui non post inclinátum caput expirátur, sed post expiratiónem caput inclinátur. Hic autem contra áccidit, per quod osténdit eum Evangelísta esse ómnium Dóminum. Judæi autem camélum devorántes, et cúlicem excolántes, tantum nefas ausi, de die consúltant. Quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura. Vides quanti sit véritas? Per ea, quæ illi fáciunt, prophétia implétur; ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo mílites, et aliórum fregérunt crura[1], non Christi; sed ad Judæórum grátiam conciliándam latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem ac scelestíssimam!

℟. Ego ante te apérui mare; * Et tu aperuísti láncea latus Salvatóri tuo, * Qui redémit mundum in sánguine suo. ℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et. Glória Patri. Qui.

LECTIO IX.

Noli tamen perturbári, dilectíssime; quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophétia hinc impleta est, ínquiens: Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fídei arguméntum, ut Thomæ et qui cum eo erant. Ad hæc et arcánum mystérium consummátum est; exívit enim sanguis et aqua. Non casu et simplíciter hi fontes scaturiérunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est. Sciunt hoc initiáti: per aquam enim regeneráti, sánguine et carne nutríti sunt. Hinc mystéria ortum habent, ut quóties ad admirándum cálicem accédis, tamquam ab ipso látere háuriens accédas.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Fui flagellátus * tota die, et castigátio mea in matutínis.

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Veni ad montem myrrhæ, * et ad collem thuris: tamquam agnus ad occisiónem ductus, obmútui, et non apérui os meum.

Ant. Fodérunt manus meas* et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ant. Consolántem me quæsívi, et non invéni: dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Ant. Cum accepísset Jesus * acétum, dixit: Consummátum est, et, inclináto cápite, emísit spíritum.

CAPITULUM. *Philipp.* 2.

Fratres, Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbi-

trátus est esse se æquálem Deo; sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

HYMNUS.

Sævo dolórum túrbine
Jactátur, atris óbrutus
Pœnis, acérba sústinens
Redémptor affíxus cruci.
Pedes manúsque horríbili
Clavi cruéntant vúlnere:
Cor, vultus, artus, péctora
Sacro redúndant sánguine.
Flet, orat, et clamans obit:
Cor Matris ictum cóncidit:
Heu! Mater, heu! Fili; dolor
Ingráta frangat péctora.
Montes, sepúlchra, sáxaque
Scindúntur: arva, flúmina,
Rupes, et æquor cóntremunt,
Templíque velum scínditur.
Sol, luna, cœlum, sídera
Plangunt, et orbis íngemit:
O vos viri, vos párvuli,
Nuptæ, puéllæ, plángite.
Adstáte mœréntes cruci:
Pedes beátos úngite,
Laváte fletu, térgite
Comis, et ore lámbite.
Tu charitátis víctima,
Ut nostra tollas crímina,
Nobis salúbri pérficis
Adoptiónem sánguine.
Nostra ergo pax et gáudium
Sis, vita, Jesu, et præmium:
Sis ductor et lux in via,
Merces, coróna in Pátria.
Amen.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

Ad Bened. Ant. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

ORATIO.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti: concéde propítius, ut sicut solémnem Commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus; ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

In Responsorio brevi, dicitur ℣. Qui pro nobis pati dignátus es.

AD TERTIAM.

Ant. Veni ad montem myrrhæ.

Capit. Fratres, Hoc enim., *ut supra.*

℟. *br.* Oblátus est * Quia ipse vóluit. Oblátus. ℣. Et livóre ejus sanáti sumus. Quia. Glória Patri. Oblátus.

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus. ℟. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

AD SEXTAM.

Ant. Fodérunt manus meas.

CAPITULUM. *Zach.* 13.

Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet : His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me.

℟. *br.* Próprio Fílio suo * Non pepércit Deus. Próprio. ℣. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Non. Glória Patri. Próprio.

℣. Factus est obédiens usque ad mortem. ℟. Mortem autem crucis.

AD NONAM.

Ant. Cum accepísset Jesus.

CAPITULUM. *Isaiæ* 53.

Generationem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. *br.* Factus est obédiens * Usque ad mortem. Factus. ℣. Mortem autem crucis. Usque. Glória Patri. Factus.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in Primis, præter ℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

Ad Magnif. Ant. Depónens Joseph corpus Jesu, invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto excíso. Fuit planctus magnus in illa die : mulíeres autem sedéntes contra sepúlchrum dolébant, sicut doléri solet in morte primogéniti.

Oratio Omnípotens, sempitérne, *ut supra.*

FERIA VI. POST CINERES.

SS. SPINEÆ CORONÆ

D. N. J. C.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. et loco ult., Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes, *p.* 127.

HYMNUS.

Exite, Sion fíliæ,
Regis pudícæ vírgines :
Christi Corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.

Horret revúlsis crínibus
Spinis cruentátum caput,
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.

Quæ terra sulcis ínvia,
Dumis rigens et séntibus,
Lugúbre munus prótulit?
Quæ sæva méssuit manus?

Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis,
Palmámque vincens frúctibus,
Spina est triúmphis áptior.

Culpis satæ mortálium
Te, Christe, spinæ vúlnerant :
Evélle nostras, córdibus
Tuásque nostris ínsere.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Plecténtes Corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

Ad Magnif. Ant. Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, Regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem, spinis coronátum, * Veníte, adorémus,

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymnus Exíte, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Psalm. Beátus vir, *Dom. ad Noct.*, p. 3.

Ant. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Psalm. Quare fremuérunt, *ibid.*, p. 3.

Ant. In tribulatióne dilatásti mihi.

Psalm. Cum invocárem, *ad Complet.*, p. 146.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Isaía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 53.

Quis crédidit audítui nostro, et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti: non est spécies ei, neque decor: et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Maledícta terra in ópere hóminis * Spinas et tríbulos germinávit Christo. ℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus ne coméderet. Spinas.

LECTIO II.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? Quia

abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi, * Et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur. ℣. Dixit ergo Móyses : Vadam et vidébo visiónem hanc magnam. Et.

LECTIO III.

Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívites pro morte sua, eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte : si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur : in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Ecce ignis et ligna : Deus providébit sibi * Víctimam holocáusti. ℣. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem. Víctimam. Glória Patri. Víctimam.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Psalm. 5. Verba mea, *II. Fer. ad Laud.*, p. 57.

Ant. Minuísti eum paulo minus ab Angelis : glória et honóre coronásti eum.

Psalm. Dómine, Dóminus noster, *Dom. I. Noct.*, p. 5.

Ant. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

Psalm. In Dómino confído., *Dom. I. Noct.*, p. 7.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

Serm. 2. in Epiph. Domini.

LECTIO IV.

Egredimini, fíliæ Sion : vobis dícimus, fíliæ Sion, ánimæ sæculáres, débiles, delicátæ fíliæ, et non fílii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est virílis ánimi. Egredímini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscéntiæ ad libertátem spirituális intelligéntiæ. Egredímini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri, et vidéte regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua, in Coróna paupertátis, in Coróna misériæ; síquidem coronátus est et a novérca sua Coróna spínea, Coróna misériæ, coronándus a família sua Coróna justítiæ, quando exíbunt Angeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala, quando véniet ad judícium cum senióribus pópuli sui

cum pugnábit pro eo orbis terrárum advérsus insensátos. Corónat eum et Pater Coróna glóriæ, sicut ait Psalmísta : Glória et honóre coronásti eum, Dómine. Vidéte eum, fíliæ Sion, in diadémate quo coronávit eum mater sua.

℟. Cum apparúerit Princeps pastórum, quo percússo, dispérsæ sunt oves gregis, * Percipiémus immarcescíbilem glóriæ corónam. ℣. Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriæ regni sui. Percipiémus.

Serm. 42. in Cant.

LECTIO V.

Ego, fratres, ab ineúnte mea conversióne, pro acérvo meritórum, quæ mihi deésse sciébam, mihi fascículum colléctum ex ómnibus anxietátibus et amaritudínibus Dómini mei colligáre, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundántiæ suavitátis horum eructábo, quoad víxero : in ætérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fascículus servátus est : nemo tollet eum a me : inter úbera mea commorábitur. Hæc meditári dixi sapiéntiam : in his justítiæ mihi perfectiónem constítui : in his plenitúdinem sciéntiæ, in his divítias salútis, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritúdinis : ex his rursum suávis únctio consolatiónis. Hæc me érigunt in advérsis, in prósperis réprimunt, et, inter læta tristíaque vitæ præséntis, via régia incedénti tutum præbent utrobíque ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsándo. Hæc mihi concíliant mundi Júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem humilémque figúrant, dum non solum placábilem, sed et imitábilem repræséntant eum qui inaccessíbilis est principátibus, terríbilis apud reges terræ.

℟. Accépit regnum decóris * Et diadéma speciéi. ℣. Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et.

LECTIO VI.

Hæc propterea mihi in ore frequénter, sicut vos scitis : hæc in corde semper, sicut Deus scit : hæc stylo meo ádmodum familiári, sicut appáret : hæc mea sublímior ínterim philosóphia, scire Jesum, et hunc crucifíxum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in merídie, quem lætus ampléctor mea inter úbera commorántem. Non requíro ubi pascat in merídie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius : panis illud, hoc lac : hoc víscera réficit parvulórum : hoc replet úbera matrum; et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos, dilectíssimi, tam diléctum fascículum collígite

vobis : hunc medúllis insérite cordis : hoc muníte áditum péctoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habuéritis quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, lévius vestras portábitis, ipso auxiliánte Ecclésiæ Sponso, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

℟. Arcam de lignis Sethim deaurábis auro mundíssimo intus et foris, * Faciésque super corónam áuream per circúitum. ℣. Pones in arca testificatiónem quam dabo tibi. Faciésque. Glória. Faciésque.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

Psalm. Dómine, quis habitábit. *Dom. I. Noct.*, p. 9.

Ant. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Psalm. Dómine, in virtúte tua, *Dom. III. Noct.*, p. 15.

Ant. Advérsus eos qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

Psalm. Dóminus regit me, *Fer. V. ad Prim.*, p. 31.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes Corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Bernardi, Abbátis.

Ex Serm. 50. *de diversis.*

Vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille, et signíficat Jesum Christum, nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, id est, pacíficus in exílio; Ecclesiástes, id est, concionátor in judício; Idida, id est, diléctus Dómini in regno, ubíque rex. In exílio mansuétus, in judício justus, in regno gloriósus. In exílio amábilis, in judício terríbilis, in regno adorábilis. In diadémate quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc Coróna misericórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca sua Coróna misériæ, et in hac contemptíbilis. Synagógam lóquor, quæ se ei non matrem exhíbuit, sed novércam.

℟. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Sethim, * Faciésque ei corónam auréolam per gyrum. ℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. Faciésque.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII.

Coronabit eum família sua Coróna justítiæ, et in hac terríbilis : corónat eum Pater suus Coróna glóriæ, et in hac

desiderábilis. Vídeant ergo eum peccatóres in Coróna misériæ, id est, spínea, et compungántur : vídeant eum fíliæ Sion, ánimæ affectuósæ, in Coróna misericórdiæ, et imiténtur. Vidébunt eum ímpii in Coróna justítiæ, et períbunt : vidébunt eum sancti in Coróna glóriæ, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur quidem et álii imitatóres ipsíus, sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus, tamquam sponsus e thálamo procéssit ex útero matris.

℟. Christus sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus, * Ipse est qui corónat vos in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. Ipse. Glória Patri. Ipse.

Lectio IX. *dicitur de Homilia Feriæ.*

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Diléctus meus cándidus * et rubicúndus, comæ cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus.

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Requiévit super eum * spíritus timóris Dómini : Coróna sapiéntiæ et exultatiónis decorávit illum.

Ant. Induit eum * Dóminus vestiméntis salútis et induménto justítiæ, quasi sponsum decorátum coróna.

Ant. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

Ant. Rex ætérnæ glóriæ, * pro nobis coronátus, benedícet corónæ anni benignitátis suæ.

CAPITULUM. *Cant.* 3.

Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate quo coronávit illum mater sua.

HYMNUS.

Legis figúris píngitur
Christi Coróna nóbilis :
Impléxa spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.

Arcam coróna cínxerat,
Mensæque sacrum círculum :
Arámque thure fúmidam
Coróna nectit ámbiens.

Christi dolórum cónscia,
Salve, Coróna glóriæ,
Gemmis et auro púlchrior,
Vincens corónas síderum.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Eris coróna glóriæ in manu Dómini. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui.

Ad Bened. Exívit Jesus portans spíneam Corónam et purpúreum vestiméntum.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui in me-

móriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum vivit.

Et fit Comm. Feriæ.

AD TERTIAM.

Ant. Requiévit super eum.

Capit. Egredímini.

℟. *br.* Eris coróna glóriæ * In manu Dómini. Eris. ℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In. Glória Patri. Eris.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

AD SEXTAM.

Ant. Induit eum.

CAPITULUM. *Apoc.* 6.

Vidi : et ecce equus albus : et qui sedébat super illum, habébat arcum : et data est ei coróna : et exívit vincens, ut vínceret.

℟. *br.* Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Quia.

℣. Tuam Corónam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

AD NONAM.

Ant. Rex ætérnæ glóriæ.

CAPITULUM. *Isaiæ* 28.

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui.

℟. *br.* Tuam Corónam * Adorámus, Dómine. Tuam. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem. Adorámus. Glória Patri. Tuam.

℣. Plecténtes Corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Ad Magnif. Et genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes : Ave, Rex Judæórum; et expuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

Oratio ut supra ad Laudes.

Et fit Comm. Feriæ.

OFFICIA VOTIVA
DIŒCESI ANICIENSI
A SANCTA SEDE CONCESSA.

¶ *Extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora, Octavas et Vigilias* privilegiatas, *fit, ritu semiduplici, singulis Feriis* v, *Officium votivum* DE SS. SACRAMENTO, *et, singulis Sabbatis*, DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V., *modo non obstet his diebus, occurrens aut translatum, Officium novem Lectionum.*

Præcedente autem aut subsequente Officio novem Lectionum, ordinandæ erunt Vesperæ juxta Rubricas de concurrentia Officii. Quoad Officium simplex occurrens, Lectio IX, *si propria habeatur, legitur de eo, cum Commemoratione ejusdem in I. Vesperis et Laudibus.*

Fit Comm. de Cruce, ut in tempore Paschali, et preces dicuntur ad Completorium et ad Primam.

Notandum quod ad Completorium Feriæ IV. *et* VI. *in fine Hymni, dicitur* : Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, *etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commem. de SS. Sacramento aut de B. M. V.*

OFFICIUM VOTIVUM
DE SS. SACRAMENTO
IN FER. V. NON IMPEDITIS.

Semiduplex.

AD VESPERAS.

Ant. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Psalm. Dixit Dóminus, *in Dom. ad Vesp.*, p. 123.

Ant. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Psalm. Confitébor., *ibid.*, p. 123.

Ant. Cálicem salutáris accí-

piam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Psalm. Crédidi, *Fer.* II. *ad Vesp.*, p. 127.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Psalm. Beáti omnes, *Fer.* IV. *ad Vesp.*, p. 132.

Ant. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Psalm. Lauda, Jerúsalem, *Sabb. ad Vesp.*, p. 143.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui,
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

Genitóri Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnif. Ant. O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstíto, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes !

ORATIO.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Completorium et per Horas, in fine Hymnorum dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem adorémus, dominántem Géntibus, * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Psalm. Veníte, exultémus. p. 2.

HYMNUS.

Sacris solémniis
Juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis
Sonent præcónia :
Recédant vétera,
Nova sint ómnia,
Corda, voces et ópera.
Noctis recólitur
Cœna novíssima,
Qua Christus créditur
Agnum et ázyma
Dedísse frátribus,
Juxta legítima,
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum,
Explétis épulis,
Corpus Domínicum
Datum discípulis,
Sic totum ómnibus,
Quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus
Córporis férculum,
Dedit et trístibus
Sánguinis póculum,
Dicens : Accípite
Quod trado vásculum :
Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium
Istud instítuit,
Cujus offícium
Commítti vóluit
Solis Presbyteris,
Quibus sic cóngruit
Ut sumant, et dent cæteris.
Panis Angélicus
Fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus
Figúris términum :
O res mirábilis!
Mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
Te, trina Déitas
Unaque, póscimus,
Sic nos tu vísita
Sicut te cólimus :
Per tuas sémitas
Duc nos quo téndimus,
Ad lucem quam inhábitas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Frúctum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Ps. Beátus vir, *in I. Noct. Dom.*, p. 3.

Ant. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Psalm. Cum invocárem, *ad Complet.*, p. 146.

Ant. Communióne cálicis quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

Psalm. Consérva me, *in II. Noct. Dom.*, p. 10.

℣. Panem cœli dedit eis.
℟. Panem Angelórum manducávit homo.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Immolábit hœdum

multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ, * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. Et.

℟. II. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste.

℟. III. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit, et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et. Glória. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalm. Exáudiat, *in III. Noct. Dom.*, p. 14.

Ant. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes qui tríbulant nos.

Psalm. Dóminus regit me, *Fer.* v. *ad Primam.* p. 31.

Ant. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

Psalm. Quemádmodum, *Feria* III. *ad Matut.*, p. 63.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

MENSE FEBRUARIO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 61. *ad populum Antioch.*

LECTIO IV.

Necessarium est, dilectíssimi, mysteriórum díscere miráculum, quodnam sit, et quare sit datum, et quæ ejus rei utílitas. Unum corpus effícimur : Membra, inquit, ex carne ejus, et ex óssibus ejus. Sequámur autem initiáti quæ dicúntur. Ut ítaque non tantum per charitátem hoc fiámus, verum étiam ipsa re, in illam misceámur carnem : hoc namque per escam effícitur, quam largítus est nobis, volens osténdere desidérium quod erga nos habet. Proptérea semetipsum nobis immíscuit, et corpus suum in nos contemperávit, ut unum quid simus tamquam corpus cápiti coaptátum; ardénter enim amántium hoc est.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur. Accípite.

LECTIO V.

Tamquam leónes ígitur ignem spirántes ab illa mensa recedámus, facti diábolo terríbiles, et Caput nostrum mente revolvéntes, et charitátem quam erga nos osténdit. Nam

paréntes quidem áliis sæpe fílios tradunt aléndos. Ego autem, inquit, non ita, sed cárnibus meis alo, et meípsum vobis appóno, vos omnes generósos esse volens, et spem bonam de futúris vobis præbens : quippe qui vobis hic meípsum trádidi, multo magis id in futúro fáciam. Vólui frater vester fíeri : carni propter vos et sánguini communicávi : vobis vicíssim ipsam carnem et sánguinem, per quæ cognátus vester factus sum, trado.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VI.

Attendamus ítaque nobis ipsis, dilectíssimi, tálibus fruéntes bonis, et cum áliquid turpe dícere voluérimus, vel nos ab ira córripi vidérimus, vel álio quópiam hujúsmodi vítio, considerémus quibus facti sumus digni, talísque cogitátio nobis irrationabílium mótuum sit corréctio. Quotquot ígitur hujus partícipes córporis effícimur, quotquot sánguinem degustámus, cogitémus quod illum sursum sedéntem, qui ab Angelis adorátur incorruptíbili vicínis virtúti, hunc degustámus. Hei mihi! quot ad salútem nobis viæ! Nos corpus suum effécit; nobis suum communicávit corpus, et horum nos nihil a malis avértit.

℟. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

MENSE MARTIO

ANTE QUADRAGESIMAM.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 60. *ad pop. Antioch.*

LECTIO IV.

Quoniam Verbum dicit, Hoc est Corpus meum, et assentiámur, et credámus, et intellectuálibus ipsum óculis intueámur. Nihil enim sensíbile nobis Christus trádidit; sed sensibílibus quidem rebus, at ómnia intelligibília. Itidem et in baptísmate : per rem nempe sensíbilem, aquam, donum confértur : intelligíbile vero quod perfícitur, generátio et renovátio. Si enim incorpóreus esses, nuda et incorpórea tibi dedisset ipse dona; sed, quóniam ánima córpori consérta est, in sensibílibus intelligibília tibi præbet. Quot nunc dicunt : Vellem ipsíus formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta

cupis vidére : ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere.

℟. Cœnántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur. Accípite.

LECTIO V.

Igitur accédat nemo cum náusea, nemo resolútus, omnes accénsi, omnes fervéntes et excitáti. Nam si Judæi stántes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant, te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palæstínam erant profectúri, et proptérea viatórum figúram habébant : tu vero debes in cœlum migráre. Quaprópter in ómnibus opórtet te vigiláre; nec enim parva pœna propónitur indígne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos qui illum crucifixérunt : ítaque consídera, ne tu quoque sis reus córporis et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis ánima, post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit hóminem fíeri, cólaphis cædi, et crucifígi : verum et semetípsum nobis commíscet; et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VI.

Quo non opórtet ígitur esse puriórem tali fruéntem sacrifício? Quo solári rádio non splendidiórem manum carnem hanc dividéntem, os quod igne spirităli replétur, linguam quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque líbere audent intuéri, propter emicántem inde splendórem, hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pastor? Matres multæ sunt, quæ, post partus dolóres, fílios áliis tradunt nutrícibus. Hoc autem ipse non est passus : sed ipse nos próprio sánguine pascit, et per ómnia nos sibi coagméntat.

℟. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso

mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Introíbo ad altáre Dei : sumam Christum qui rénovat juventútem meam.

Psalm. Júdica me, *Fer.* III. *ad Laud.*, p. 69.

Ant. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti, et de petra, melle saturávit nos.

Psalm. Exultáte, *Fer.* VI. *ad Matut.*, p. 96.

Ant. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus, in quem cor et caro nostra exúltant.

Psalm. Quam diléсta tabernácula, *p.* 97.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

MENSE FEBRUARIO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Tract. 27. *in Joannem.*

Verba Dómini ex Evangélio, quæ sermónem prístinum consequúntur, audívimus. Hinc sermo debétur áuribus et méntibus vestris, et hodiérna die non importúnus est. Est enim de córpore Dómini, quod dicébat se dare ad manducándum propter ætérnam vitam. Expósuit autem modum attributiónis hujus et doni sui, quómodo daret carnem suam manducáre, dicens : Qui mandúcat carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Signum, quia manducávit et bibit, hoc est, si manet et manétur, si hábitat et inhabitátur, si hæret ut non deserátur.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

LECTIO VIII.

Hoc ergo nos dócuit et admónuit mysticis verbis, ut simul in ejus córpore sub ipso Cápite in membris ejus, edéntes carnem ejus, non relinquéntes unitátem ejus. Sed qui áderant, plures non intelligéndo scandalizáti sunt : non enim cogitábant, hæc audiéndo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apóstolus autem dicit, et verum dicit : Sápere secúndum carnem, mors est. Carnem suam dat nobis Dóminus manducáre, et sápere secúndum carnem, mors est, cum

de carne sua dicat, quia ibi est vita ætérna. Ergo nec carnem debémus sápere secúndum carnem, sicut in his verbis : Multi ítaque audiéntes, non ex inimícis, sed ex discípulis ejus, dixérunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audíre?

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et. Glória Patri. Et.

IX. Lectio de Festo Simplici, si occurr., et sit propria; alias

LECTIO IX.

Si discípuli durum habuérunt istum sermónem, quid inimíci? Et tamen sic oportébat ut dicerétur, quod non ab ómnibus intelligerétur. Secrétum Dei inténtos debet fácere, non advérsos. Isti autem cito defecérunt, tália loquénte Dómino Jesu Christo: non credidérunt áliquid magnum dicéntem, et verbis illis áliquam grátiam cooperiéntem; sed prout voluérunt, ita intellexérunt, et more hóminum, quia póterat Jesus, aut hoc disponébat Jesus, carnem qua indútum erat Verbum, véluti concísam distribúere credéntibus in se. Durus est, ínquiunt, hic sermo : quis potest eum audíre?

Te Deum laudámus., *p.* 16.

MENSE MARTIO

ANTE QUADRAGESIMAM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus verus est potus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Tract. 27. *in Joan., ante med.*

Diximus, fratres, hoc Dóminum commendásse in manducatióne carnis suæ et potatióne sánguinis sui, ut in illo maneámus, et ipse in nobis. Manémus autem in illo, cum sumus membra ejus : manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, únitas nos compáginat. Ut compáginet únitas, quæ facit nisi cháritas? Et cháritas Dei unde? Apóstolum intérroga : Cháritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

LECTIO VIII.

Ergo spíritus est, qui vivíficat : spíritus enim facit

viva membra : nec viva membra spíritus facit, nisi quæ in córpore, quod végetat ipse spíritus, invénerit. Nam spíritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivíficat membrum quod separátum invénerit a carne tua? Spíritum tuum dico ánimam tuam. Anima tua non vivíficat nisi membra quæ sunt in carne tua : unum si tollas, jam non vivificátur ex ánima tua, quia unitáti córporis tui non copulátur.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem ; * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et. Glória Patri. Et.

IX. Lectio de Festo S. Simplici, si occurr. et sit propria; alias

LECTIO IX.

Hæc dicúntur, ut amémus unitátem, et timeámus separatiónem. Nihil enim sic debet formidáre Christiánus, quam separári a córpore Christi. Si enim separátur a córpore Christi, non est membrum ejus : si non est membrum ejus, non vegetátur spíritu ejus : Quisquis autem, inquit Apóstolus, spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Spíritus ergo est, qui vivíficat ; caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locútus sum vobis, spíritus et vita sunt. Quid est, Spíritus et vita sunt? Spiritáliter intelligénda sunt. Intellexísti spiritáliter? Spíritus et vita sunt. Intellexísti carnáliter? Etiam sic illa spíritus et vita sunt, sed tibi non sunt.

Te Deum laudámus., *p.* 16.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam.

Psalmus Dóminus regnávit., *cum reliquis de Dom.*, p. 17.

Ant. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis.

Ant. Pinguis est panis * Christi, et præbébit delícias régibus.

Ant. Sacerdótes sancti incénsum et panes ófferunt Deo.

Ant. Vincénti * dabo manna abscónditum, et nomen novum.

CAPITULUM. *1. Cor.* 11.

Fratres, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

Verbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.
Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem,
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.
O salutáris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium,
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium!
Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória,
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Et dicuntur Preces.

AD TERTIAM.

Ant. Angelórum esca.

Capit. Fratres, Ego enim.

℟. *br.* Panem cœli * Dedit eis. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

AD SEXTAM.

Ant. Pinguis est panis.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. *br.* Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

AD NONAM.

Ant. Vincénti.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. *br.* Edúcas panem * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in Primis, præter Ad Magnif. Ant. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur, recólitur memória Passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur!

OFFICIUM VOTIVUM

DE IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

IN SINGULIS SABB. NON IMPEDITIS DE QUIBUS SUPRA.

Semiduplex.

Omnia sumuntur ex Officio pro Clero Urbis edito et ad universum orbem extente, accedente Ordinarii licentia, quod repetitur supra, in hoc Propria Aniciensi, die Festi, VIII. *Dec.; excipiuntur tantum Lectiones, scilicet :*

Lect. I. Noct. de Scriptura occurrente.

In II. Noct., mensibus JANUARIO *et* FEBRUARIO, *Lect. in secunda die infra Oct.,* p. 14*. IX. *Decembris; mense autem* MARTIO, *ut in quinta die infra Oct.,* XII. *Decembris,* p. 24*.

INDULGENTIÆ UNIVERSO

CLERO ANICIENSI

A SS. DD. PIO PAPA IX

CONCESSÆ IN PERPETUUM.

Beatissime Pater,

Episcopus Aniciensis, in Galliis, ad Sanctitatis Vestræ pedes humiliter provolutus, eique gratias agens humillimas pro Brevi Apostolico diei 3 Maii 1857 et pro Rescripto diei 22 Aprilis 1857, quibus alumnis Seminarii Aniciensis concessit indulgentiam plenariam singulis anniversariis suarum Ordinationum lucrandum sub conditione tridui præparatorii, simul enixe rogat quatenus ad omnes ejusdem Seminarii alumnos in posterum futuros eamdem gratiam elargiri dignetur, in memoriam restaurationis Liturgiæ Romanæ in hacce Diœcesi, quæ in hoc Seminario Beatæ Mariæ Aniciensis præparata fuit ac elaborata; immo et velit etiam extendere ad singulos sacerdotes ejusdem Diœcesis, ne quis in Clero Aniciensi expers sit lætitiæ in his diebus beatissimis.

Anicii, die quinta Octobris 1857.

Loco ✝ Sigilli.

✝ AUGUSTUS, *Episc. Anic.*

Die 18 Februarii 1858 benigne annuimus pro gratia ad formam primæ concessionis.

PIUS PP. IX.

OFFICIA PROPRIA

SUPPLEMENTI ANICIENSIS

PARS HIEMALIS.

FESTA MOBILIA DOMINI.

FESTA B. M. V.

FESTA SANCTORUM.

COMMEMORATIONES SS.

OFFICIA VOTIVA.

INDEX GENERALIS

AD USUM TUM BREVIARII TUM SUPPL. ANICIENSIS.

PRÆVIA.

PSALMI.

HYMNI.

CANTICI.

FESTA DOMINI.

B. MARIÆ.

SANCTORUM.

BENEDICTIONES VARIÆ.

AD CALCEM.

PARISIIS. — Typis ADRIANI LE CLERE, via dicta Cassette, 29.

OFFICIA PROPRIA
DIOECESIS ANICIENSIS
A SS. D. N. PIO PAPA IX

APPROBATA ET CONCESSA

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. JOSEPHI AUGUSTI VICTORINI DE MORLHON

EPISCOPI ANICIENSIS

EDITA.

PARS VERNA.



PARISIIS

ADRIANUS LE CLERE ET SOC.,

SS. D. N. PAPÆ ET ARCHIEPISCOPATUS TYPOGRAPHI

VIA DICTA CASSETTE, 29.

1858

Adriano LE CLERE, cum Sociis, SS. DD. Papæ, apud Parisienses, typographo *Proprium Diœcesis Aniciensis*, quale fuit nuper a Sancta Sede approbatum, typis mandandum commisimus, editionemque, pro parte Verna, diligenti examine perlectam, cum textu authentico ad unguem concordare perspeximus, ideoque approbamus et in lucem prodire jubemus.

Datum Anicii, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, nec non Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, die vero mensis Aprilis tertia.

† AUGUSTUS, *Episc. Aniciensis.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Episcopi.

Alirol, *Can. Secr.*

MONITUM.

Si alicubi remissum fuit ad paginam Breviarii, quod omnino cavimus extra necessitatem, pertinere debuit indicatio ad editionem paris formæ et ex iisdem typis ac Supplementum (1). Si alia editione uteris, scalpello indices paginam ejus propriam.

In his autem Propriis habes quæcumque concessa sunt a Sancta Sede Ecclesiæ Aniciensi, quo facilius ex unico Supplemento recitentur, et quibuscumque Breviarii editionibus possint accommodari.

(1) In hac forma in-12 referuntur numeri ad edit. Paris. MDCCCLVI, , ex officina Ad. Le Clere.

CONCORDANTIA

SUPPLEMENTI ANICIENSIS

CUM

KALENDARIO ROMANO.

PARS VERNA.

Propria Supplementi Aniciensis distinguuntur caractere italico et Asterisco.

FEBRUARIUS.

4 * *B. Joannæ Valesiæ, Reg. Vid., dupl.*
5 S. Agathæ, Virg. et Mart., *dupl.*
6 * *S. Odilonis, Abb., * dupl. (e die 1 Jan.) ; Comm.* S. Dorotheæ, Virg. et Mart.
7 S. Romualdi, Abb., *dupl.*
8 S. Joannis de Matha, *dupl.*
9 S. Apolloniæ, Virg. et Mart.
10 S. Scholasticæ, Virg., *dupl.*
11 S. Titi, Episc. et Conf. *dupl.* (*e die* 4. *Jan.*).
12 S. Fabiani, Papæ et Mart., *dupl.* (*e die* 20. *Jan.*).
13 S. Ignatii, Episc. et Mart., *dupl.* (*e die* 1. *hujus.*).
14 * *S. Pauliani, Episc. et Conf. dupl. Comm.* S. Valentini, Pr., M.
15 S. Andreæ Corsini, Episc. et Conf. , *dupl.* (*e die* 4. *hujus.*) *Comm.* SS. Faustini et Jovitæ, Mart.
16 S. Raymundi de Pennafort, Conf., *semid.* (*e die* 23. *Jan.*)
17
18 S. Simeonis, Episc. et Mart.
19
20
21
22 Cathedra S. Petri Antiochiæ, *dupl. maj.*
23 S. Petri Damiani, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*
24 S. MATHIÆ, APOST., *dupl.* 2. *cl.*
25 26. 27. 28.

* Feria VI. post Dom. I. Quadrag. *FESTUM SS. LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. J. C., dupl. maj.*
* Feria VI. post Dom. II. Quadrag. *SACRATISSIMÆ SINDONIS D. N. J. C., dupl. maj.*

¶ In anno bissextili Festum S. Mathiæ celebratur die 25.

MARTIUS.

1
2
3
4 S. Casimiri, Conf., *semid. Comm.* S. Lucii, Papæ et Mart.
5
6 * *S. Coletæ, Virg., dupl.*
7 S. Thomæ de Aquino, Conf. et Doct., *dupl. Comm.* SS. Felicitatis et Perpetuæ, Mart.
8 S. Joannis de Deo, Conf., *dupl.*
9 S. Franciscæ, Viduæ, *dupl.*
10 SS. Quadraginta Martyrum, *semid.*
11
12 S. Gregorii, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.*
13
14
15
16
17 S. Patritii, Episc. et Conf., *semid.*
18 * S. *GABRIELIS, ARCHANGELI, dupl. maj.*
19 S. JOSEPHI SPONSI B. M. V., Conf., *dupl. 2 clas.*
20
21 S. Benedicti, Abb.. *dupl.*
22
23
24
25 ANNUNTIATIO B. M. V. * *dupl. 1 class., cum* Octava *Si inciderit post Pascha.*
26
27
28
29
30
31 * *De Oct., si Pasch. inciderit die 22, semid.*

* Feria VI. post Dom. III. Quadr. *FESTUM QUINQUE PLAGARUM D. N. J. C., dupl. maj.*
* Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. *PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C., dupl. maj.*

Feria VI. post D. Pass. Fest. Septem Dolorum B. M. V., *dupl. maj.*

APRILIS.

1 *Octava Annuntiationis, si Pasch. inciderit die 22 aut 23, dupl.*
2 S. Francisci de Paula, Conf., *dupl.*
3
4 S. Isidori, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
5 S. Vincentii Ferrerii, Conf., *dupl.*
6
7
8
9
10
11 S. Leonis, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.*
12
13 S. Hermenegildi, Mart., *semid.*
14 SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi, Mart.
15
16
17 * *S. Roberti, Abb., dupl.* Com. S. Aniceti, Pap. et Mart.
18
19 * *S. Leonis, IX Papæ et Conf., dupl.*
20
21 S. Anselmi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
22 SS. Soteris et Caii, Pap. et Mart., *semid.*
23 S. Georgii, Mart., *semid.*
24 S. Fidelis a Sigmaringa, Mart., *dupl.*
25 S. MARCI, EVANG., *dupl. 2 clas.*
26 * *B. M. V. DE BONO CONSILIO, dupl. maj.*
27 SS. Cleti et Marcellini, Pap. et Mart., *semid.* (*e die 26 hujus*).
28 S. Vitalis, Mart.
29 S. Petri, Mart., *dupl.*
30 S. Catharinæ Senensis, Virg., *dupl.*

Dom. III. post Pascha FESTUM PATROCINII S. JOSEPH, *dupl. 2 clas.*

MAIUS.

1 SS. PHILIPPI ET JACOBI, APOST., *dupl. 2 clas.*
2 S. Athanasii, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
3 INVENTIO S. CRUCIS D. N. J. C., *dupl. 2 clas.* Com. SS. Alexandri, etc. Mart., ac Juvenalis, Ep. et Conf.
4 S. Monicæ, Vid., *dupl.*
5 S. Pii V, Papæ et Conf., *dupl.*
6 S. Joannis ante Portam Latinam, *dupl. maj.*
9 S. Stanislai, Ep. et Mart., *dupl.*
8 Apparitio S. Michaelis Archang., *dupl. maj.*
9 S. Gregorii Nazianzeni, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
10 S. Antonini, Ep. et Conf., *dupl.* Com. SS. Gordiani et Epimachi, Mart.
11 * *S. Mayoli, Abb., dupl.*
12 SS. Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. et Pancratii, Mart., *semid.*

13 * *S Isidori, Agricolæ, Conf., dupl. (e 10 hujus).*
14 S. Bonifacii, Mart.
15
16 * *S. Joannis Nepomuceni, Presb., Mart., dupl.*
17 S. Paschalis Baylon, Conf., *dupl.* * (*Brivate, Com. Translationis Reliquiarum S. Juliani, Mart.*)
18 S. Venantii, Mart., *dupl.*
19 S. Petri Cœlestini, Pap. et Conf., *dupl.* Com. S. Pudentianæ, Virg.
20 S. Bernardini Senensis, Conf., *semid.*
21 S. Ubaldi, Ep. et Conf., *semid.* (*e die* 16 *hujus*).
22
23
24 * *FESTUM B. M. V. SUB TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM, dupl. maj.*
25 S. Gregorii VII, Papæ, et Conf., *dupl.* Com. S. Urbani, Pap. et Mart.
26 S. Philippi Nerii, Conf., *dupl.* Com. S. Eleutherii, Pap. et Mart.
27 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virg., *semid.* Com. S. Joannis, Papæ et Mart.
28
29
30 S. Felicis, Pap. et Mart.
31 S. Petronillæ, Virg.

JUNIUS.

1
2 SS. Marcellini, Petri atque Erasmi, Mart.
3
4 S. Francisci Caracciolo, Conf., *dupl.*
5
6 S. Norberti, Ep. et Conf., *dupl.*
7 * *S. Marcellini, Ep. et Conf. dupl.*
8
9 SS. Primi et Feliciani, Mart.
10 S. Margaritæ. Reginæ Scotiæ, *semid.*
11 S. Barnabæ, Apost., *dupl. maj.*
12 S. Joannis a S. Facundo, Conf., *dupl.* Com. SS. Basilidis, etc. Mart.
13
14
15 SS. Viti, Modesti atque Crescentiæ, Mart.
16
17
18 SS. Marci et Marcelliani, Mart.
19 Com. SS. Gervasii et Protasii, Mart.

APPENDIX

AD

MARTYROLOGIUM ROMANUM

PRO

ECCLESIA ANICIENSI.

In Martyrologio urbs Aniciensis appellatur PODIUM SANCTÆ MARIÆ IN GALLIA, quia sicut ex Bulla *Si Pastores ovium*, S. Leonis, Papæ, Noni, est ejus vulgare nomen, ita et gloriosissimum.

FEBRUARIUS.

DIE IV. **Octávo Idus Februárii, Luna *N*.**
Sancti Odilónis Abbátis de quo ágitur Kaléndas Januárii.

DIE VI. Prídie Nonas Februárii, Luna *N*.
Apud Bitúricas, beátæ Joánnæ Valésiæ, quæ, cum regum Fránciæ fília et uxor, régiæ dignitáti, Deo providénte, valedixísset, Moniáles Annuntiatiónis, sub régula decem virtútum beatíssimæ Vírginis, instítuit, Sociárum exémplar et páuperum mater munificentíssima.

DIE XI. Tértio Idus Februárii, Luna *N*.
Sancti Titi, Epíscopi et Confessóris, de quo ágitur prídie Nonas Januárii.

DIE XII. Prídie Idus Februárii, Luna *N*.
Sancti Fabiáni, Papæ et Mártyris, de quo ágitur tértio décimo Kaléndas Februárii.

DIE XIII. Idibus Februárii, Luna *N*.
Sancti Ignátii, Epíscopi et Mártyris, de quo ágitur Kaléndas Februárii.

DIE XIV. Sexto décimo Kaléndas Mártii, Luna *N*.
Pódii sanctæ Maríæ in Gállia, Natále sancti Pauliáni, Vellavórum Epíscopi, qui Idolórum cultu in hac regióne ferme delélo, exímiæ pietátis fama suavíssimæ memóriæ nomen relíquit.

DIE XV. Quinto décimo Kaléndas Mártii, Luna *N*.
Sancti Andreæ Corsíni, Epíscopi et Confessóris, de cujus natáli ágitur prídie Nonas Februárii.

FERIA VI. Quarto décimo Kaléndas Mártii, Luna *N*.
S. Raymúndi de Pénnafort, Confessóris, órdinis Prædicatórum, de quo ágitur séptimo Idus Januárii.

MARTIUS.

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAG. : Kal. *N.*, Luna *N.*
Festum SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAG. : Kal. *N.*, Lun. *N.*
Festum Sacratíssimæ Síndonis D. N. J. C.

I. Prídie Nonas Mártii, Luna *N.*
Apud Gandávum in Flándria, sanctæ Colétæ, Vírginis, quæ primum Tértii Ordinis régula proféssa, deinde divíno Spíritu affláta, quam plura moniálium secúndi Ordinis monastéria primævæ disciplínæ restítuit, atque divínis exornáta virtútibus, innúmeris cláruit miráculis, a Pio Séptimo, Pontífice Máximo in Albo Sanctórum adscrípta.

DIE XVIII. Quarto décimo Kaléndas Aprílis, Luna *N.*
Sancti Gabriélis Archángeli, qui, ad beatíssimam Vírginem Maríam a Deo missus, nos dócuit illam grátia plenam inter mulíeres benedíctam salutáre.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADR. Kal. *N.*, Lun. *N.*
Festum quinque Plagárum D. N. J. C.

FERIA VI. POST DOM. IV. QUADRAG. Kal. *N*, Luna *N.*
Festum Pretiosíssimi Sánguinis D. N. J. C.

APRILIS.

DIE I. (SI FESTUM ANNUNTIATIONIS *inciderit post diem Paschæ.*
Kaléndas Aprílis *N*, Luna *N.*
Pódii sanctæ Maríæ in Gállia, Octáva Annuntiatiónis beátæ Maríæ Vírginis.

DIE XXVI. Sexto Kaléndas Máii, Luna *N.*
Festum Beátæ Maríæ Vírginis, sub título Boni Consílii.

DIE XXVII. Quinto Kaléndas Máii, Luna *N.*
Sanctórum Cleti et Marcellíni, Pontíficum et Mártyrum, de quibus ágitur sexto Kaléndas Máii.

MAIUS.

DIE XI. *Omnia ut in Martyrologio, sed præmisso elógio S. Mayoli, Abbatis.*

DIE XIII. Tértio Idus Máii, Luna *N.*
Sancti Isidóri Agrícolæ, de quo ágitur sexto Idus Máii.

DIE XVII. Sexto décimo Kaléndas Júnii, Luna *N.*
(POST ELOGIUM SANCTI PASCHALIS PROUT HABETUR IN MARTYROLOGIO ROMANO STATIM ADDITUR): *Briváte in Diœcési Aniciénsi, translátio reliquiárum sancti Juliáni Mártyris, quæ cum ab ímpiis fuíssent e suo loco deturbátæ, tandem in eo summa cum lætítia restitútæ sunt die Ascensiónis Dómini, anno supra millésimum et octingentésimum quinquagésimo quarto.*

DIE XXI. Duodécimo Kaléndas Júnii, Luna *N.*
Sancti Ubáldi, Epíscopi, de quo ágitur décimo séptimo Kaléndas Júnii.

JUNIUS.

DIE XXIV. Nono Kaléndas Június, Luna N.

Romæ, Festum beátæ Maríæ Vírginis sub título Auxílium Christianórum, quod Pius, Papa, Séptimus, in memóriam restitútæ sibi a duríssima captivitáte libertátis, grata pietate instítuit.

DIE VII. Séptimo Idus Június, Luna N.

Pódii sanctæ Maríæ in Gállia, sancti Marcellíni, Vellavórum Epíscopi, qui, divínis munéribus ornátus, virginitátis tamen flore méruit præcípue commendári.

¶ In Indulto Apostolico, 10 Sept. 1857, concedere dignatus est Sanctissimus Dominus, ut Festa affixa quibusdam certis Dominicis vel Feriis transferri queant ad primos insequentes dies liberos, quoties juxta Decreta designatæ sedes impeditatæ occurrerint; modo tamen officia instrumentorum et mysteriorum Dominicæ Passionis a Feria III post Septuagesimam, in Quadragesima, quibusdam determinatis Feriis affixa, non transferantur ultra Quadragesimam.

Matutinum inchoari potest pro die sequenti, juxta Tabulam Romæ editam ad horologium gallicum accommodatam :

Die 20	Januarii, horâ. . . .	2 cum quadrante.
13	Februarii.	2 cum dimidia.
1	Martii.	2 cum tribus quadrantibus.
18	Martii.	3
4	Aprilis	3 cum quadrante.
20	Aprilis	3 cum dimidia.
10	Maii.	3 cum tribus quadrantibus.
8	Junii.	4

Si qui autem Ecclesiastici viri, in Dœcesi Aniciensi, gravi legitimaque causa impediti fuerint quominus in recitatione Breviarii Romani, horam a rubricis præscriptam adamussim expectent, SANCTISSIMUS DOMINUS concedere dignatus est Episcopo Aniciensi quatenus eos dispensare possit, ut Matutinum cum Laudibus ad horam secundam pomeridianam anticipare valeant, his tamen sub conditionibus expresse ET ABSOLUTE REQUISITIS, nempe : 1° Quod dispensatio hæc non concedatur nisi sigillatim postulantibus et justam causam proferentibus ; et 2° quod ea obtenta non utantur nisi eadem causa persistente

Ex Indult. Ap. 10 *Sept.* 1857.

STATUTA ET CONCESSA
SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

CIRCA CELEBRATIONEM

FESTI ANNUNTIATIONIS B. M. V.

IN DIOECESI ANICIENSI.

Cum ex adductis a Reverendissimo Episcopo Aniciensi festum Annuntiationis B. M. V. sit patronale non modo Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam totius Diœcesis, S. Congregatio indulget ut celebrari illud possit cum Octava si incidat post diem Paschatis.

Verum quod attinet ad Festi aut Officii translationem, quando celebrari nequit propria die ob concursum Majoris Hebdomadæ vel hebdomadæ Paschatis, eadem S. C. inhærens Decreto in Anicien., diei 31 Aug. 1839, generales Rubricas servandas esse statuit ac præsertim decreta generalia die 20 Julii 1748, *Urbis et Orbis*, et die 22 Martii 1817, quæ quidem decreta ad omnem tollendam ambiguitatem per extensum hic transcribuntur.

I. ANICIEN,

Cum Reverendissimus Aniciensis Episcopus in relatione status suæ Ecclesiæ ad Sacram Congregationem concilii transmissa inter cætera postulata sequens exposuerit, nimirum : « Ex antiquissimo Ecclesiæ Aniciensis ritu, si Festum Annuntiationis Domini occurrat in tertia vel quarta Dominica Quadragesimæ » ac etiam in Dominica Passionis, fiebat de eo cum commemoratione Dominicæ in utrisque Vesperis, Officio nocturno et Laudibus. Si incideret in » Dominica Palmarum, anticipabatur Officium cum festivitate Sabbato præcedenti. Si evenerit Feria quinta in Cœna Domini, Feria VI in Parasceve, Sabbato sancto, Dominica Paschæ aut Feriis secunda et tertia sequentibus, transferebatur Officium cum festivitate in Feriam sextam post Pascha, et festum » Annuntiationis claudebat Jubilæum talis concursus occasione a Romanis » Pontificibus concessum. Quocumque alio die intra Majorem Hebdomadam » vel intra hebdomadam Paschæ si occurrat, prædictum Festum fiebat de eo » cum commemoratione Feriæ in Officio Nocturno, Laudibus et Vesperis. » Hunc ritum sicut antea servari postulamus. » Super quo postulato Sacra Rituum Congregatio de sententia requisita in ordinariis Comitiis ad Quirinale subscripta die habitis, rescribendum censuit : *Si festum Annuntiationis inciderit in Dominicas vel tertiam vel quartam Quadragesimæ, de speciali gratia servari poterit consuetudo ; si vero occurrat in Majori Hebdomada vel intra Paschatis Octavam, serventur omnino dispositiones Decretorum diei* 11 *Martii* 1614 *ac* 14 *Junii* 1692, — atque ita rescripsit die 31 Aug. 1839.

II. URBIS ET ORBIS.

Nomine compositorum Kalendarii humillime S. R. C. supplicatum fuit pro explicatione dubii. « An quando festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis » occurrit in Dominica privilegiata, ejus Officium transferri debeat in Feriam » secundam immediate sequentem vel in primam Dominicam non impeditam » Festo Duplici vel Semiduplici ? » Et Sacra eadem Congregatio, referente Eminentissimo et Reverendissimo DD. cardinale Mellino, declaravit *quando hujusmodi casus intervenerit, Officium Purificationis esse transferendum in feriam secundam immediate sequentem quocumque Festo etiam æqualis,*

non tamen altioris ritus in eam incidente. Et idem servandum mandavit quando Festum Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis occurrit in Dominica privilegiata : quod si in Hebdomada Majori vel Paschali, tunc Annuntiationis Officium pari cum privilegio in Feriam secundam post Dominicam in Albis transferri voluit. Atque hoc Decretum generalibus Kalendarii Romani Rubricis adjici præcepit. Die 20 Julii 1748. »

III. DECRETUM GENERALE.

Multa pridem a Sacra Rituum Congregatione sunt edita Decreta quibus de Festo beatæ Mariæ Virginis Annuntiationis transferendo certæ quædam pro tanti mysterii dignitate regulæ edicuntur, quando propria die fieri nequit eo quod in aliqua ex Feriis Majoris Hebdomadæ vel intra Paschatis Octavam occurrat. Eidem quippe eadem de causa secunda post Dominicam in Albis Feria assignata est, in quam pro diebus quibus occurrit varietate transferatur vel quoad Chorum et Forum cum præcepto, nimirum audiendi sacri et a servilibus operibus cessandi, vel quoad Chorum duntaxat ex solius Officii translatione. Apprime iisdem decretis consultum est pro Octava Annuntiationis rite peragenda, quando eo titulo Ecclesia nuncupata est, vel eo sub mysterio Deipara uti principalis loci patrona solemniori ritu colatur.

Nonnulla tamen Episcopus Tudensis dubia proposuit, quæ festum diem illum respiciunt ut a Sacra Congregatione de iisdem opportune declaretur.

Quærit scilicet utrum festum principalis patroni cedere debeat Festo Annuntiationis quoad Chorum et Forum simul translato? et quatenus affirmative an festum patroni transferri possit in Feriam sequentem vel servanda sit rubrica de translatione Festorum? Item num idem Festum sic translatum gaudeat Octava ubi beata Maria Virgo sub Annuntiationis mysterio est principalis patrona vel titularis? et quatenus gaudeat unde lectiones sint desumendæ?

Re itaque universa ad liberationem deducta, Eminentissimi Patres venerabili decreto ubique servando prædictas quæstiones definiendas esse arbitrati sunt ac proinde si Sanctissimo placuerit censuere:

1. Decretum editum die 2 Septembris anno 1741 in Aquen. in responsione ad dubium, nimirum: « Quando festum Annuntiationis transfertur simul cum » præcepto audiendi sacrum ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, » præfertur cuicumque duplici etiam primæ classis eo die occurrenti. » Intelligendum esse de quocumque festo eo die occurrente, etiamsi sit patroni principalis, et titularis, vel Dedicationis quod cedere debet festo Annuntiationis translato quoad Chorum simul et Forum, hoc est cum præcepto audiendi sacrum.

2. Festum primæ classis quod eo die occurrat vel sit de patrono, vel de titulari, vel de Dedicatione Ecclesiæ transferendum esse juxta modum a rubrica præscriptum, nisi ab Apostolica Sede tributum fuerit ut in Feriam tertiam vel in aliam certam diem assignatam reponatur.

3. Octavam vero Annuntiationis in iis tantum ecclesiis et locis, quibus indultum est de ea fieri etiam in Quadragesima vel in quibus hujusmodi festum tituli vel principis patronatus honore gaudet, juxta diversas occurrentias peragendam esse, quando idem festum in Feriam secundam post Dominicam in Albis transfertur ut sequitur : si nimirum translatio fiat cum præcepto audiendi Sacrum integra Octava illud gaudere, nisi feria illa secunda esset dies propria. Si vero quoad Chorum tantum solius, scilicet Officii translatio sit nihil agendum de Octava nisi festi quod proximo anno eveniet translatio occurrat infra Octavam. Tunc quippe de ea fieri Officium poterit iis tantum diebus qui de Octava supersunt juxta generales Rubricas, prout decretum fuit die 14 Maii 1803 in una ordinis Carmelitarum excalceatorum Congregationis Lusitaniæ in responsione ad primum.

4. Si fiat integra Octava dum Festum transfertur quoad Chorum et Forum vel dimidiata iis nimirum diebus duntaxat quæ ex ea supersunt, dum illud infra Paschatis Octavam occurrit, Lectiones primi Nocturni esse debere de

Scriptura occurrente; Lectiones secundi Nocturni petendas esse ex Octavario Romano pro alio quolibet festo beatæ Mariæ Virginis : Lectiones demum pro tertio Nocturno de homilia in Evangelium *Missus est*, haberi in Festo sancti Gabrielis Archangeli, vel Expectationis Partus, vel Translationis almæ Domus Lauretanæ; quinimo repeti etiam libere posse tam in secundo quam in tertio Nocturno Lectiones pro die Festo assignatas. Et ita e die 22 Martii 1817.

Et facta per me infra scriptum Secretarium relatione sanctissimo Domino Nostro Sanctitas Sua præfatum decretum approbavit, confirmavit, jussitque prælo tradi, ac publici juris fieri. Die 28 Martii 1817. »

(*Ex annotatis a S. R. C. in margine Mss. Supplementi Aniciensis. fol.* 4. 12.)

RUBRICA *circa solemnitatem exteriorem festi Annuntiationis, utpote Festi patronalis Ecclesiæ beatæ Mariæ Aniciensis quæ est Cathedralis, et totius Diœcesis.*

Ex privilegio a Sancta Sede benigne concesso in honorem beatæ Mariæ Aniciensis, solemnitas exterior, præscripta ex Indulto Cardinalis Caprara anni 1802, fiet in Dominica proximiori post Festum jam celebratum, exceptis solis Dominicis Palmarum et Paschæ quibus occurrentibus remittetur in Dominicam sequentem.

(*E Mss. approbato Suppl. Aniciensis. fol.* 28.)

IMPERII GALLIARUM (1).

III. In Missa Præsanctificatorum, Feria VI in Parasceve, inter orationem pro cunctis Ecclesiæ Ordinibus, et etiam pro Catechumenis, hoc pro Imperatore dicatur : « Orémus et pro gloriosíssimo Imperatóre nostro N. ut Deus, et Dóminus noster det illi sédium suárum assistrícem sapiéntiam, qua pópulum sibi commíssum gubérnet in omni justítia et sanctitáte ad divínam glóriam et nostram perpétuam pacem. » *Oremus.* Flectámus génua. ℟. Leváte. « Omnípotens, sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris, réspice ad Francórum benígnus Impérium, ut et Imperátor juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo ad glóriam tui nóminis, et regni tranquillitátem unaními pietáte conspírent. Per Dóminum. »

IV. Præconium Paschale, Sabbato Sancto, hac ratione concludatur :

« Precámur ergo te, Dómine, ut nos fámulos tuos, omnémque Clerum, et devotíssimum pópulum una cum Beatíssimo Papa nostro N., et Antístite nostro N., nec non gloriosíssimo Imperatóre nostro N., quiéte tempórum concéssa, in his Pascbálibus gáudiis assídua protectíone régere, gubernáre et conserváre dignéris. Per Dóminum. »

V. In Litaniis Sanctorum, cum deventum fuerit ad preces, inter versiculum, *ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare*, etc., et alium *ut Regibus et Principibus*, etc., addatur ℣. « Ut Imperatórem nostrum custodíre dignéris. ℟. Te rogámus, audi nos. » Item post Psalmum *Deus, in adjutorium*, etc., dicto Versiculo *Oremus pro Pontifice nostro N.*, ℟. Dóminus consérvet eum, etc. illico subjungatur. ℣. Orémus pro Imperátore nostro N. ℟. « Dómine, salvum fac Imperatórem, et exáudi nos in die qua invocavérimus te. » Denique absolutis precibus immediate post orationem pro Papa adjiciatur superius notata Collecta : « Quæsumus, Omnípotens Deus, ut fámulus tuus, Imperátor noster qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium suscípiat increménta, quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre hostes superáre, et ad te qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat perveníre; Per Dóminum...

Has itaque preces, quas juxta formam modo descriptam approbare San-

(1) Prima pars hujusce Indulti in parte Hiemali relata est.

ctitas Sua dignata est, ita et non aliter in toto Galliarum Imperio recitandas esse decrevit.

Inhærens autem Constitutionibus Apostolicis prohibentibus ne in corpore Missalis et Breviarii Romani ullo pacto adjiciantur quæ ex singulari privilegio, alicui tantum Diœcesi, provinciæ vel regno pertinent, ut id quod superius indultas preces stricte ab omnibus servetur in Gallia, jussit preces ipsas, una cum præsenti Decreto, nonnisi in appendice Missalis et Breviarii Romani ad usum diversorum locorum destinata vel in supplemento Missarum atque officiorum uniuscujusque Diœcesis proprio, apponi debere.

Quo vero expositæ hucusque Pontificiæ suæ voluntatis ordinationes ad notitiam Episcoporum Gallici Imperii perveniant, et illorum quilibet in commissa sibi Diœcesi, juxta debitum pastoralis officii, plenam earumdem ordinationum observantiam urgere possit, idem Sanctissimus Dominus noster præsens voluit a Sacra Rituum Congregatione edi decretum, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Septembris 1857.

Loco † sigilli.

† C., Episcopus Albanensis,
Card. PATRIZZI,
S. R. C. Præfectus.

H. CAPALTI, *S. R. C. Secr.*

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS ANICIENSIS
PARS VERNA.

FESTA FIXA
CERTIS DIEBUS MENSIS.

MENSE FEBRUARIO.

DIE IV.
B. JOÁNNÆ VALESIÆ, REGINÆ, VIDUÆ.
Duplex.

De Comm. nec Virg. nec Mart.

ORATIO.

Deus, qui ad imitándum beátæ Vírginis, Fílii tui Genitrícis, virtútes, novum per beátam Joánnam sacrárum Vírginum cœtum instítui voluísti : ejus méritis precibúsque concéde; ut per éadem gradiámur virtútum exémpla. Per eúmdem Dóminum.

Comm. Feriæ.

Lect. I. Noct. Mulíerem fortem, *de Communi*, p. cxxxiv.

IN II. NOCTURNO.
LECTIO IV.

Joanna Valésia, Ludovíci Undécimi, Galliárum regis, fília, a téneris annis in omnem pietátem institúta ac propénsa, non obscúris futúræ sanctitátis indíciis contínuo cláruit. Quinquénnis, ferventíssimis précibus Deíparam Vírginem, quam semper mirífice cóluit, exoránti, ut quo ei placére magis posset obséquio, significáret, prænuntiári sibi visa est fore aliquándo, ut novum sacrárum Vírginum Ordinem in ejúsdem Deíparæ honórem institúeret. Ludovíco, Aurelianénsium duci, nupta, summam in prósperis moderatiónem exhíbuit atque in advérsis constántiam. Ipso póstea in Galliárum regem assúmpto, ac nullo et írrito per Apostólicam Sedem eo declaráto conjúgio, id non solum æquíssimo ánimo tulit, sed gravi se vínculo solútam prædicans, libérius deínceps uni Deo famulári posse gratuláta est.

LECTIO V.

BITURICENSIS ducátus sibi a Ludovíco rege assignátos rédditus aléndis paupéribus, curándis ægrótis, ædificandísque monastériis profúse erogábat. In eam vero curam præsértim incúbuit, ut sacrárum Vírginum cœtum sub nómine Annuntiatiónis beátæ Vírginis Maríæ, quibus ejúsdem virtútes, certis régulis ab Alexándro Sexto approbátis, essent ad imitándum propósitæ institúeret ac promovéret : quod ei felíciter cessit. Egénos ac míseros omnes ad se confugiéntes matérnæ charitátis complectebátur viscéribus, ægrótos in primis, quorum úlcera et sániem própriis mánibus térgere et contrectáre non refugiébat, restitúta non semel eo contáctu iísdem sanitáte.

LECTIO VI.

SINGULARI atque exímia erga sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum pietáte ferebátur : ad quod tanta accedébat lacrymárum vi, ut ejúsdem charitátis ac devotiónis sensus in adstántium ánimis excitáret. Domínicæ quoque passiónis mystéria pari recolébat afféctu : quare constrúcto intra doméşticum hortum Christi sepúlchro, ibi secedébat, idéntidem nudum pectus lápide tundens, atque in preces et lácrymas júgiter effúsa. Vitæ demum innocentíssime actæ finem quadragenária præséntiens, sacris ómnibus Christiánæ religiónis mystériis rite piéque suscéptis, prídie Nonas Februárii, Bitúrici decéssit, anno millésimo quingentésimo quinto. Ejus corpus quinquagésimo séptimo post óbitum anno, incorrúptum repértum, dum ab hæréticis milítibus ad cremándum raperétur, gémitus edidísse, et mucróne transfíxum, copióso sánguine manásse perhibétur. Ejus cultum Benedíctus Décimus Quartus Apostólica auctoritáte probávit, anno millésimo septingentésimo quadragésimo secúndo. Tandem Pius Sextus, ut in toto Gálliæ regno possit de beáta Joánna Valésia, anniversária ejus dormitiónis die, Officium recitári ac Missa celebrári de Cómmuni nec Vírginis nec Mártyris indúlsit, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto, die vero Aprílis vigésima.

In III. Noct. Homilia in Evang. Símile est thesáuro, *de Comm.*, p. cxxxix.

IX. Lectio de Homilia et Comm. Feriæ in Laud.

Vesp. a Cap. de S. Agatha, Virg. et Mart., ut in Brev., p. 430, *cum Comm. S. Joannæ et Fer.*

¶ *Intra Quadragesimam addenda semper erit tam in Vesperis quam in Laudibus Comm. Feriæ, cum* IX. *Lect. in III. Noct. Lectiones vero I. Noct. semper desumendæ erunt de Communi, nisi designentur propriæ.*

DIE VI.

S. ODILONIS,

ABBATIS.

Duplex.

(*E die 1. Januarii. in Mart.*)

Omnia ut in Com. Conf. non Pont. Pridie a Cap. de eo. Com. præc. Fer. et S. Dorotheæ, Virg. et Mart.

In I. Noct. Lect. de Com., p. xcvij.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

ODILO in Arvérnia nobílibus paréntibus natus, dum adhuc puer esset, tanto ómnium fere membrórum languóre constríctus est, ut incedéndi prorsus facultátem amisísse viderétur, sanctíssimæ Dei genitrícis ope mirabíliter curátus, primum in mártyris Juliáni Brivaténsi Ecclésia cléricus, deínde in civitáte Aniciénsi Abbas collegiátæ sancti Evódii, tum famíliæ Cluniacénsi sub Abbátis Mayoli magistério nomen dedit, cui quarto post anno ad cœlum migránti, succéssor designátus est.

LECTIO V.

JAM vero in commíssi regíminis sollicitúdine ita in síngulis virtútibus visus est eminére, quasi cæteras non habéret; ita omnes retinére, ut nulla deésset. Divínæ dilectiónis prærogatíva donátum, quæ in perfectióne virtútum pónitur, ab hac étiam quæ deprehénditur, in occasióne signórum, Deus servum suum exclúdi non volens, plúrima per eum mirabíliter operátus est in ægrórum sanatióne, aquæ in vinum mutatióne, flúminum siccis pédibus transmeatióne ac animárum de purgatórii flammis ereptióne. In quarum adjutórium, commemoratiónem ómnium fidélium defunctórum, prima die post festum ómnium Sanctórum, primus in suis monastériis fiéri præcépit; quem ritum póstea universális Ecclésia recípiens comprobávit.

LECTIO VI.

IN extrémis vitæ suæ per quinquénnium gravíssimis Cruciátibus afflíctus, cum jam mortem vicínam sentíret, sanctórum Apostolórum límina ádiit, ea spe, ut ibi sub protectióne tantórum Apostolórum débitum mortis exólveret, sicut semper in votis habúerat. Sed quia non est in hóminis potestáte via ejus, áliter se res hábuit quam speráverat; nam contra spem convaléscens, ad própria remeávit. Post annum explétum fratres suos ante mortem visitándi cúpidus, Sylviniácum venit, ubi mórtuus fúerat prædecéssor Mayolus et requiescébat; ibíque ab antíquis dolóribus captus, sumpto vivífici córporis et sánguinis mystério, pace frátribus data, et ad últimum salutífera cruce

ad adorándum accépta, beátum spíritum Deo réddidit. Decéssit vir sanctus nocte Circumcisiónis Dómini nostri Jesu Christi, in prima vigília noctis, quæ étiam Domínica habebátur, ætátis suæ anno octogésimo séptimo, ordinatiónis vero, quinquagésimo sexto, anno Domínicæ Incarnatiónis millésimo quadragésimo nono.

In III. Noct. Homil. S. Hieronymi, Presbyt. in Evang. Dixit Petrus ad Jesum, *pro Abbat., primo loco*, p. cx. *Lect.* ix. *Fer.*

Ad Laud. Comm. Fer. et S. Dorotheæ, Virg. et Mart.

Vesp. a Capit. de S. Romualdo ut in Brev., p. 435. *Comm. præced. et Feriæ.*

DIE XI.

SANCTI TITI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

(*E* 4. *Januarii.*)

De Communi Conf. Pontif.

ORATIO.

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti : ejus méritis, et intercessióne concéde; ut juste et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Pridie a Cap. de eo; Comm. præced. et Feriæ.

In I. Noct. Lect. de Comm.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Titum Creténsium Epíscopum vix, Pauli Apóstoli verbo, christiánæ fídei sacraméntis, mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiæ tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris Géntium discípulos merúerit cooptári. Adscítus in partem óneris prædicatiónis, ádeo evangelizándi ardóre, et fidelitáte Paulo éxtitit charus, ut ipse cum venísset Tróadem propter Evangélium Christi, testátus sit non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedóniam petens, rursus suam in eum charitátem ita éxprimit : sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

LECTIO V.

Quamobrem Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quæ præsértim de Fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiæ Hebræórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, æmulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus instítuit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter Gentes linguis, locísque distínctas divíni

verbi semen, plúribus terra maríque itinéribus reléctis, magnáque ánimi firmitáte pro Crucis trophæo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Cretæ ínsulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiæ Epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut juxta ipsíus Pauli præceptóris mónita seípsum præbúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

LECTIO VI.

Itaque tamquam lucérna inter eos, qui in idololátriæ et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis sedébant, religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut Crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum et diérum plenus quarto supra nonagésimum anno, prídie Nonas Januárii, pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclésia, ubi ab Apóstolo Miníster fúerat constitútus. Hujus nomen a sancto Joánne Chrysóstomo, et a sancto Hierónymo præcípue commendátum, Martyrológio Románo eádem die inscríptum légitur; verum pro ejus die festo cum Offício et Missa in cathólico Orbe recoléndo ab utróque Clero, primam insequéntem diem líberam Summus Póntifex Pius Nonus assignávit.

In III. Noct. de Homilia S. Gregorii Papæ in Evang. Designávit Dóminus, *de Com. Evangelist.*, p. xviij, *cum* ℟℟. *de Comm. Conf. Pont.*

Vesperæ a Capit. de seq., Comm. præced. et Feriæ.

DIE XII.
SANCTI FABIANI,
PAPÆ ET MART.
Duplex.

(*E die* 20. *Januarii.*)

E Communi unius Martyris.

Lect. I. Noct. de Comm.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Fabianus post mortem sancti Antéri, qui Románam sedem mensis uníus spátio ténuit, ad Pontificátum, præter ómnium expectatiónem, divínitus vocátus est. Nam, ut narrat Eusébius, cum de electióne Románi Pontíficis agerétur ac nemo de Fabiáno cogitáret, colúmba e sublími delápsa, repénte cápiti ejus insedísse fertur; quo spectáculo permóti omnes simul exclamáre cœpérunt Fabiánum dignum esse, statímque Pontificáli Cáthedræ imposuérunt.

LECTIO V.

A Maximino ígitur usque ad Décium regens Ecclésiam, septem Diáconis regiónes divísit, qui páuperum curam habérent; tótidem Subdiáconos creávit qui res gesta Mártyrum a septem notáriis scriptas collígerent. Idem státuit ut quotánnis féria quinta in

cœna Dómini, véteri combústo, chrisma renovarétur. Per lítteras ácriter reprehéndit privátum hæréticum, in Concílio nonagínta Episcopórum Africanórum ob multa et grávia delícta condemnátum.

LECTIO VI.

Ad ipsum Orígenes epístolam de sua fide conscrípsit. Dénique in persecutióne Décii martyrio coronátus, in cœmetério Callísti via Appia sepelítur, cum sedísset annos quíndecim, dies quátuor, de cujus agóne sanctus Cypriánus per Epístolam Cleri Románi cértior factus sic rescrípsit : Plurímum grátulor quod ejus memóriam tam célebri et illústri testimónío prosequámini, ut et per vos innotésceret nobis quod et vobis esset circa propósiti memóriam gloriósum, et nobis quoque fídei ac virtútis præbéret exémplum. Hic fecit ordinatiónes quinque mense Decémbri, quibus creávit presbyteros vigínti duos, Diáconos septem, Epíscopos per divérsa loca úndecim.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ, primo loco, in Evang. Si quis venit ad me.

Vesperæ a Capit. de seq., Comm. præc. et Feriæ.

DIE XIII.

SANCTI IGNATII,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Duplex.

(*E die* 1. *hujus.*)

Ut in Breviario inter translata, p. 426.

A Cap. de S. Pauliano. seq., Comm. præced. Feriæ et S. Valentini, Presb. et Mart., ut in Breviario die XIV, *p.* 440.

DIE XIV.

SANCTI PAULIANI,

EPISCOPI ANICIENSIS ET CONF.

Duplex.

E Comm. Conf. Pont.

ORATIO.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui beátum Pauliánum Antístitem pópulo tuo præésse, et quibus præerat verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cápiant et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Communi.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Paulianus Epíscopus Ecclésiæ Velaunórum præfuit cum Vétula cívitas nondum transláta sede præfulgéret. Hanc Ecclésiam persecutiónum procéllis pene attrítam apostólica virtúte ac ómnibus pastorális stúdii offíciis felíciter instaurávit, demúmque idolórum cultu ferme deléto, firmitérque stabilíta Christi religióne, beáto fine quiévit.

LECTIO V.

Morte sublátus Pauliánus eo in óppido cónditus est quod

ab ipso nomen habet tum Vétulæ civitátis, tum Ruéssii appellatióne relícta. Tanta enim laude perfúnctus fúerat múnere pastoráli, et tanta sanctitátis fama regiónem impléverat, ut mox ab óbitu ejus ad sepúlchrum undequáque concúrsus fíeret. Cum autem per mirácula innúmera Deus annúeret piis visitántium votis, hinc a sancto Antístite nobilitáta cívitas ejus nomen retínuit.

LECTIO VI.

Eodem in óppido templum olim sub sancti Pauliáni invocatióne dicátum fúerat, et título parochiális Ecclésiæ insignítum ubi sacra ejus pígnora asservabántur cum relíquiis sanctórum Valentíni et Albíni, in lapídea cápsula sub altári príncipe collocáta. In lugénda autem Galliárum perturbatióne sub finem sæculi décimi octávi, dirútum fuit templum, confráctaque cápsula : súperest tamen unum ex sanctíssimi præsulis óssibus, quod nunc in Ecclésia sancti Geórgii ejúsdem urbis multa veneratióne cólitur. Agitur ab antiquíssimis tempóribus die décima quarta Februárii sancti Pauliáni anniversária solémnitas.

In III. Noct. Homilia in Evang. Vigiláte, S. *Hilarii, Episc., secundo loco. IX. Lect. de Feria, cujus Comm. in Laud. et S. Valentini.*

In II. Vesp. a Capit. de seq. Comm. præc. Feriæ et SS. Faustini et Jovitæ, Martyrum.

DIE XV.

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

(*E die* 4. *hujus.*)

Ut in Breviario, p. 429.

In III. Noct. IX. Lect. Fer. In Laud. Comm. Fer. et SS. Faustini et Jovitæ, Mart., p. 441.

Vesperæ de eodem cum Commem. seq. et Feriæ.

DIE XVI.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT,

CONFESSORIS.

Semiduplex.

E die 23. *Januarii, ut in Brev. hac die, cum IX. Lect. de Feria.*

MENSE MARTIO.

DIE VI.

SANCTÆ COLETÆ, VIRG.

Duplex.

De Comm. Virg.

Pridie Vesp. de ea.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui beátam Colétam Vírginem tuam cœléstibus donis cumulásti : tríbue, quæsumus, ut ejus virtútes æmulántes in terris, ætérnis gáudiis cum ipsa perfruámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Lect. I. Noct. de Communi.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Picardiæ cívitas, Corbéia Diœcésis Ambianénsis sanctæ Colétæ natálibus ex matre stérili et sexagenária illústris effécta est. Hæc ab ineúnte ætáte cœpit ardéntius cólere offícia charitátis, ita ut quidquid habéret hiláriter paupéribus elargirétur. Oratióni assídue vacans perféctam vitam auspicabátur; ténerum corpúsculum afflígens jejúniis, carnem spirítui subjíciens, caténa férrea cilicióque nunquam aut raro depósitis, cubans cum brevi somno ex necessitáte indulgébat. Ita donis spirituálibus inhiábat, cætera réspuens, ut repetítis précibus a Dómino impetráverit venustátem oris sibi in térreum colórem mutári, damnum córporis ánimæ lucrum réputans. A dæmónibus frequénter lacessíta, vulneribúsque tote córpore laceráta, impénsius ad Dei grémium confugiébat, ita ut sæpe in éxtasim rapta Angelórum visióne et collóquio recrearétur.

LECTIO V.

Facultatibus inter páuperes distribútis, tértia Franciscáni órdinis régulam proféssa, mox ad restaurándam Clarissárum disciplínam plúribus in locis collápsam a Deo multis modis admónita, destinári se cognóvit. Sedem ítaque Apostólicam ádiit, et suscépto reformatiónis mandáto, tantum opus in váriis regiónibus aggréssa est, et felíciter adimplévit. Sub præsule Guillélmo Anícium venit, ibíque Moniálibus sanctæ Claræ domum cóndidit, quam fundávit Cláudia de Rossilónio Armándi vice cómitis de Podemniáco vídua, sóciam se piæ famíliæ adjúngens. Ecclésia solémni ritu consecráta, sancta Coléta cum séxdecim Soróribus ab Epíscopo, canónicis ac primáriis cívibus dedúcta est in novum monastérium quod ipsa rexit per biénnium. Extat etiámnum céllula quam incóluit, quæ in oratórium mutáta crebro pie invísitur.

LECTIO VI.

Cum deínde summo stúdio antíqua monastéria reformáre et nova instítuere pérgeret, advérsa plúrima sustínuit et humilitáte ac patiéntia devícit. Paupertátem Christi in primis deperíbat, cæteróquin áliis ómnibus præfúlgens virtútibus. Dono étiam prophétiæ illústris, ábdita Dei mystéria divínitus edócta, penetrávit ut de his altíssime disséreret. Multis tandem et máximis patrátis miráculis, morte sua ante biénnium præcógnita, Soróres ad regulárem disciplínam hortáta est, et, ómnibus muníta sacraméntis, Gándavi in Flándria, obdormívit in Dómino, prídie Nonas Mártii, versus médium sæculi a virgíneo partu décimi quinti. Ibídem servántur ejus relíquiæ in monastério quod extrúxerat

et assídua fidélium veneratióne colúntur. Pius autem, Papa Séptimus, ineúnte sæculo décimo nono, novis ríteque probátis prodígiis coruscántem solémni pompa Sanctórum catálogo Colétam adscrípsit.

In III. Noct. Homilia S. Gregorii, Papæ, in Evang. Símile erit decem virgínibus, *primo loco. Lect.* IX. *Feriæ.*

Vesp. a Capit. de seq., scilicet, de S. Thoma, ut in Brev. Comm. præced. Fer., etc.

DIE XVIII.
SANCTI GABRIELIS,
ARCHANGELI.

Duplex majus.

Pridie Vesp. de eo.

Si hoc Festum celebretur post Pascha, additur Allelúia, *et Psalmi Nocturnorum dicuntur sub prima Ant. cujuslibet Nocturni.*

AD VESPERAS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi de Dom. et loco ult., Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes, *p.* 127.

HYMNUS.

Christe, sanctórum decus Angelórum,
Gentis humánæ Sator et Redémptor,
Cœlitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus pacis, Míchael, in ædes
Cœlitus nostras véniat, serénæ
Auctor ut pacis lacrymósa in orcum
Bella reléget.

Angelus fortis, Gábriel, ut hostes
Pellat antíquos, et amíca cœlo,
Quæ triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.

Angelus, nostræ médicus salútis,
Adsit e cœlo Ráphael, ut omnes
Sanet ægrótos, dubiósque vitæ
Dírigat actus.

Virgo, Dux pacis, Genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Régia cœli.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnif. Ant. Ingréssus Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem, dixit: Ave, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. S. Patritii, Episc. et Conf.

Ant. Amávit, ℣. Justum, *et Oratio* Deus, qui ad prædicándam, *p.* 463.

Deinde Feriæ in Quadrag.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Archangelórum, Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymn. Christe, sanctórum., *ut in I. Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dixit Angelus Gábriel ad Daniélem : Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis implébitur vísio.

Psalm. Dómine, Dóminus noster, *Dom. in I. Noct.*, p. 6.

Ant. Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni, et dócuit me.

Psalm. In Dómino, *ibid.*, p. 8.

Ant. Cumque Gábriel loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram, et tétigit me, et státuit me in gradu meo.

Psalm. Dómine, quis habitábit, *ibid.*, p. 9.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ex Daniéle prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 9.

Ego Dániel, cum adhuc lóquerer, et orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, pro monte sancto Dei mei, adhuc me loquénte in oratióne : Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque : Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem.

℟. Cum oráret Dániel, et confiterétur peccáta sua, et peccáta pópuli sui, * Ecce Archángelus Gábriel cito volans tétigit eum in témpore sacrifícii vespertíni. ℣. Cumque prostérneret preces suas in conspéctu Dei sui. Ecce.

LECTIO II.

Septuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio et prophétia, et ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo et animadvérte : Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem et hebdómades sexagínta duæ erunt : et rursum ædificábitur plátea et muri in angústia témporum.

℟. Locútus est Gábriel Daniéli, et dixit : Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo. * Ego autem veni ut

indicárem tibi, quia vir desideriórum es. ℣. Tu autem animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Ego.

LECTIO III.

Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus : et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro : et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una : et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium : et erit in templo abominátio desolatiónis : et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.

℟. Ecce vir Gábriel, quem víderam, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni, et dócuit me, et dixit : * Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. ℣. Gábriel, fac me intellígere istam visiónem : et venit, et stetit juxta ubi ego stabam, et ait ad me. Dániel. Glória Patri. Dániel.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Gábriel Angelus appáruit Zacháriæ, dicens : Uxor tua, Elísabeth, páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem.

Psalm. Cœli enárrant, *Dom. in III. Noct.*, p. 14.

Ant. Et dixit Zachárias ad Angelum : Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea procéssit in diébus suis.

Psalm. Dómini est terra, *Fer. II. ad Prim.*, p. 29.

Ant. Respóndens autem Angelus, dixit ei : Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

Psalm. Benedícam, *Fer. II. ad Matut.*, p. 52.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

Ex Homilia de laudibus Virginis super Missus est.

LECTIO IV.

Missus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitror hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex causa crebra sóleant ad terras fungi legatióne. Quod ex ejus nómine palam intélligi datur, quod interpretátum, Fortitúdo Dei dícitur : et quia non ab áliquo álio forte excellentióre se (ut ássolet) spíritu, sed ab ipso Dei mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósitum est : A Deo, vel ídeo dictum est : A Deo ne cui vel beatórum Spiritúum, suum Deus, ántequam Vírgini, revelásse putétur consílium, excépto dumtáxat Archángelo Gabriéle. Qui útique tantæ inter suos inveníri potúerit excelléntiæ, ut tali et nómine dignus haberétur, et núntio.

℟. Factum est, cum sacerdótio fungerétur Zachárias in órdine vicis suæ ante Deum, * Appáruit ei Angelus Gábriel, stans a dextris altáris incénsi. ℣. Cumque ingréssus in templum Dómini, incénsum póneret secúndum consuetúdinem sacerdótii sui. Appáruit.

LECTIO V.

Nec discórdat nomen a núntio : Dei quippe virtútem Christum, quem mélius nuntiáre decébat quam hunc, quem símile nomen honórat? Nam quid est áliud fortitúdo quam virtus? Non autem dédecens aut incóngruum videátur, Dóminum et núntium commúni censéri vocábulo, cum símilis in utróque appellatiónis, non sit tamen utriúsque símilis causa. Aliter quippe Christus fortitúdo vel virtus Dei dícitur, áliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupatíve, Christus autem étiam substantíve.

℟. Descéndit Gábriel Angelus ad Zacháriam, dicens : * Ne tímeas, quóniam exaudíta est deprecátio tua : et uxor tua, Elísabeth, páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem. ℣. Et Zachárias turbátus est videns, et timor írruit super eum : ait autem ad illum Angelus. Ne tímeas.

LECTIO VI.

Christus Dei virtus et dícitur et est : qui forti armáto, qui suum átrium in pace custodíre solébat, fórtior supervéniens, ipsum suo bráchio debellávit, et sic ei vasa captivitátis poténter erípuit. Angelus vero fortitúdo Dei appellátus est, vel quod hujuscémodi merúerit prærogatívam offícii, quo ejúsdem nuntiáret advéntum virtútis, vel quia Vírginem natúra pávidam, símplicem, verecúndam, ne miráculi novitáte expavésceret, confortáre debéret, quod et fecit : Ne tímeas, ínquiens, María; invenísti enim grátiam apud Deum. Conveniénter ítaque Gábriel ad hoc opus elígitur : imo quia tale illi negótium injúngitur, recte tali nómine designátur.

℟. Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et hæc evangelizáre. * Ecce eris tacens, et non póteris loqui usque in diem quo hæc fiant. ℣. Pro eo quod non credidísti verbis meis, quæ implebúntur témpore suo. Ecce. Glória Patri. Ecce.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Psalm. 95. Cantáte Dómino, *Feria VI. ad Matut.*, p. 103.

Ant. Gábriel Angelus Maríæ dixit : Ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua.

Psalm. 96. Dóminus regnávit, *ibidem*, p. 104.

Ant. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum Gabriélem transmíssum est.

Psalm. Bénedic, *Sabb. ad Matut.*, p. 111.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

De Homília sancti Juliáni, Archiepíscopi Toletáni.

Ex lib. 2. contra Judæos, statim post principium.

Sacramentum illud septuagínta hebdomadárum de Christi nativitáte Dániel per Angelum dídicit : simíliter et Zachárias, apparénte sibi Angelo, Joánnem fílium de se generándum audívit : et María, Angelo sibi prædicénti Christum ex se nascéndum, et crédidit, et assénsit. Hæc tria per Angelum dicta et compléta vidémus. Jam ergo sollícite intuéndum est, utrum Angelus iste, qui Zacháriæ et Maríæ appáruit, ipsi quoque Daniéli illa prædíxerit.

℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph, núntians ei Verbum; et expavéscit Virgo de lúmine : * Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Dóminum : ecce concípies et páries, et vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio; et ait Angelus ei. Ne tímeas.

LECTIO VIII.

Equidem ipse Dániel in prophetíæ suæ volúmine, quando illa sacraménta hebdomadárum de Christi nativitáte per Angelum futúra cognóvit, sic ipsíus Angeli nomen evidénter expréssit. Dicit enim : Ecce vir Gábriel, quem víderam in princípio, cito volans tétigit me, et dixit : Dániel, animadvérte sermónem, et réliqua, quæ ibi commemorántur. Item his tempóribus secúndum Evangélium, Angeli ipsíus nomen miríficum sic invenítur expréssum. Dixit enim idem Angelus Zacháriæ : Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre.

℟. Gaude, María Virgo: cunctas hæreses sola interemísti : * Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti, dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum, Virgo invioláta permansísti. ℣. Benedícta

tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quæ. Glória Patri. Quæ.

In Quadrag. IX. Lectio de Homilia Feriæ, nisi transferatur post Octavam Paschæ, quia tunc dicitur sequens

LECTIO IX.

Quod étiam de beátæ Maríæ Vírginis partu sic in eódem Evangélio légitur : Missus est, inquit, Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Jam ergo maniféstum est, quod unus idémque Angelus Gábriel fúerit, qui et præfíxa illa témpora Daniéli de Christi nativitáte apéruit, et partum Vírginis præséntem esse monstrávit. Ad tempus ítaque præfinítum occúrrit, et olim a se dicta, óperis efficiéntia compléta esse convíncit : et illic fidélis in prophetía hebdomadárum, et hic fidélis per mystérium revelátum.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Ingrésso Zachária * templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dom.*, p. 17.

Ant. Ait autem Angelus : * Ne tímeas, Zachária, quóniam exaudíta est deprecátio tua.

Ant. Ego sum Gábriel * Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

Ant. Gábriel Angelus locútus est Maríæ, dicens : Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Ant. Dixit autem María * ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Gábriel Angelus, dixit ei : Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

CAPITULUM. *Dan.* 9.

Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii Vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque : Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres.

HYMNUS.

Placare, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuæ ad tribúnal grátiæ
Patróna Virgo póstulat.

Et vos beáta, per novem
Distíncta gyros, ágmina,
Antíqua cum præséntibus,
Futúra damna péllite.

Auférte géntem pérfidam
Credéntium de fínibus,
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Pastor regat.

Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Bened. Ant. Gábriel Angelus descéndit ad Zacháriam, et ait illi : Uxor tua páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem, et multi in nativitáte ejus gaudébunt; ipse enim præíbit ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

ORATIO.

Deus, qui, inter cæteros Angelos, ad annuntiándum Incarnatiónis tuæ mystérium Gabriélem Archángelum elegísti, concéde propítius; ut, qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cœlis. Qui vivis.

Et fit Comm. Feriæ, in Quadrag.

AD TERTIAM.

Ant. Ait autem Angelus.
Capit. Ecce vir Gábriel.

℟. *br.* Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Ant. Ego sum Gábriel.

CAPITULUM. *Dan.* 9.

Ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt, ut finem accípiat peccátum, et impleátur vísio et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum.

℟. *br.* Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In. Glória Patri. Ascéndit.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Ant. Dixit autem María.

CAPITULUM. *Dan.* 9.

Scito ergo et animadvérte : Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem et hebdómades sexagínta duæ erunt.

℟. *br.* In conspéctu Angelórum * Psallam tibi, Deus meus. In. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Vesp. de S. Joseph, Sponso B. M. V., Conf., cum Comm. S. Gabrielis per Ant., ℣. *et Orat., ut infra, et Feriæ.*

Sed si Festum S. Joseph transferatur, tunc

IN II. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom., et loco ult., Psalm. Confitébor... quóniam, *p.* 137. *Fer. VI. ad Vesp.*

Hymnus Christe, sanctórum., *ut in I. Vesp.*, p. 51.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.
℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ant. Archángelus Gábriel ait ad Maríam: Non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum. Et discéssit ab ea Angelus.

Oratio ut ad Laudes.

Et fit Comm. Feriæ in Quad.

DIE XXV.

ANNUNTIATIONIS B. M. V.

FESTI PATRONALIS ECCLESIÆ CATHEDR. AC DIŒCESIS,

CUM JUBILÆO

SI INCIDAT IN FERIA VI PARASC.

¶ *Ex decreto SS. Cong. prius relato hæc tria concludas:*

I. Si festum hoc incidat *post diem Paschatis*, celebratur cum Octava, quæ quidem Octava esset integra a Feria secunda in Albis, si Festi Translatio fieret cum præcepto audiendi Missam; alioquin non habet nisi dies qui ex ea supersunt. Igitur si Pascha incidat die 22, cum Festum Annuntiationis celebretur tunc die 30, fiet die 31 de infra Octavam, et prima Aprilis de Octava. Si autem Pascha incidat die 23, Festum celebrabitur die 31, et fiet prima Aprilis de Octava. Pascha vero incidente die 24, Festum celebrabitur die 1 Aprilis, nec fiet de Octava.

II. Quoad autem diem celebrationis, si occurrat Festum hoc in Dominicis III, aut IV. Quadr., in illis celebrabitur cum Com. Dominicæ; occurrens vero in Dom. Passionis transfertur in Feriam II immediate sequentem (in qua præfertur cuicumque Festo vel Dupl. primæ clas., etiam prius translato quod ideo ad aliam diem non impeditam protrahi debet); tandem occurrens in Hebdomada majori vel Paschali, transfertur cum pari privilegio in Feriam II in Albis. Tunc autem observandum est quod, non obstante illa translatione, remaneat *feriatio* annexa diei 25 Mart., exceptis tantum feria VI in Parasceve et Sabbato sancto, in quibus *feriatio* transfertur sicut et festum ad Feriam II in Albis. Nomine autem *feriationis* intelligitur præceptum audiendi sacri si vigeat; item pro Parochis applicandi Missam suis gregibus, ac etiam adornatio Altarium, discooperitio imaginum B. M. V. et his similia.

III. Demum quoad *solemnitatem exteriorem* ut festi Annuntiationis, pote festi patronalis totius Diœcesis, ex privilegio a sancta Sede benigne concesso, in honorem beatæ Mariæ Anicien-

sis, solemnitas hæc exterior præscripta ex indulto cardinalis Caprara anno 1802, fiet in Dom. proximiori post festum jam celebratum, exceptis solis Dominicis Palmarum et Paschæ, quibus occurrentibus remittetur in Dominicam sequentem.

DIE XXXI.

Fit de infra Oct., quando Pascha incidit die 22 Martii. Omnia, etiam Lectiones II *et* III *Noct., ut in die, servato ritu semidupl.*

MENSE APRILI.

DIE I.

Fit de die Octava, si Pascha inciderit die 22 aut 23 Martii tantum; dupl.

Tunc omnia ut in die exceptis quæ sequuntur.

In I. Noct. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ex sermóne sancti Gregórii Neocesáreæ Epíscopi, cognoménto Thaumatúrgi, in Annuntiatiónem.

LECTIO IV. *Serm.* 3.

Mense sexto missus est Gábriel ad Vírginem qui plane hujúsmodi mandáta a Deo accéperat. Adésdum, o Archángele, miníster treméndi et árcani esto mystérii; ad requiréndum Adam qui erráverat, meis commótus miseratiónibus descéndere própera. Peccátum obliterávit eum qui ad imáginem meam formátus est, et opus mánuum meárum in ruínam dejécit, pulchritudinémque, quam adornávi, obscurávit; lupus ovem a me enutrítam devorávit; desértum est Paradísi Domicílium. Lignum vitæ a gládio flámmeo custodítur; campus deliciárum clausus est, hostem lacesséntem comprehéndere volo. Vade ígitur ad Maríam vírginem, paradísum meum spirituálem, domicílium Verbo meo dignum. Abi ad álterum quod in terra est cœlum, sanctuárium mihi præparátum. Abi ad incarnatiónis meæ cubículum, ad immaculátum meæ secúndum carnem nativitátis thálamum.

LECTIO V.

Mense ígitur sexto missus est Gábriel ad Vírginem, missus est Gábriel ut totíus mundi salútem annuntiáret; missus est Gábriel ut subscriptiónem revocatiónis Adamo deférret; missus est ad Vírginem Gábriel ut mulíeris ignomíniam in honórem commutáret; missus est Gábriel ut dignum paráret puríssimo sponso thálamum; missus est Gábriel ut inter creatúram et Creatórem sponsália contráheret. Missus est Gábriel ad animátum regis Angelórum palátium; missus est servus incor-

póreus ad Vírginem córpore inviolátam, et ánima immaculátam; missus est a peccáto liber ad omnis incapácem corruptiónis.

LECTIO VI.

Quæ cum ita se hábeant, adest per Maríam ægrotántibus médicus, in ténebris sedéntibus sol justítiæ, cunctis jactátis tempestáte ánchora portúsque latíssimus. Servis implacabíliter invísis Dóminus ex María natus est pacísque vínculum factus, captívis liberátio et bello exagitátis pacificátio. Ipse enim est pax nostra, qua quidem pace útinam concedátur nobis ómnibus frui grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi, cui glória, decus et impérium, nunc et semper, et in ómnia sæcula sæculórum. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

In illo témpore missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen vírginis María. Et réliqua.

Ex Sermóne sancti Gregórii Neocesáreæ Epíscopi, cognómine Thaumatúrgi in Annuntiatiónem.

Serm. 1.

Hodie ab Angélicis choris laudes divínæ celebrántur, et lumen Christi advéntus fidélibus illucéscit. Hódie lætum nobis ver, Christus sol justítiæ affúlsit, ac claro nos lúmine illustrávit, fideliúmque mentes illuminávit. Hódie renovátur Adam et choros cum ángelis agit in cœlum sublátus. Hódie totus terrárum orbis gáudio ob advéntum Spíritus sancti in hómines plenus est. Hódie Davídicum implétum est oráculum quod dicit : Læténtur cœli et exúltet terra; gaudébunt campi et ómnia ligna sylvæ a conspéctu Dómini, quóniam venit.

LECTIO VIII.

Hodie Gábriel qui Deo assístit ad castíssimam Vírginem véniens, illud : Ave grátia plena, ipsi annúntiat; ipsa vero cogitánte qualis esset ista salutátio, ángelus conféstim subjúnxit, dicens : Ne tímeas. Dixit autem María : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco. Neque prius sanctíssima Virgo donum admísit, quam quis illud mítteret et quodnam donum esset ac quis ferret, addidicísset conveniénter. Igitur ángelus sanctæ Maríæ Vírgini primo ómnium illud : Ave grátia plena, Dóminus tecum, præsignificávit quóniam in ipsa totus grátiæ thesáurus recónditus erat.

LECTIO IX.

Ex ómnibus generatiónibus hæc sola Virgo sancta córpore et spíritu éxtitit, sólaque fert eum qui verbo ómnia portat. Plúrimi sanctórum Pa-

trum, Patriarchárum et Prophetárum desideravérunt hunc vidére et non potuérunt. Et álii quidem ex ipsis per visiónem adumbrátim in ænigmátibus conspexérunt; álii vero in colúmna nubis divínam vocem audiérunt et sanctórum Angelórum aspéctibus potíti sunt: ad Maríam autem Vírginem solam sanctam Gábriel Archángelus claro lúmine venit: Ave, grátia plena, ei annúntians; et sic ipsa verbum suscépit et in témpore corpóreæ completiónis pretiósam margarítam prodúxit. Adéste ígitur vos quoque; charíssima et dúlcia illa verba ex spirituáli David cythara nobis repræsentáta decantémus, dicéntes: Surge, Dómine, in réquiem tuam, tu et arca sanctificatiónis tuæ; vere enim est arca sanctíssima Virgo.

Ad Vesp. II. fit Commem. S. *Francisci a Paula.*

DIE XVII.

SANCTI ROBERTI,

ABBATIS.

Duplex.

De Com. Conf. non Pont.

Ad I. Vesp. Oratio Intercéssio nos, *Commem. S. Aniceti Papæ et Mart. e Comm. Mart.* Deus qui nos beáti, *et Fer. in Quadrag.*

In I. Noct. extra Quadrag. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Robertus ex illústri Geráldi cómitis Aureliacénsis prosápia ortus, cum infántulus a lacte impúdicæ mulíeris abhorruísset, non lévia futúræ sanctitátis præbuit judícia. Adhuc puer a paréntibus míttitur Brivátem, ubi primis fídei scientiarúmque rudiméntis imbútus, se dignum præbuit qui sacræ milítiæ adscriberétur. In ecclésia sancti Juliáni Mártyris cléricus factus, mox inter canónicos deputátus, paulo post charáctere sacerdotáli insignítus, thesaurárii offício functus est..

LECTIO V.

Contemplationis amóre flagrans adhibítis sibi divíno instínctu duóbus sóciis, Stéphano et Dalmátio milítibus, invéntum locum in vasta solitúdine ad oratiónem aptíssimum postulávit ac obtínuit a duóbus nobílibus germánis quorum juris erat, qui ambo Aniciénsis ecclésiæ canónici erant, alter étiam abbas, nempe Albértus, qui póstea beáti viri discípulus fuit et Rostágnus. Hic casis et oratório ex virgúltis constrúctis, algóres nívium, rerum ómnium penúriam, incolárum contumélias dæmonúmque ímpetus súfferens, in summa vitæ austeritáte et jugi rerum cœléstium meditatióne rudes adhuc discípulos ad novam Christi milítiam suo exémplo informábat.

LECTIO VI.

Cum inter illas erémi látebras sanctitátis ejus ac mi-

raculórum splendor elucéret, et ab ipsis íncolis quorum mores sua mansuetúdine ac humilitáte deliníerat, celebrári incíperet, ómnium óculos fúgiens intra agréstis casæ angústias árctius sese continére proponébat. Verum confluéntibus úndique discípulis, ex instánti consílio Rencónis, Arvernénsis Epíscopi, monastérium ædificávit quod Henrícus Primus, Francórum rex, plúribus donávit privilégiis. Regéndi monastérii províncíam detrectántem Leo, Papa Nonus Robértum præésse mandávit. Páruit ille delectámque famíliam pater óptimus annis quíndecim gubernávit. Diéi óbitus cértior factus, Fratres qui jam trecénti numerabántur, pie exhortátus seque et illos Deo comméndans ad ætérnam felicitátem evolávit, sepultúsque est in casa Dei nova quam ipse construxerat.

In III. Noct. Homilia ven. Bedæ Presb. in Evang. Ecce nos, *tertio loco.* IX. *Lect. extra Quadr. de S. Aniceto, Pap. et Mart., ut in Brev.,* p. 506.

Ad Laud. Comm. S. Aniceti, Papæ et Mart. In Quadrages. autem Feriæ et S. Aniceti.

DIE XIX.

SANCTI LEONIS IX,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. Oratio Da quæsumus.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Leo hujus nóminis Nonus, ex nóbili Francórum prosápia oriúndus, Dagsburgénsis Comes, ac Tullénsis Epíscopus, Bruno ántea dictus, ómnium Cardinálium suffrágiis, ac commúni fidélium gratulatióne, ad sanctíssimam Petri Sedem evéctus est, et in ea sedit annis quinque, duóbus ménsibus diébus octo. Vir omni virtútum génere et sacra doctrína exímius: ut Apostólicum hoc munus impléret nullis labóribus, nullis súmptibus, nullis incómmodis pepércit. Germániam et Itáliam sæpius, Gálliam semel visitávit. Hábuit novem Concília Rhemis, Mogúntiæ, Vercéllis, Pápiæ, Romæ ad restaurándos christianórum mores. Multas Lítteras ad Imperatóres, Reges, Patriárchas, Epíscopos zelo ac pietáte flagrántes scripsit.

LECTIO V.

Legatos ad Imperatórem Constantinopolitánum, pro reductióne Græcórum, semel atque íterum misit, Berengárium hæréticum semel atque íterum damnávit, et Michaélem Cærulárium Patriárcham, insígnem schismáticum, anathémate pérculit. Pro sua erga Dei beatíssimam Genitrícem devotióne, Ecclésiam Anicién-

sem singulári afféctu prosecútus est, assérere non dúbitans in lítteris sanctæ Maríæ memóriam ibi speciálius ac præcordiálius præ cæteris Ecclésiis sibi dicátis coli, amári, venerári a cunctis qui circumquáque morántur in Gállia, et ídeo ejus Antístites pállii honóre in perpétuum decorátos vóluit.

LECTIO VI.

Dum Romæ ágeret, ter in hebdómada a Sacrosáncta Ecclésia Lateranénsi ad Vaticánum, nudis pédibus, noctu, orans, et psallens pergébat. Príncipi Apostolórum décimam oblatiónum partem sibi de more competéntem, Pontifício diplómate cessit. Patrimónium suum próprium in erectiónem Monastérii impéndit : unde étiam quotánnis pecúnia submitterétur in sumptus Rosæ áureæ, quam Románi Pontífices, antíquo et solémni ritu benedícunt. In páuperes et peregrínos effúsam liberalitátem exércuit. Sub leprósi forma, et hábitu, Christum aliquándo próprio lecto excépit. Dénique multis pro Ecclésia labóribus exantlátis, óbiit die décima nona Aprílis, anno millésimo quinquagésimo quarto, ante, et post mortem multis miráculis clarus ac sepúltus est in Vaticáno.

In III. Noct. Homilia S. Gregorii, Papæ, in Evang. Homo péregre, *primo loco.*

DIE XXV.

IN FESTO

SANCTI MARCI,

EVANGELISTÆ.

Ex decreto Apostolico 10 *Sept. et declar.* 17. *Dec.* 1857. *in Litaniis Sanctorum post* ℣., Ut régibus et princípibus.... *addatur* ℣. Ut Imperatórem nostrum custodíre dignéris. ℟. Te rogámus audi nos. *Item post Psalm.* Deus, in adjutórium, *dicto* ℣. Orémus pro Pontífice nostro *N. illico subjungatur* ℣. Orémus pro Imperatóre nostro. N. ℟. Dómine, salvum fac Imperatórem, et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. *Denique post Orationem pro Papa adjiciatur Collecta:* Quǽsumus omnípotens, Deus, ut fámulus tuus Imperátor noster *N.*, qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium suscípiat increménta, quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum. *Idem fit in Feriis Rogationum.*

DIE XXVI.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

DE BONO CONSILIO.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis *B. M. V.* p. clxx, *præter sequentia.*

Ad Magnif. Ant. Sancta María, succúrre míseris : juva pusillánimes : réfove flébiles :

ora pro pópulo : intérveni pro clero : intercéde pro devóto fœmíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuæ sanctæ Imáginis apparitiónem.

ORATIO.

Bonorum ómnium largítor, Deus, qui Genitrícis dilécti Fílii tui speciósam Imáginem mira apparitióne clarificáre voluísti : concéde, quæsumus; ut, ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cœléstem pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem.

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

Plaude festívo, pia gens, honóre,
Dum Genestáni veneráris ædem,
Qua Dei magnæ Genitrícis alma
Splendet Imágo.
Hæc ubi mira spécie repénte
Obtulit sese pópulis vidéndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc ægris áderat, moléstos
Córporis morbos animíque pellens,
Longe et ærúmnas Látio imminéntes
Ipsa fugábat.
Virgo, quæ magnis decoráta signis,
Nunc quoque effúlges, míseris juvámen
Affer, et fusis pátiens cliéntum
Annue votis.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

De libro Proverbiórum.

LECTIO I. *Cap.* 2.

Si intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimæ tuæ placúerit, consílium custódiet te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui pervérsa lóquitur : qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas : qui lætántur, cum male fécerint, et exúltant in rebus péssimis, quorum viæ pervérsæ sunt, et infámes gressus eórum.

LECTIO II. *Cap.* 3.

Fili mi, ne éffluant hæc ab óculis tuis. Custódi legem atque consílium, et erit vita ánimæ tuæ, et grátia fáucibus tuis. Tunc ambulábis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impínget. Si dormíeris, non timébis : quiésces, et suávis erit somnus tuus : ne páveas repentíno terróre, et irruéntes tibi poténtias impiórum! Dóminus enim erit in látere tuo, et custódiet pedem tuum, ne capiáris.

LECTIO III. *Cap.* 8.

Ego sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum

cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne sancti Augustíni, Epíscopi.

In Natali S. Joannis Baptistæ.

LECTIO IV.

Hominem concépit Elísabeth, hóminem María : sed Elísabeth solum hóminem, María Deum et hóminem. Mira res est, quómodo potúerit concípere creatúra Creatórem. Quid est ergo intelligéndum, fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre, qui fecit primum hóminem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit, quando fœmina, per quam mórtui sumus, in corde concépit venéna serpéntis. Persuásit enim serpens peccátum, et admíssus est male suádens. Si primus noster casus fuit, cum fœmina concépit corde venéna serpéntis; non mirándum, quod salus nostra facta est, cum fœmina concépit in útero carnem Omnipoténtis. Utérque cecíderat sexus : utérque fúerat reparándus. Per mulíerem in intéritum missi erámus : per mulíerem nobis réddita est salus.

De Sermóne sancti Fulgéntii, Epíscopi.

De laud. Mariæ ex partu Salvat.

LECTIO V.

Quoniam diábolus per serpéntem Evæ locútus, per Evæ aures mundo íntulit mortem, Deus per Angelum ad Maríam pértulit verbum, et cunctis sæculis vitam effúdit. Angelus sermónem ejécit, et Christum Virgo concépit : Hoc splendóre concípitur Dei Fílius : hac mundítia generátur. De cœlis médicus tránsiens per Vírginem, post tránsitum suum illæsam fecit Vírginem permanére. Qui enim disrúpta córporum membra in áliis póterat integráre tangéndo, quanto magis in sua Matre, quod invénit íntegrum, pótuit non violáre nascéndo? Crevit enim ejus partu intégritas córporis pótius quam decrévit, et virgínitas ampliáta est pótius quam fugáta.

LECTIO VI.

Maria quam præclaríssimis tribus bonis sublimétur, auscúlta : Salutatiónis Angélicæ, benedictiónis divínæ, et plenitúdinis grátiæ. Sic enim eam légitur salutásse : Ave, María, grátia plena : benedícta inter mulíeres. Et ut nihil non

sublíme esset in hac sanctíssima Vírgine, quam Angelus grátia plenam salutávit, non sine divíno consílio factum est, ut ejus étiam Imágines summo essent in honóre, et prodígiis miraculísque claréscerent. Quas inter, tribus ab hinc sæculis, ea præcípuo honóre cólitur, quæ, Paulo Secúndo sedénte, mirabíliter apparuísse in paríete Ecclésiæ Patrum Ordinis Eremitárum sancti Augustíni in óppido Genestáni Prænestínæ Diœcésis, ex Pontifíciis diplomátibus et suppáribus monuméntis comprobátur. Quibus permótus Pius Papa Sextus, præfátis ejúsdem óppidi Cœnobítis Offícium próprium concéssit, séptimo Kaléndas Máias, ipso scílicet Apparitiónis die, recitándum, ac deínde illud, die, quæ immediáte subséquitur, pro ejus recitatióne in pósterum assignáta, ad univérsum prædíctum Ordinem sub ritu dúplicis majóris exténdit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Thomæ, Epíscopi.

In Nativ. B. M. V.

Cogitanti mihi ac diu hæsitánti quid causæ sit, quod cum Evangelístæ de Joánne Baptísta et áliis Apóstolis tam longum fecére tractátum, de Vírgine María, quæ vita et dignitáte omnes antecédit, ita summátim percúrrant históriam, cur, inquam, non tráditum est memóriæ, quómodo concépta, quómodo nata, quómodo nutríta, quibus móribus decoráta, quibus virtútibus ornáta, quid cum Fílio in humánis égerit, quómodo cum illo conversáta sit, quómodo post ejus Ascensiónem cum Apóstolis víxerit? Magna erant hæc, et memorátu digna, et quæ cum summa devotióne a fidélibus legeréntur, a pópulis amplecteréntur. Quis enim dúbitat, quin in ejus nativitáte et pueritia mira multa contígerint, et puélla hæc in téneris annis stupéndum sæculis virtútum ómnium monuméntum extíterit?

℟. Felix namque es, sacra Vírgo María, et omni laude digníssima, * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo: intérveni pro clero: intercéde pro devóto fœmíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuæ sanctæ Imáginis apparitiónem. Quia.

LECTIO VIII.

Hæc mihi hæsitánti, cur de áctibus Vírginis, sicut de áctibus Pauli non est compósitus liber, nihil áliud occúrrit (accusáre enim Evangelístas

negligéntiæ, sicut ímpium, ita et temerárium júdico), quam ita placuísse Spirítui sancto, ejúsque providéntia Evangelístas siluísse, proptérea quia Vírginis glória, sicut in Psalmis légitur, omnis intus erat, et magis cogitári póterat, quam descríbi; sufficítque ad ejus plenam históriam, quia de illa natus est Jesus. Quid ámplius quæris? Quid ultra requíris in Vírgine? Súfficit tibi, quod Mater Dei est.

LECTIO IX.

Non eam Spíritus sanctus lítteris descrípsit, sed tibi eam ánimo depingéndam relíquit, ut intélligas nihil illi grátiæ, aut perfectiónis, aut glóriæ, quam ánimus in pura creatúra concípere possit, defuísse, imo reípsa intelléctum omnem superásse. Ubi ergo totum erat, pars scribénda non fuit, ne putáres, quod scriptum non fúerat, eídem fórsitan defuísse. Si ancíllas suas et minístras domus suæ potentíssimus Dominus ita mirífice decorávit, ita donis et grátiis venustávit, qualem, exístimas, cóndidit Matrem suam, únicam Sponsam suam, quam sibi ex ómnibus elégit, et præ ómnibus adamávit? Omnibus eam Altíssimus præpósuit non solum virgíneis, sed étiam Angélicis choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitúdo. Quidquid ígitur de Vírgine scire aut intellígere cupis, totum in hoc cláuditur brevilóquio: De qua natus est Jesus. Hæc longa et pleníssima história ejus est.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In II. Vesp. Comm. SS. Cleti et Marcellini, Pont. et Mart., ut in Breviario.

DIE XXVII.

SS. CLETI ET MARCELLINI,

PONTIFICUM ET MARTYRUM.

Semiduplex.

(*E die* 22. *hujus.*)

Omnia ut in Breviario.

In II. Vesp. Comm. S. Vitalis, Mart.

MENSE MAIO.

DIE XI.

SANCTI MAYOLI,

ABBATIS.

Duplex.

E Comm. Confess. non Pont.

ORATIO.

Deus, qui beáto Mayolo, Abbáti in via perfectiónis incédere et álios dedúcere tribuísti: ejus intercessióne gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum; ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Mayolus, major mériti dignitáte quam génere nóbili in Gállia stirpe oriúndus natálium claritátem transcéndit sublimitáte sanctitátis qui paréntum cura, litteratóriis ártibus tráditur informándus, mira facultáte ánimi ómnia cómbibens cæteris coætáneis et condiscípulis pietáte non minus quam vivacitáte ingénii exémplo habebátur. Pro innáto perpétuæ castitátis amóre, primítias carnis suæ Deo dévovens, seípso mélius nihil habens, seípsum Deo óbtulit, virgíneam in córpore præparans mansiónem. Horrébat, divínitus informáta voluntáte, voluptátum delícias, et assuétam adolescéntiæ insoléntiam, juvenilísque ætátis in compósitos mores matúra morum canítie castigábat. Sic in pio júvene grátia mater seminária virtútum spargens, suis eum virtútibus imbuébat, suis disciplínis instruébat et móribus præsígnans qualis póstmodum futúrus esset, cujus adolescéntiam tanta compositiónis arte Spíritus sanctus informásset.

LECTIO V.

Saracenis a fínibus provínciæ ebulliéntibus et totam regiónem occupántibus ac vastántibus, Mayolus relíctis fundis qui sibi ex patérna hæreditáte numerosióres obvénerant, Matiscónem recéssit, ubi apud Epíscopum in grátiam conciliátus, ordinátus est in cléricum et in canónicum majóri Ecclésiæ promótus. Mox sapiéntiæ zelo et desidério litterárum Lúgdunum addúctus, Matiscónem, magístri honóre et vocábulo insignítus, rédiit; ubi sui opinióne ómnium ánimos óccupans, et juxta nóminis allúsum Epíscopo Matisconénsi major óculus factus, in Archidiáconi personátum invítus et relúctans evéhitur. Misericórdia in páuperes, cui, per mirácula, divína subsérviit cleméntia, Deo accéptus et homínibus, Vesuntionénsi recusáto Archiepiscopátu, in óculis suis minor, et cuncta quæ retro sunt oblivíscens, cœpit árdua sequi, et toto ad ætérna desidério conscéndens, sub Aymárdo, venerábilis vitæ viro Cluniacénse monastérium est ingréssus. Ubi puritáti cordis et córporis sciéntiam charitátis annéctens, funem qui difficíllime rúmpitur intéxtor subtilíssimus triplicávit et totus in mónachum tránsiens, totus rédolens mónachum, et mónachi lege vivens, ad summum monásticæ religiónis culmen evásit.

LECTIO VI.

Interea deficiénte pro ætáte Aymárdo, propónitur a venerábili Abbáte, succéssor Mayolus, et símili ómnium voluntáte accéptus, quo in múnere ómnium virtútum splendóre clarére visus est.

Jugis abstinéntia, crebræ vigíliæ, frequens et pene assídua orátio, lacrymárum medúllis sæpius irrigáta. Erga beatíssimam Dei Genitrícem insígni pietáte afféctus, ejus Angélicam Basílicam Anícii invísit, íbique ómnium órdinum plausu accéptus, votis Deo et santíssimæ Vírgini persolútis, plebem imménsam ipsum audiéndi cúpidum verbo divíno reféeit. Cluníacum revértens ad montem qui dícitur Gáudii, prope Anícium, visum cœco restítuit. Sanctitátis ejus famam diffudérunt plúrima ab ipso váriis in locis patráta miràcula. Tandem méritis plenus in extréma senectúte Sylviníaci, in diœcési Claromonténsi, fratres consolátus et exhortátus, obdormivit in Dómino. Hujus exéquias Hugo rex subsecútus est et túmulum donis exornávit.

In III. Noct. Homil. Grandis fidúcia, *primo loco pro Abbatibus,* p. lxxxvij.

In II. Vesp. Comm. S. Nerei, ut in Breviario.

DIE XIII.

SANCTI ISIDORI AGRICOLÆ, CONFESSORIS.

Duplex.

(*E die* 10. *in Mart.*)

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

E Communi Conf. non Pont. Pridie de eo.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, miséricors Deus, beáto Isidóro, Agrícola, Confessóre tuo, intercedénte, supérbe non sápere : sed ejus méritis et exémplis, plácita Tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum.

Comm. præced.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Isidorus, agrícola, prope Matrítum, Hispániæ urbem, in qua natus fúerat, mercéde coléndis agris condúctus, brevi magnárum sibi virtútum eo in exercítio ubérrimam ségetem parávit. Admirábilis enim Christi ac Sanctórum imitátor, numquam ad opus mane se conferébat, nisi prius Dei regnum studióse quæreret, Ecclesiásque in ipsíus ac Deíparæ honórem dicátas visitáret. Quare cum illíus moram agri dóminus gráviter ferret, atque ex editióre loco quadam die, ut eum libérius increpáret, agrícolam opperirétur, binos Angelos cándida veste dúplici boum jugo arántes, mediúmque inter illos Isidórum conspéxit. Quo miráculo vulgáto, magno deínceps honóri tam apud herum quam apud cæteros hómines habéri cœpit.

LECTIO V.

Charitate in páuperes ádeo flagrávit, ut mercédem, quam labóribus parábat, egéntibus erogáret. Quin étiam cum aliquándo ad commúne cum réliquis confrátribus prándium

plúrimos páuperes adduxísset, nihílque áliud, prándio scílicet finíto, quam pulménti partem sibi reservátam reperísset, illam vir Dei, fide singulári fretus, ita distríbuit, ut admirabíliter aucta iis ómnibus aléndis saturandísque sufficeret. Illud étiam inter cætera mirándum, quod per æstívos calóres ad extinguéndam in agro sitim, aquæ potum hero flagitánte, cum núllibi scatéret, Isidórus stímulo, quem gerébat, humo percússa, úberem ex ea et perénnem ad hæc usque témpora fontem elícuit.

LECTIO VI.

Igitur sanctitáte clarus cum ad últimam senectútem pervenísset, obdormívit in Dómino, et in cœmetério sancti Andréæ sepúltus támdiu ibi jácuit, quoad cives de ipsíus córpore honéstius in Ecclésia collocándo divínitus móniti, illud in lóculo íntegrum atque ádeo incorrúptum invenérunt, ut ex eo suavíssimus odor, qui hac étiam tempestáte perdúrat, effláret. Sacrum corpus in Ecclésiam translátum, et in editióre loco situm, máximis Deus miráculis illustrávit. Quorum beneficéntiam non semel tam ipsa Matríti cívitas, quam étiam cætera Hispániæ loca, ope ipsíus imploráta, persensérunt. Quem postrémo, post annos fere quadringéntos, fama sanctitátis ac miráculis illústrem Gregórius Décimus Quintus in Sanctórum númerum rétulit.

In III. Noct. Homilia in Evang. Ego sum vitis vera, *de Comm. Mart. tempore Paschali, primo loco,* p. liij.

℟℟. *ut in III. Noct. de Com. Conf. non Pont.,* p. ciij.

In II. Vesperis fit Comm. S. Bonifacii Mart. ut in Breviario, p. 564.

DIE XVI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

MARTYRIS.

Duplex.

E Comm. unius Mart. pro tempore.

ORATIO.

Deus, qui, ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre ac ómnia pótius mala quam ánimæ detriméntum, in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Joannes Nepomúci, Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset,

beátæ Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ perículo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne cœléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes pueritiam egit; nam Ecclésiam frequénter adíre, ac Sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus; Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosophíæ, theologíæ sacrorúmque Cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter Canónicos Metropolitánæ Ecclésiæ Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Wencesláo Quarto prædicándi províncíam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

LECTIO V.

Regis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem adscívit. Cum autem Wenceslálus ab offício institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício Sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei Miníster blandítiis primum, torméntis deínde, et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab execrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Boleslávíam proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem, antíquo cultu célebrem, cœléste præsídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde véspere revertentem in pervigílio Domínicæ Ascensiónis rex e fenéstra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

LECTIO VI.

Sacrilegum fácinus clam patrátum, et Mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurréntes apparuérunt. Quamóbrem ex aréna postrídie mane corpus elátum, Canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in Metropolitánam Ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti Sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcípue, qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta et vívida repérta est: quæ sexto post anno judícibus a Sede Apostólica delegátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His ítaque aliísque signis rite probátis, Benedíctus Décimus Tértius, Póntifex Máximus, die décima nona mensis Mártii, anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc Sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

In III. Noct. Homilia in Evang. Nihil est opértum, *de Com. unius Mart. extra tempus Pasch., tertio loco,* p. xlj.

℟℟. *ut in III. Noct. de Com. Mart. tempore Paschali,* p. liv.

Vesp. a Capit. de seq.

(*Brivate tantum.*) DIE XVII.

IN FESTO

SANCTI PASCALIS BAYLON

COMMEMORATIO

TRANSL. RELIQ. S. JULIANI,

MARTYRIS.

In I. Vesperis et Laudibus.

ORATIO.

Omnipotens sempitérne Deus, qui hunc diem nobis honorábilem in beáti Juliáni Mártyris translatióne tribuísti; da Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam, ut cujus membra pro amóre venerátur in terris, ejus intercessióne adjuvétur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

LECTIO IX.

Sancti Juliáni corpus cum projéctum esset inhumátum a carnifícibus decíso cápite, tres senes, Elpídius, Archóntius et Arsínius, in vico Brivaténsi sepeliérunt. Caput Viénnam delátum et in túmulo sancti Ferreóli cónditum, inde médio círciter octávo sæculo, máxima ex parte, Briváti restitútum est cum bráchio sancti Ferreóli illud amplexánte et in theca áurea pósitum. Altera vero pars transláta Parísios in Ecclésiam sancti Juliáni cognómine Páuperis aut Vétuli, ubi bellis civílibus et tempestátibus supérstes inter infírmos et ægrotántes in Cha-

ritátis hospítio cólitur. Sepúlchrum autem Brivaténse miráculis illustrátum sacéllo decoravérunt nóbilis quidam Arvérnus ejúsque conjux, et hæc fuére incunábula Ecclésiæ Brivaténsis quæ regum et imperatórum munéribus aucta, summorúmque Pontíficum privilégiis et grátiis spirituálibus ditáta inter Galliárum Basílicas insígnis memorabátur. Summo ígitur stúdio sub altári majóre sacræ relíquiæ colebántur donec, sæviénte sub finem sæculi décimi octávi Gálliæ perturbatiónis procélla, duo civitátis íncolæ, non sine manifésto Dei præsídio a deprædatióne eréptas in domo hospitáli condidére, excépto cápite quod raptóres ad magistrátus Parisiénses, propter thecam áuream in qua includebátur, immíserant. Ita servátas et restitútas solémniter in prístinam sedem, nunc Ecclésiam parochiálem, tránstulit Jósephus Augústus Victorínus, Aniciénsis Epíscopus, die Ascensiónis Dómini, décima séptima Máii, anno supra millésimum et octingentésimum quinquagésimo quinto, máximo cleri et fidélium concúrsu piissimáque lætítia.

DIE XXI.

SANCTI UBALDI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Semiduplex.

(*E die* 16. *hujus.*)

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Ut in Breviario, p. 565.

DIE XXIV.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS.

Sæpe dum Christi pópulus cruéntis
Hostis infénsi premerétur armis,
Venit adjútrix pia Virgo, cœlo
Lapsa seréno.

Prisca sic Patrum monuménta narrant,
Templa testántur, spóliis opímis
Clara, votívo repetíta cultu
Festa quotánnis.

En novi grates líceat Maríæ
Cántici lætis módulis reférre
Pro novis donis, resonánte plausu
Urbis et orbis.

O dies felix, memoránda fastis,
Qua Petri sedes fídei Magístrum
Triste post lustrum réducem beáta
Sorte recépit.

Vírgines castæ, pueríque puri,
Géstiens Clerus, populúsque grato
Corde Regínæ celebráre cœli
Múnera certent.

Vírginum Virgo, benedícta Jesu

Mater, hæc auge bona : fac, precámur,
Ut gregem Pastor Pius ad salútis
Páscua ducat.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta, allelúia. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos, allelúia.

Ad Magnif. Ant. Ecce María erat spes nostra, ad quam confúgimus in Auxílium, ut liberáret nos, et venit in adjutórium nobis, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Hymnus Sæpe dum Christi, *ut supra.*

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

Ex Sermone de 12. stellis.

LECTIO IV.

Vehementer quidem nobis, dilectíssimi, vir unus et múlier una nocuére : sed, grátias Deo, per unum nihilóminus virum et mulíerem unam ómnia restauràntur, nec sine magno fœnore gratiárum. Et quidem sufficere póterat Christus; síquidem et nunc omnis sufficiénta nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat esse hóminem solum. Cóngruum magis ut adésset nostræ reparatióni sexus utérque. Jam ítaque nec ipsa Múlier benedícta in muliéribus vidébitur otiósa : inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad mediatórem Christum : nec alter nobis utílior quam María. Crudélis nímium mediátrix Eva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit : sed fidélis María, quæ salútis antídotum et viris et muliéribus propinávit. Illa enim minístra seductiónis, hæc propitiatiónis; illa suggéssit prævaricatiónem, hæc ingéssit redemptiónem. Quid ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile : tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius Evangélicæ históriæ sériem univérsam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel levis indignatiónis occúrrerit in María, de cætero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

LECTIO V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent, invéneris, age grátias ei,

qui talem mediatrícem benigníssima miseratióne próvidit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est : sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima charitáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi, captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam. Ipsa prætérita non díscutit mérita, sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam se præbet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Ipsa est quondam a Deo promíssa múlier, serpéntis antíqui caput virtútis pede contritúra, cujus plane calcáneo in multis versútiis insidiátus est, sed sine causa. Sola enim contrívit univérsam hæréticam pravitátem. Contríti sunt insidiántes, conculcáti supplantatóres, confutáti derogatóres, et beátam eam dicunt omnes generatiónes. Jam si Ecclésia Lunæ intelligénda vidétur vocábulo, habes mediatrícem evidénter expréssam : Múlier, inquit, amícta sole, et luna sub pédibus ejus. Amplectámur Maríæ vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim,

Ex publicis Monumentis.

LECTIO VI.

PRÆSENTISSIMUM Deíparæ auxílium ad Religiónis hostes profligándos sæpe pópulus Christiánus mirum in modum expértus est : ex quo factum ut sanctíssimus Póntifex Pius Quintus, post insígnem victóriam, intercedénte beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárum tyránno apud Echínadas Insulas reportátam, in Litániis Lauretánis eámdem Regínam cœlórum, inter ália præcónia, Auxílium Christianórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románus Póntifex Pius Séptimus, impiórum consíliis et armis ex Apostólica Petri Sede exturbátus, et arcta custódia, præsértim Savónæ, per annos quinque, eóque ámplius fuísset deténtus, viis ómnibus pénitus interclúsis, ne Dei Ecclésiam régere posset, nullo símilis persecutiónis in priscis annálibus exémplo, inopináto et præter ómnium expectatiónem cóntigit, ut ingénti plausu ac véluti univérsi orbis mánibus Pontifício sólio restituerétur. Quod et secúndo áccidit, dum íterum commóto túrbine, ab urbe discédens, Sacro comitánte Cardinálium Collégio, Ligúriam conténdit. Verum præsentíssimo Dei benefício, cessánte procélla, quæ grave minabátur excídium,

Romam, plaudéntibus præ novo gáudio pópulis, revérsus est. Antea tamen, quod in votis habúerat, et captivitáte deténtus éxequi nequíverat, áurea coróna insígnem Savónæ Imáginem Deíparæ Vírginis sub título Matris Misericórdiæ solémni ritu propriísque mánibus decorávit. Quam mirábilem rerum vicissitúdinem idem Póntifex Máximus Pius Séptimus totíus evéntus íntime cónscius, cum intercessióne sanctíssimæ Dei Genitrícis, cujus poténtem opem et ipse impénse imploráverat, et ab ómnibus Christi fidélibus implorári curáverat, accéptam mérito reférret, in ejúsdem Vírginis Matris honórem sub appellatióne Auxílii Christianórum solémne festum indíxit, perpétuo celebrándum die mensis Máii vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversário, approbáto étiam Offício próprio, ut tanti benefícii distíncta et perénnis exstet memória, et gratiárum áctio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

In illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

De Homilía sancti Bernárdi, Abbátis.

In Nativitate B. M. V.

Intuere, o homo, consilium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cœlésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit. Redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María, ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. VII. Felix. *ut in festis B. M. V.* p. clxxxj., *et in fine* quicúmque tuum sanctum implórant Auxílium.

LECTIO VIII.

In ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, solo audítu térritus, ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediatórem.

Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua; Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

LECTIO IX.

Filioli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum: felíciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia qua egémus: nimírum sola est grátia qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres? Quærámus grátiam, et per Maríam quærámus, quia quod quærit ínvenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum; nam apud hómines grátia fallax. Quærant álii méritum: nos inveníre grátiam studeámus. Quid enim? Non grátiæ est quod hic sumus? Profécto misericórdiæ Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

Te Deum laudámus, p. 16.

AD LAUDES.

HYMNUS.

Te Redemptóris Dominíque nostri
Dícimus Matrem, speciósa Virgo,
Christianórum decus, et levámen
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet inferórum,
Hostis antíquus fremat, et mináces,
Ut Deo sacrum populétur agmen,
Súscitet iras,

Nil truces possunt fúriæ nocére
Méntibus castis, prece quas vocáta
Annuens Virgo fovet, et supérno
Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Patróna,
Béllici cessat scéleris tumúltus,
Mille sternúntur, fugiúntve turmæ,
Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in Sióne
Turris, arx firmo fabricáta muro,
Cívitas David, clypeis et acri
Mílite tuta:

Virgo sic fortis Dómini poténti
Déxtera, cœli cumuláta donis,

A piis longe fámulis repéllit
Dæmonis ictus.
Te per ætérnos venerémur
annos,
Trínitas, summo celebránda
plausu :
Te fide mentes resonóque
linguæ
Cármine laudent. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Bened. Ant. Ad te, o sancta Dei Génitrix, clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis, allelúia.

ORATIO.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui ad defensiónem pópuli Christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum Auxílium mirabíliter constituísti : concéde propítius; ut tali præsídio muníti, certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

Hymnus et ℣. ut in primis.

Ad Magnif. Ant. Sancta María, succúrre míseris : juva pusillánimes : réfove flébiles : ora pro pópulo : intérveni pro clero : intercéde pro devóto fœmíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque sanctum tuum implórant Auxílium, allelúia.

Oratio Omnípotens., *supra.*

Et fit Comm. S. Gregorii VII, Papæ et Conf.

Ant. Sacérdos., ℣. Amávit. *p.* lxxv. *et Oratio* Deus, in te. *p.* 576, *ac S. Urbani,* ibid.

MENSE JUNIO.

DIE VII.

SANCTI MARCELLINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

E Communi Conf. Pont.

Pridie a Cap. de eo. Comm. præced.

Oratio Da quæsumus., *primo loco.*

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

MARCELLINUS, Velaunórum antístes, divinórum mandatórum fuit a téneris annis observantíssimus; unde ómnium virtútum et imprímis exímiæ castitátis laude célebris efféctus est. Ad pastorálem evéctus gradum, cum máximam Velláviæ partem adhuc éthnicis erróribus implicátam reperísset, hanc ad Christi perdúxit agnitiónem; gregémque ad fidem acquisítum doctrínæ et sanctæ conversatiónis exémplo páscere non déstitit. Quia vero ad ducis exémplum compóni solet família, ecclésia Velaunórum pietáte et sanctitáte emícuit.

Demum sanctus pastor divínis munéribus ornátus, miráculis insígnis et plenus diérum, vita functus ad beátas ætérni regni mansiónes conscéndit.

LECTIO V.

Sepultus est primum Marcéllinus in antíqua urbe Episcopáli, quæ nunc sancti Pauliáni dícitur. Sed témpore Cároli Calvi Francórum regis, sacra ossa tránstulit Monistrólium prope Lígerim Norbértus Epíscopus Podiénsis. Anno autem supra millésimum trecentésimo nono, Bernárdus, ejúsdem sedis Epíscopus, íbidem fundávit collégium trédecim canonicórum qui divínas laudes coram sacro pígnore indesinénter persólverent.

Lectio VI. *de Communi,* Ad sancti ac beátissimi Patris, *primo loco.*

In III Noct., Hom. S. Gregor. Papæ in Ev. Homo péregre, *primo loco.*

FESTA MOBILIA.

FERIA SEXTA

POST DOM. I. QUADRAG.

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM

D. N. J. C.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud. Psalm. de Dom., et loco ult., Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes. *p.* 128. *fer.* II. *ad Vesp.*

HYMNUS.

Quænam lingua tibi, o Lán-
cea, débitas
Grates pro mérito est apta re-
péndere?
Christi vivíficum namque ápe-
ris latus,
Unde Ecclésia náscitur.

Hæc est Eva viri de látere
éxiens,
Olli membra gravis dum sopor
óccupat;
Hanc quippe alter Adam, corde
scaténtibus
Unda et sánguine pró-
creat.

O Clavi! æqua manet vos
quoque grátia,
Christi quando sacris ártubus
ínsiti,
Delétum Dómini sánguine fí-
gitis
Mortis chirógraphum
cruci

Te, Jesu, Súperi láudibus
éfferant,
Qui Clavórum áditus, ígna-
que Lánceæ
In Cœlo rétines, vivus ubi ím-
peras
Cum Patre atque Pa-
ráclito.
Amen.

℣. Fodérunt manus meas et pedes meos. ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ad Magnif. Ant. Delens quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio, affígens illud cruci.

Oratio Deus, qui in assúmptæ carnis. *ut infra in Laudibus.*

Et fit Comm. Feriæ.

Ad Completorium et per Horas diei, in fine Hymnorum, dicitur :

Clavis foráto et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum, Láncea et Clavis vulnerátum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, exultémus. *p.* 2.

HYMNUS.

Salvete, Clavi et Láncea,
Squalóre nuper óbsita,
Quæ mersa Christi córpori,
Almo rubétis sánguine.
Vos ad scelus Judáica
Elégerat perfídia;
Sed in minístra grátiæ
Vos vertit e cœlo Deus.
Nam quot sacrátis ártubus
Sculpsístis olim vúlnera,
E tot reclúsis fóntibus
Dona éffluunt cœléstia.
Clavis foráto et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

Si omissus sit Hymnus ad Vesperas, dicatur ad Matutinum, et Hymnus Matutini conjungatur cum Hymno ad Laudes.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ad Jesum autem cum veníssent, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit.

Psalmi de Com. Conf. Pont. p. lxxvj.

Ant. Exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus.

Ant. Alia Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

℣. Quem tu percussísti, persecúti sunt. ℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

De Zachária Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 12.

Hæc dicit Dóminus : Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum : et aspícient ad me, quem confixérunt. Et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, sicut planctus Adadrémmon in campo Magéddon. Et planget terra : famíliæ et famíliæ seórsum : famíliæ domus David seórsum, et mulíeres eórum seórsum : famíliæ domus Nathan seórsum, et mulíeres eórum seórsum : famíliæ domus Levi seórsum, et mulíeres eórum seórsum : famíliæ Sémei seórsum, et mulíeres eórum seórsum. Omnes famíliæ réliquæ, famíliæ et famíliæ seórsum, et mulíeres eórum seórsum.

℟. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura; * Sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit. ℣. Et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus. Sed.

LECTIO II.

In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris et menstruátæ. Et

erit in die illa, dicit Dóminus exercítuum : Dispérdam nómina idolórum de terra, et non memorabúntur ultra ; et pseudoprophétas, et spíritum immúndum áuferam de terra. Et erit, cum prophetáverit quíspiam ultra, dicent ei pater ejus, et mater ejus, qui genuérunt eum : Non vives, quia mendácium locútus es in nómine Dómini ; et confígent eum pater ejus, et mater ejus, genitóres ejus, cum prophetáverit. Et erit in die illa : confundéntur prophétæ, unusquísque ex visióne sua cum prophetáverit : nec operiéntur pállio sáccino, ut mentiántur ; sed dicet : Non sum prophéta, homo agrícola ego sum ; quóniam Adam exémplum meum ab adolescéntia mea.

℟. Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit, * Et contínuo exívit sanguis et aqua. ℣. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem. Et.

LECTIO III.

Et dicétur ei : Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum ? Et dicet : His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum : pércute pastórem, et dispergéntur oves : et convértam manum meam ad párvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dóminus : partes duæ in ea dispergéntur, et defícient, et tértia pars relinquétur in ea. Et ducam tértiam partem per ignem, et uram eos sicut úritur argéntum, et probábo eos, sicut probátur aurum. Ipse vocábit nomen meum, et ego exáudiam eum. Dicam : Pópulus meus es : et ipse dicet : Dóminus Deus meus.

℟. In die illa erit fons patens dómui David et habitántibus Jerúsalem * In ablutiónem peccatóris et menstruátæ. ℣. Hic est qui venit per aquam et sánguinem Jesus Christus. In ablutiónem. Glória Patri. In ablutiónem.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum.

Psalmi de Communi Conf. Pont. p. lxxviij.

Ant. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum ?

Ant. His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Sermo Innocéntii Papæ Sexti.

In Decreto de Festo Lanceæ et Clavorum Domini.

LECTIO IV.

In Redemptóris nostri Dómini Jesu Christi sacratíssima

Passióne sic nos gloriári opórtet, ut ipsíus Passiónis cuncta mystéria dinumerántes et mérita, síngulis étiam salutáribus instruméntis gloriémur. Inter quæ illud celébriter memorándum est, quod ipse Salvátor, emisso in cruce jam spíritu, sustínuit perforári Láncea latus suum, ut, inde sánguinis et aquæ profluéntibus undis, formarétur única et immaculáta ac virgo sancta mater Ecclésia sponsa sua. O beatíssima ipsíus sacri láteris apertúra, unde nobis tot et tanta divínæ pietátis dona fluxérunt! O Felix Láncea quæ tot bona nobis effícere, et ad tanti triúmphi glóriam méruit superáddi.

℟. Hic est qui venit per aquam et sánguinem Jesus Christus, * Non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in terra : spíritus, aqua, et sanguis ; et hi tres unum sunt. Non.

LECTIO V.

Hæc latus ipsum aperiéndo sacratíssimas jánuas nobis regni cœléstis apéruit. Hæc, vulnerándo jam mórtuum, vúlnera nostra sanávit, vitámque nobis réddidit et salútem. Hæc, innóxium transfigéndo, illíus sánguine culpas nostras abstérsit : et demum ejúsdem sacratíssimis undis irrigáta, cæcitátis nostræ ténebras sústulit, et nos ipsíus divínæ pietátis flúviis mundávit. Illi étiam dulces Clavi, (quibus ipse Salvátor eídem cruci fuit affíxus, quique non solum immaculáto respérgi sánguine, et molem ferre tanti pónderis meruérunt, sed et nos étiam per ipsórum salutíferas plagas dulcédinem tantam ipsíus divínæ charitátis accépimus, ut manus nostræ a peccáti solútæ néxibus, pedésque nostri a mortis láqueis fúerint liberáti,) sunt devotíssime recoléndi.

℟. Quóniam circumdedérunt me canes multi, concílium malignántium obsédit me : * Fodérunt manus meas et pedes meos. ℣. Dicétur ei : Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Fodérunt.

LECTIO VI.

Quid enim vúlnere et plagis hujúsmodi sánctius? Quid eis salúbrius, ex quibus salus nostra procéssit, et in quibus assídue se possunt curáre ánimæ devotórum? Licet ígitur Láncea et Clavi prædícti aliáque ipsíus Passiónis salutária instruménta sint a cunctis fidélibus Christi ubílibet veneránda, et de ipsa étiam Passióne in eádem Ecclésia solémnia annis síngulis Offícia celebréntur et fiant, dignum tamen et convéniens reputámus, si de ipsíus Passiónis speciálibus instruméntis, et præsértim in pártibus, in

quibus instruménta ipsa dicúntur habéri, solémne ac speciále festum celebrétur et fiat, nosque illos fidéles Christi, qui áliqua ex instruméntis ipsíus habére se gaudent, in eórum devotióne divínis Offíciis atque munéribus speciáliter foveámus.

℟. Dicétur ei : Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet : * His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. ℣. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, non credam. His. Glória Patri. His.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Fodérunt manus meas et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Psalmi ut in III. Noct. de Communi Virg., p. cxxiij.

Ant. Nisi videro in mánibus ejus fixúram Clavórum, et mittam dígitum meum in locum Clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Ant. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Ex Tract. 120. *in Joan.*

Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Vigilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret, Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud; sed, Apéruit, ut illic quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde Sacraménta manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum : aqua illa salutáre témperat póculum : hæc et lavácrum præstat et potum. Hoc prænuntiábat quod Noe in látere Arcæ óstium fácere jussus est, qua intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus figurabátur Ecclésia.

℟. Facta sunt hæc, ut Scriptúra implerétur : Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit : * Vidébunt in quem transfixérunt. ℣. Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ, et precum. Vidébunt.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII.

Propter hoc prima múlier facta est de látere viri

dormiéntis, et appelláta est vita matérque vivórum. Magnum quippe signávit bonum ante magnum prævaricatiónis malum. Hic secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quæ de látere dormiéntis effluxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius? Facta sunt enim hæc, inquit, ut Scriptúra impleretur : Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit : Vidébunt in quem transfixérunt.

℟. Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum, * Et aspícient ad me, quem confixérunt. ℣. Et plangent eum planctu quasi super unigénitum. Et. Glória. Et.

Lectio IX. *de Homilia Feriæ.*

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Unus mílitum * Láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Psalmi de Dom. p. 17.

Ant. Fodérunt manus meas * et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ant. Tres sunt * qui testimónium dant in terra : spíritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.

Ant. Quid turbáti estis, et cogitatiónes ascéndunt in corda vestra? Vidéte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.

Ant. Infer dígitum tuum * huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

CAPITULUM. *I. Joan.* 5.

Charissimi, quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sánguine.

HYMNUS.

Tinctam ergo Christi sánguine
Convértite in me cúspidem :
Feríte cor, pedes, manus,
Pœnam a nocénte súmite.
At, quæso, culpis débitas,
Quas jure plagas fígitis,
Cruóre divíno íllitæ
Fiant medéla spíritus.
Sit gressus ad malum ímpotens,
Manus nocére désinant,
Omnísque corde e sáucio
Profánus ardor éxeat.
Clavis foráto et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Fodérunt manus meas et pedes meos. ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ad Bened. Ant. Inglórius erit inter viros aspéctus ejus, et forma ejus inter fílios hóminum. Iste aspérget Gentes multas.

ORATIO.

Deus, qui in assúmpta carnis infirmitáte Clavis affígi et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti : concéde propítius; ut qui eorúmdem Clavórum et Lánceæ solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis. Qui vivis.

Et fit Comm. Feriæ.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui vulnerátus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Ant. Fodérunt manus meas.

Capit. Charíssimi.

℟. *br.* Fodérunt manus meas * Et pedes meos. Fodérunt. ℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et. Glória Patri. Fodérunt.

℣. Quem tu percussísti, persecúti sunt. ℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

AD SEXTAM.

Ant. Tres sunt.

CAPITULUM. *I. Petri,* 2.

Fratres, Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus, qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.

℟. *br.* Quem tu percussísti * Persecúti sunt. Quem. ℣. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. Persecúti. Glória Patri. Quem.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Attrítus est propter scélera nostra.

AD NONAM.

Ant. Infer dígitum tuum.

CAPITULUM. *I. Petri,* 2.

Qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui justítiæ vivámus : cujus livóre sanáti estis.

℟. *br.* Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse. ℣. Attrítus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse.

℣. Disciplína nostræ pacis super eum. ℟. Cujus livóre sanáti sumus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter ult. Psalmum, cujus loco dicitur Psalm. Crédidi. *p.* 127. *Fer.* II, *ad Vesp.*

Ad Magnif. Ant. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit : et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

Oratio Deus, qui. *ut supra.*

Et fit Comm. Feriæ.

FERIA SEXTA
POST DOM. II. QUADRAG.
SACRATISSIMÆ SINDONIS
D. N. J. C.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalm. de Dom., et loco ult., Psalm. Laudáte, *p.* 128.

HYMNUS.

Gloriam sacræ celebrémus omnes
Síndonis : lætis recolámus hymnis,
Et piis votis monuménta nostræ
Certa salútis :

Quæ refert semper venerànda Sindon,
Sánguine impréssis decoráta signis,
Dum cruce ex alta tulit involútum
Corpus Jesu.

Reddit hæc sævos ánimo dolóres,
Quos tulit, casum miserátus Adæ,
Christus humáni géneris Redémptor,
Morte perémpta.

Sáucium ferro latus, atque palmas,
Et pedes clavis, laceráta flagris
Membra, et infíxam cápiti corónam
Monstrat imágo.

Quis pius siccis óculis, et absque
Intimi cordis gémitu, notáta
Vívaque indígnæ simulácra mortis
Cérnere possit?

Nostra cum solum tibi, Christe, culpa
Causa tantórum fúerit malórum,
Nostra debétur tibi vita : vitam
Dédimus ipsam.

Sit tibi, Fili, decus atque virtus,
Qui tuo mundum rédimis cruóre,
Quique cum summo Genitóre, et almo
Flámine regnas.
Amen.

℣. Tuam Síndonem venerámur, Dómine. ℟. Tuam recólimus Passiónem.

Ad Magnif. Ant. t. 1. Joseph, vir bonus et justus, accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu; quo accépto, invólvit illud in Síndone munda.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Dóminum, qui passiónis suæ memóriam in sacra Síndone rénovat, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, exultémus. p. 2.

HYMNUS.

Mysterium mirábile
Hac luce nobis pánditur,
Verus Dei cum Fílius
Mortem cruéntam sústinet.

Causam tuéndo sérvuli,
Reíque formam véstiens,
Pro servo herus suspénditur,
Pro sonte justus pléctitur.

Necis manent insígnia,
Impréssa sacra in Síndone,
Quæ post triúmphum nóbilem
Corpus cruéntum invólverat.

Sunt mortis hæc, et tártari,
Mundíque victi insígnia :
Trophæa sunt hæc ínclyta
Ductóris invictíssimi.

Debémus ergo hanc grátiam
Nostræ salútis Víndici,
Ut, dæmonis contra dolos,
Hac militémus téssera.
Vitæ vetústæ mórtui,
Surgámus in vitam novam:
Christum secúti per crucem,
Christi fruémur glória.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Rubrum est induméntum tuum et vestiménta tua sicut calcántium in torculári.

In tribus Noct. Psalmi ut in Sabbato sancto, nisi quod in I. Noct. invertitur ordo, ut infra.

Psalm. Cum invocárem, *p.* 275. *et ad Complet.*

Ant. Aspérsus est sanguis super vestiménta mea: ómnia induménta mea inquinávi.

Psalm. Consérva me, Dómine, *p.* 276., *et in Noct. Dom.*

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Psalm. Dómine, quis habitábit, *p.* 276., *et ult. I. Noct. Dom.*

℣. Tuam Síndonem venerámur, Dómine. ℟. Tuam recólimus passiónem.

Lect. I. Noct. Quis crédidit, *ut in Festo Septem Dolorum B. M. V., sub fine mensis Martii,* p. 483.

℟. I. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem: aspéctus ejus in eo non est. Hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet; ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: * Cujus livóre sanáti sumus. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus.

℟. II. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? * Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. ℣. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi. Et.

℟. III. Tuam Síndonem venerámur, Dómine: tuam gloriósam recólimus passiónem: * Miserére nobis, qui passus es pro nobis. ℣. Salva præséntem catérvam in tuis hódie láudibus congregátam. Miserére. Glória Patri. Miserére.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum.

Psalm. Dómini est terra. p. 278., *et Fer.* II *ad Prim.*

Ant. Omnes vidéntes me, derisérunt me: locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Ps. Dominus illuminatio, *p.* 278, *et Fer.* II, *ad Matut.*

Ant. Trádidit in mortem ánimam suam, et ipse peccáta multórum tulit.

Ps. 29. Exaltabo te, *p.* 279, *et Fer.* II *ad Matut.*

℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Sermo sancti Ambrósii, Epíscopi.

In Luc. cap. 23.

LECTIO IV.

Quid sibi vult, quod non Apóstoli, sed Joseph, et Nicodémus, ut Joánnes dicit, Christum sepéliunt? Unus justus et constans, alter qui erat magíster in Israel. Talis enim Christi est sepultúra, quæ justítiam magisteriúmque hábeat. Obstrúitur ígitur tergiversándi locus, et doméstico Judæi testimónio revincúntur. Nam si Apóstoli sepelíssent, dícerent útique non sepúltum, quem sepúltum raptum esse dixérunt. Justus autem Christi corpus óperit Síndone, ínnocens ungit unguénto. Namque hæc non otióse distíncta reperímus, quia justítia vestit Ecclésiam, innocéntia grátiam submínístrat.

℟. O admirábilis Sindon, * In qua involútus est thesáurus noster, redémptio captivórum! ℣. Gaudet totus mundus, qui redémptus est sánguine Dómini sui. In.

LECTIO V.

Vesti ergo et tu Dómini corpus glória sua, ut et ipse sis justus. Etsi mórtuum credis, óperi tamen divinitátis própriæ plenitúdine : unge illud myrrha et áloe, ut bonus odor Christi sis. Bonum línteum misit Joseph, ille vir justus, et fortásse illud, quod Petrus vidit e cœlo ad se esse demíssum, in quo erant génera quadrúpedum, et ferárum, et vólucrum, ad similitúdinem Gentílium figuráta. Mystico ígitur unguénto illo pístico consepelítur Ecclésia, quæ diversitátem populórum fídei suæ communióne sociávit.

℟. Tulérunt túnicam Joseph fratres ejus, et in sánguine hœdi, quem occidérunt, tinxérunt, mitténtes qui ferrent ad patrem, et dícerent : * Hanc invénimus : vide num túnica fílii tui sit, an non? ℣. Quam cum agnovísset pater, ait : Túnica fílii mei est : fera péssima devorávit eum. Hanc.

LECTIO VI.

Hunc Joseph justum Lucas dixit, Matthæus dívitem. Et mérito dives hoc loco dícitur, ubi corpus súscipit Christi; suscipiéndo enim dívitem, nescívit fídei paupertátem. Dives est ergo, qui justus est. Justus ígitur Síndone invólvit; Israelíta vero et divérsos miscet virtútum odóres, et áloes mittit quasi libras centum, hoc est, perféctæ fídei quantitátem. Et ligavérunt corpus Jesu, juxta consuetúdinem speciálem Judæórum, non útique nodis perfídiæ, sed fídei ligatúris; et posué-

runt in horto, cui frequénter Ecclésia comparátur, quæ diversórum habet poma meritórum florésque virtútum.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus, * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus. ℣. Qui cum maledicerétur, non maledicébat, cum paterétur, non comminabátur. Qui. Glória Patri. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Caro mea requiéscet in spe, quia non dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Psalm. Deus, in nómine tuo, *p.* 281, *et Dom. ad Prim.*

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi: conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia.

Ps. Notus in Judæa, *p.* 282, *et Fer.* V *ad Matut.*

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Ps. 87. Dómine Deus... *et Fer.* VI. *ad Matut.*

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII. *Cap.* 15.

In illo témpore: Cum jam sero factum esset, quia erat Parascéve, quod est ante sábbatum, venit Joseph ab Arimathæa, nóbilis decúrio, qui et ipse erat expéctans regnum Dei. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ, Presbyteri.

In Feria 3. *Palmarum.*

Parasceve græce, latíne Præparátio dícitur, quo nómine Judæi, qui inter Græcos morabántur, sextam sábbati appellábant, eo quod in illa ea, quæ requiéi sábbati necessária essent, præparáre solérent, juxta hoc quod de manna quondam præcéptum est: Sexta autem die colligétis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatúra perfécta, séptima autem Cónditor ab ópere suo requiévit, unde et hanc sábbatum, hoc est, réquiem vóluit appellári, recte Salvátor eádem sexta die crucifíxus humánæ restauratiónis implévit arcánum; ideóque, cum accepísset acétum, dixit: Consummátum est, hoc est, sexta diéi, quo pro mundi refectióne suscépi, jam totum est opus explétum. Sábbato autem in sepúlchro requiéscens, resurrectiónis, quæ octáva die ventúra erat, expectábat evéntum.

℟. Mercátus est Joseph Síndonem mundam, ut invólveret in ea corpus Dómini. * Venit ergo, et tulit corpus ejus. ℣. Rogávit Pilátum Joseph ab Arimathæa, ut tólleret corpus Jesu. Venit.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII.

VENIT, inquit, Joseph de Arimathæa, nóbilis decúrio, qui et ipse erat expéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Magnæ quidem Joseph iste dignitátis ad sæculum, sed majóris apud Deum mériti fuísse laudátur. Talem namque exístere decébat eum, qui corpus Dómini sepelíret, qui et per justítiam meritórum tali ministério dignus esset, et per nobilitátem poténtiæ sæculáris facultátem posset obtinére ministrándi; non enim quílibet ignótus aut mediócris ad præsidem accédere, et Crucifíxi corpus póterat impetráre.

℟. Hæc est Sindon digníssima, * In qua salútis Auctor de cruce depósitus invólvi dignátus est. ℣. Ut nos consepúlti cum eo, véteris hóminis exúviis depósitis, innocéntiæ Síndone tegerémur. In. Glória Patri. In.

Lectio IX. *de Homil. Feriæ.*

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Joseph, nóbilis decúrio, * vir bonus et justus, et ipse dives, erat expéctans regnum Dei.

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Hic audácter * introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu.

Ant. Cum cognovísset * Pilátus a centurióne, quod jam mórtuus esset, donávít corpus Jesu.

Ant. Joseph autem, mercátus Síndonem, et depónens eum, invólvit Síndone.

Ant. Pósuit eum * in monuménto, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

CAPITULUM. *Isaiæ* 63.

QUIS est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum.

HYMNUS.

JESU, dulcis amor meus,
Ac si præsens sis, accédo :
Te compléctor cum afféctu,
Tuórum memor vúlnerum.

O quam nudum hic te cerno,
Vulnerátum, et disténtum,
Inquinátum, involútum
In hoc sacráto tégmine!

Salve, caput cruentátum
Spinis, cujus dulcis vultus
Immutávit suum florem
Quem cœli tremit cúria.

Salve, latus Salvatóris,
Salva, mitis apertúra,
Super rosam rubicúnda,
Medéla salutífera.

Manus sanctæ, vos, avéte,
Diris clavis perforátæ :
Ne repéllas me, Salvátor,
De tuis sanctis pédibus.
Amen.

℣. Dóminus regnávit : decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Joseph, nóbilis decúrio, expéctans et ipse regnum Dei, mercátus est Síndonem, et depónens corpus Jesu, invólvit illud in Síndone.

ORATIO.

Deus, qui nobis in sancta Síndone, qua corpus tuum sacratíssimum e cruce depósitum a Joseph involútum fuit, passiónis tuæ vestígia reliquísti : concéde propítius; ut per mortem et sepultúram tuam, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Et fit Comm. Feriæ.

AD TERTIAM.

Ant. Hic audácter.

Capit. Quis est iste.

℟. *br.* Tuam Síndonem * Venerámur, Dómine. Tuam. ℣. Tuam recólimus passiónem. Venerámur. Glória Patri. Tuam.

℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per mortem tuam redemísti mundum.

AD SEXTAM.

Ant. Cum cognovísset.

CAPITULUM. *Isaiæ* 63.

Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non est vir mecum?

℟. *br.* Adorámus te, Christe, * Et benedícimus tibi. Adorámus. ℣. Quia per mortem tuam redemísti mundum. Et. Glória Patri. Adorámus.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

AD NONAM.

Ant. Pósuit eum.

CAPITULUM. *Isaiæ* 63.

Circumspexi, et non erat auxiliátor : quæsívi, et non fuit qui adjuváret : et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi.

℟. *br.* Omnis terra adóret te, * Et psallat tibi. Omnis. ℣. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. Et. Glória. Omnis.

℣. Dóminus regnávit : decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter ult. Psalmum, cujus loco dicit. Psalm. 141. Voce mea.... deprecátus sum. *p.* 140. *Fer.* VI. *ad Vesp.*

Ad Magnif. Ant. Homo quidam dives ab Arimathæa, nómine Joseph, accépto córpore Jesu, invólvit illud in Síndone munda.

Oratio Deus qui, *supra.*

Et fit Comm. Feriæ.

FERIA SEXTA

POST DOM. III. QUADRAG.

SS. V. VULNERUM D. N. J. C.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud.,

Psalmi ut in Vesp. Feriæ v. *in Cœna Domini,* p. 258.

Hymnus Pange. *In Dom. Passionis ad Matut.*, p. 214.

℣. Vidébunt in quem transfixérunt. ℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

Ad Magnif. Ant. Dum in cruce pendéret unigénitus Dei Fílius, et ab ómnibus subsannarétur, mater ejus, Virgo María, ipsum verum Deum et hóminem cóndolens venerabátur.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum in cruce confíxum, quinque Plagis vulnerátum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymnus Pange, p. 214.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Quis est qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Psalm. In Dómino confído, *Dom. I. Noct.*, p. 8.

Ant. Quare rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Psalm. Dómine, quis habitábit, *Dom. II. Noct.*, p. 9.

Ant. Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non fuit vir mecum.

Psalm. Dómini est, *Fer.* II. *ad Matut.*, p. 30.

℣. Fodérunt manus meas et pedes meos. ℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

LECTIO I. *Cap.* 53.

Quis crédidit audítui nostro? Et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor : et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum : despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus : unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit : et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo, * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, in remissiónem peccatórum. ℣. Ecce venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras. In.

LECTIO II.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit : et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi

agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est : generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua, eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte.

℟. Nos, qui aliquándo erámus longe, facti sumus prope per sánguinem Jesu Christi : * Ipse est pax nostra, qui fecit útraque unum. ℣. A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. Ipse.

LECTIO II. *Isaiæ* 53.

Quis est iste, qui venit de Edom tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non est vir mecum : calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea, et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi; dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor; quæsívi, et non fuit qui adjuváret.

℟. In Primogénito ex mórtuis complácuit omnem plenitúdinem divinitátis inhabitáre, et per eum reconciliári ómnia in ipsum, * Pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt. ℣. Ipse est caput córporis Ecclésiæ, in ómnibus primátum tenens. Pacíficans. Glória. Pacíficans.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Fodérunt manus meas et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Psalm. Deus, Deus meus, réspice, *Fer.* VI. *ad Matut.*, p. 32.

Ant. A planta pedis usque ad vérticem, non est in eo sánitas.

Psalm. Jubiláte Deo, *Fer.* IV. *ad Matut.*, p. 77.

Ant. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque lota óleo.

Psalm. Notus in Judæa, *Fer.* V. *ad Matut.*, p. 88.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit. ℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

Lib. de Pass. Dom. Cap. 41.

LECTIO IV.

Captus ergo Jesus post plúrimas illusiónes tam Judæórum quam Géntium, post

sánguinis plures effusiónes, clavis immítibus mánibus simul et pédibus perforátur, et confígitur ligno Crucis Salvátor noster mitíssimus Jesus. Intuére, et réspice rosam passiónis sanguíneæ, quómodo rubet in indícium ardentíssimæ charitátis. Conténdunt pássio et cháritas : ista, ut plus árdeat; illa, ut plus rúbeat.

℟. Per mortem destrúxit Jesus eum, qui mortis habébat impérium, * Ut liberáret eos qui timóre mortis obnóxii erant servitúti. ℣. Unde débuit per ómnia frátribus assimilári, ut miséricors fíeret. Ut.

LECTIO V.

Vide quómodo hoc flore rosæ florúerit óptima vitis nostra, rubicúndus Jesus. Vide totum corpus, sícubi rosæ sanguíneæ florem non invénias. Inspice manum unam et álteram, si florem rosæ non invénias in utráque. Inspice pedem unum et álterum : numquid non rósei? Inspice láteris apertúram, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrúbea sit, propter mixtúram aquæ, quia, sicut narrat Evangelísta, cum unus mílitum láncea latus ejus perforásset, exívit sanguis et aqua.

℟. Per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. * Et sicut in Adam omnes peccavérunt, ita in Christo omnes vivificabúntur. ℣. Novíssime autem inimíca destruétur mors. Et sicut.

Ex eódem divo Bernárdo.

Serm. de Passione Domini.

LECTIO VI.

Réspice, Dómine, sancte Pater, de sanctuário tuo, et de excélso cœlórum habitáculo, et intuére hanc sacrosánctam Hóstiam, quam tibi offert magnus Póntifex noster, sanctus puer tuus Dóminus Jesus, pro peccátis fratrum suórum; et esto placábilis super multitúdinem malítiæ nostræ. Cognósce, Pater, túnicam fílii tui Joseph. Heu! fera péssima devorávit eum, et conculcávit in furóre suo vestiméntum ejus. Ecce quinque scissúras lamentábiles in eo relíquit.

℟. Vídimus Jesum, propter passiónem mortis glória et honóre coronátum, * Ut pro ómnibus gustáret mortem. ℣. Decébat eum, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummári. Ut. Glória Patri. Ut.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Quid sunt Plagæ istæ in médio mánuum tuárum.

Psalmi de III. Noct. in Communi Virg., p. cxxij.

Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui me diligébant.

Ant. In amaritúdine sermo meus est, et manus Plagæ

meæ aggraváta est super gémitum meum.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras. ℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit : Sítio. Et réliqua.

Homília sancti Cyrílli, Epíscopi Alexandríni.

Lib. 12. *Comm. in Joan.*

Cum ab immánibus Judæis omnis in Christum expléta esset impíetas, nec quidquam jam ad summam crudelitátem réliquum esset, ad extrémum caro Christi sanctíssima próprium quiddam ac naturále rursus pátitur. Multis enim ac váriis dolóribus exsiccáta, siti torquétur. Graves síquidem dolóres magnam ad sitim commovéndam vim habent, naturáli quodam et inexplicábili calóre húmidum consuméntes, et ígneis ardóribus præcórdia uréntes.

℟. Manifestáta est grátia Dei per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi, * Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. ℣. Liberávit et vocávit nos vocatióne sua sancta per grátiam quæ data est nobis in Christo. Qui.

LECTIO VIII.

Consummatum esse ait impietátis Judáicæ modum, et impoténtem sæviéndi ánimum. Quid enim Judæi intentátum reliquérunt, aut quid non extrémæ crudelitátis adhibuérunt ? Quod supplícii aut contumélíæ genus prætermisérunt ? Quamóbrem jure, Consummátum est, ait : sed hora jam eum ad prædicándum spirítibus, qui apud ínferos erant, invitánte (advénit enim, ut mortuórum ac vivórum dominarétur), ipsam pro nobis mortem suscépit, commúnem hanc natúræ nostræ passiónem sustínuit in carne sua.

℟. Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus, quóniam occísus es, et redemísti nos Deo * In Sánguine tuo. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. In. Glória Patri. In.

Lectio IX. *de Homilia Feriæ.*

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Vere languóres * nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Ipse autem * vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

Ant. Alligávit Dominus * plagam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit.

Ant. Omnis qui transíbit,

stupébit super omnes Plagas ejus.

Ant. O vos omnes,* qui transítis per viam, atténdite et vidéte si est dolor sicut dolor meus.

CAPITULUM. *Isaiæ* 53.

CHRISTUS vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus Lustra sex, *in Dom. Passionis*, p. 219.

℣. Vidébunt in quem transfixérunt. ℟. Et dolébunt super eum, ut in morte Primogéniti.

Ad Bened. Ant. Unus mílitum láncea Latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

ORATIO.

DEUS, qui unigéniti Fílii tui passióne, et, per quinque Vúlnera ejus sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti : tríbue nobis, quæsumus; ut qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi sánguinis fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem.

Et fit Comm. Feriæ.

AD TERTIAM.

Ant. Ipse autem.

Capit. Christus.

℟. *br.* Fodérunt manus meas * Et pedes meos. Fodérunt. ℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et. Glória Patri. Fodérunt.

℣. O vos omnes, qui transítis per viam. ℟. Atténdite et vidéte dolórem meum.

AD SEXTAM.

Ant. Alligávit Dóminus.

CAPITULUM. *Isaiæ* 10.

FACIEM meam non avérti ab increpántibus, et conspuéntibus in me : Dóminus Deus auxiliátor meus; et ídeo non sum confúsus.

℟. *br.* Vere languóres nostros * Ipse tulit. Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Ipse. Glória Patri. Vere.

℣. Disciplína pacis nostræ super eum. ℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

AD NONAM.

Ant. O vos omnes.

CAPITULUM. *Isaiæ* 53.

TRADIDIT Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est, et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. *br.* Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse. ℣. Attrítus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit. ℟. Et non apéruit os suum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Ad Magnif. Ant. Ego sum

vestra redémptio : manus meæ, quæ vos fecérunt, clavis confíxæ sunt : propter vos flagéllis cæsus sum, spinis coronátus sum : aquam pétii pendens, et acétum porrexérunt : in escam meam fel dedérunt, et in latus lánceam : mórtuus et sepúltus resurréxi : vobíscum sum, et vivo in ætérnum.

Oratio Deus, qui, *supra*.
Et fit Comm. Feriæ.

FERIA SEXTA

POST DOM. IV. QUADRAG.

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

D. N. J. C.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Ant. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua.

Psalmi de Dom., et loco ult., Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes, *p.* 128.

Ant. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum.

Ant. Vestítus erat veste aspérsa sánguine, et vocátur nomen ejus Verbum Dei.

Ant. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári?

Ant. Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non est vir mecum.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

Fratres, Christus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

HYMNUS.

Festivis résonent cómpita vócibus :
Cives lætítiam fróntibus éxplicent :
Tædis flammíferis órdine pródeant
Instrúcti púeri et senes.

Quem dura móriens Christus in árbore
Fudit multíplici vúlnere Sánguinem,
Nos facti mémores dum cólimus, decet
Saltem fúndere lácrymas.

Humáno géneri pernícies gravis
Adámi véteris crímine cóntigit :
Adámi intégritas et píetas novi
Vitam réddidit ómnibus.

Clamórem válidum summus ab æthere
Languéntis Géniti si Pater áudiit,
Placári pótius Sánguine débuit,
Et nobis véniam dare.

Hoc quicúmque stolam Sánguine próluit,

Abstérgit máculas; et róscum decus,
Quo fiat símilis prótinus Angelis,
Et Regi pláceat, capit.
A recto instábilis trámite póstmodum
Se nullus rétrahat; meta sed última
Tangátur: tríbuet nóbile præmium,
Qui cursum Deus ádjuvat.
Nobis propítius sis, Génitor potens,
Ut quos unígenæ Sánguine Fílii
Emísti, et plácido Flámine récreas,
Cœli ad cúlmina tránsferas.
Amen.

℣. Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Ant. Accessístis ad Sion montem, et civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem, et Testaménti Novi mediatórem Jesum, et Sánguinis aspersiónem mélius loquéntem, quam Abel.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum, Dei Fílium, qui suo nos redémit Sánguine, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

Ira justa Conditóris,
Imbre aquárum víndice,
Criminósum mersit orbem,
Noe in arca sóspite:
Míra tandem vis amóris
Lavit orbem Sánguine.
Tam salúbri terra felix
Irrigáta plúvia,
Ante spinis quæ scatébat,
Germinávit flósculos:
Inque néctaris sapórem
Transiére absynthia.
Triste prótinus venénum
Dirus anguis pósuit,
Et cruénta belluárum
Désiit ferócia:
Mitis Agni vulneráti
Hæc fuit victória.
O sciéntiæ supérnæ
Altitúdo impérvia!
O suávitas benígni
Prædicánda péctoris!
Servus erat morte dignus:
Rex luit pœnam óptimus.
Quando culpis provocámus
Ultiónem Júdicis,
Tunc loquéntis protegámur
Sánguinis præséntia:
Ingruéntium malórum
Tunc recédant ágmina.
Te redémptus laudet orbis,
Grata servans múnera,
O salútis sempitérnæ
Dux et auctor ínclyte,
Qui tenes beáta regna
Cum Parénte et Spíritu.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Psalm. Quare fremuérunt, *Dom. I. Noct.*, p. 4.

Ant. Factus in agónia prolíxius orábat; et factus est sudor ejus, sicut gutttæ Sánguinis decurréntis in terram.

Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt, *ibid.*, p. 4.

Ant. Judas, qui eum trádidit, pœniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos, dicens : Peccávi, tradens Sánguinem justum.

Psalm. Consérva me, *Dom. II. Noct.*, p. 10.

℣. Redemísti nos, Dómine.
℣. In Sánguine tuo.

De Epístola beáti Pauli, Apóstoli, ad Hebræos.

LECTIO I. *Cap.* 9.

CHRISTUS assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo Novi Testaménti mediátor est, ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri Testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt, ætérnæ hæreditátis.

℟. Jesus, ut sanctificáret per suum Sánguinem pópulum, extra portam passus est. * Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. ℣. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes. Exeámus.

LECTIO II.

UBI enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est : alióquin nondum valet, dum vivit, qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto Legis a Móyse univérso pópulo, accípiens sánguinem vitulórum et hircórum cum aqua et lana coccínea et hyssópo, ipsum quoque librum et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum et ómnia vasa ministérii sánguine simíliter aspérsit. Et ómnia pene in sánguine secúndum Legem mundántur, et sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. Móyses sumptum sánguinem respérsit in pópulum, * Et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobíscum. ℣. Fide celebrávit Pascha et sánguinis effusiónem, ne, qui vastábat primitíva, tángeret eos. Et.

LECTIO III.

HABENTES ítaque, fratres, fidúciam in intróitu sanctó-

rum in Sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, et vivéntem per velámen, id est, carnem suam, et Sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala, et ablúti corpus aqua munda, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem (fidélis enim est, qui repromísit), et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis et bonórum óperum.

℟. Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in Sánguine Christi : * Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum. ℣. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Ipse. Glória Patri. Ipse.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis cæsum.

Psalm. Dóminus regit, *Fer. V. ad Primam*, p. 32.

Ant. Videns autem quia nihil profíceret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens : Innocens ego sum a Sánguine justi hujus.

Psalm 29. Exaltábo te, *Fer. II. ad Matut.*, p. 49.

Ant. Et respóndens univérsus pópulus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super fílios nostros.

Psalm. 63. Exáudi, *Fer. IV. ad Matut.*, p. 77.

℣. Sanguis Jesu Christi, Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

LECTIO IV.

Vultis Sánguinis Christi audíre virtútem? Redeámus ad ejus exémplum, et priórem typum recordémus, et prístinam Scriptúram narrémus. In Ægypto, nocte média, Ægyptiis Deus plagam décimam minabátur, ut eórum primogénita deperírent, quia primogénitum ejus pópulum destinébant. Sed ne amáta plebs Judæórum una cum illis periclitarétur, quia unus locus continébat univérsos, remédium discretiónis invéntum est. Proínde exémplum mirábile, ut discas in veritáte virtútem. Ira divínæ indignatiónis sperabátur, et domos síngulas mórtifer circuíbat. Quid ígitur Móyses? Occídite, inquit, agnum annículum, et sánguine ejus liníte jánuas. Quid ais, Móyses? Sanguis ovis rationálem hóminem liberáre consuévit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Domínici Sánguinis per eum demonstrátur exémplum.

℟. In timóre incolátus vestri conversámini, * Sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis. ℣. Sed pretióso Sánguine, quasi agni immaculáti, Christi. Sciéntes.

LECTIO V.

Nam sicut regnántium státuæ, quæ sine causa sunt et sermóne, nonnúnquam ad se confugiéntibus homínibus ánima et ratióne decorátis, subveníre consuevérunt, non quia sunt ære conféctæ, sed quia rétinent imáginem principálem; ita et sanguis ille, qui irrationális fuit, ánimas habéntes hómines liberávit; non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sánguinis ostendébat advéntum. Et tunc Angelus ille vastátor, cum linítos postes atque áditus pervidéret, transjécit gressus, et non est ausus intráre. Nunc ergo si víderit inimícus, non póstibus impósitum sánguinem typi, sed fidélium ore lucéntem Sánguinem veritátis Christi, templi póstibus dedicátum, multo magis se súbtrahet. Si enim Angelus cessit exémplo, quanto magis terrébitur inimícus, si ipsam perspéxerit veritátem? Vis et áliam hujus Sánguinis scrutári virtútem? Volo. Unde primum cucúrrit, inspícias, et de quo fonte manávit. De ipsa primum cruce procéssit : latus illud Domínicum inítium fuit. Mórtuo enim, ait, Jesu, et adhuc in cruce pendénte, appróximat miles : latus láncea percússit, et exínde aqua fluxit, et Sanguis, unum baptísmatis symbolum, áliud sacraménti. Ideo non ait : Exiit Sanguis, et aqua; sed éxiit aqua primum, et Sanguis : quia primum baptísmate dilúimur, et póstea mystério dedicámur.

℟. Empti enim estis prétio magno : * Glorificáte, et portáte Deum in córpore vestro. ℣. Prétio empti estis : nolíte fíeri servi hóminum. Glorificáte.

LECTIO VI.

Latus miles apéruit, et templi sancti paríetem pateféciт. Et ego thesáurum præclárum invéni, et fulgéntes dívítias me grátulor reperíre. Sic et de illo agno factum est. Judæi ovem occidérunt, et ego fructum de sacraménto cognóvi. De látere Sanguis, et aqua. Nolo tam fácile, audítor, tránseas tanti secréta mystérii. Restat enim mihi mystica atque secretális orátio. Dixi baptísmatis symbolum et mysteriórum, aquam illam et Sánguinem demonstráre. Ex his enim sancta fundáta est Ecclésia per lavácri regeneratiónem, et renovatiónem Spíritus sancti; per baptísma, inquam, et mystéria, quæ ex látere vidéntur esse proláta. Ex látere ígitur suo Christus ædificávit Ecclésiam, sicut de látere Adam ejus conjux Eva proláta est. Nam hac de causa Paulus quoque testátur, dicens : De córpore ejus et de óssibus ejus sumus, latus vidélicet illud signíficans. Nam, sicut de illo látere Deus fecit fœminam procreári; sic et de suo látere Christus aquam nobis et Sán-

guinem dedit, unde repararétur Ecclésia.

℟. Comméndat charitátem suam Deus in nobis, * Quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est. ℣. Multo ígitur magis nunc justificáti in Sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dicit eis : Ecce homo.

Psalm. Ut quid, Deus, *Fer. V. ad Matut.*, p. 87.

Ant. Et bájulans sibi Crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum : ubi crucifixérunt eum.

Psalm. Dómine, Deus salútis meæ, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 100.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit Sanguis et aqua.

Psalm. Deus ultiónum. *Feria VI. ad Matut.*, p. 103.

℣. Christus diléxit nos. ℟. Et lavit nos a peccátis nostris in Sánguine suo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Cum accepísset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et inclináto cápite, trádidit spíritum. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni, Epíscopi.

Ex Tract. 120. *in Joan.*

Vigilanti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret : Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud : sed, Apéruit, ut illic quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde Sacraménta Ecclésiæ manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille Sanguis in remissiónem fusus est peccatórum : aqua illa salutáre témperat póculum : hæc et lavácrum præstat et potum. Hoc prænuntiábat quod Noe in látere Arcæ óstium fácere jussus est, qua intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia. Propter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum ante magnum prævaricatiónis malum. Hic secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quæ de látere dormiéntis efflúxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto Sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius?

℟. Hic est qui venit per aquam et Sánguinem, Jesus Christus, * Non in aqua solum, sed in aqua et Sánguine. ℣. In

die illa erit fons patens dómui David et habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris. Non.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII.

Tenebantur hómines captívi sub diábolo, et dæmónibus serviébant. Sed redémpti sunt a captivitáte. Véndere enim se potuérunt; sed redímere non potuérunt. Venit Redémptor, et dedit prétium. Fudit Sánguinem suum, et emit orbem terrárum. Quæritis quid émerit? Vidéte quid déderit, et inveniétis quid émerit. Sanguis Christi prétium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes Gentes? Valde ingráti sunt prétio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse ut solos Afros émerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exúltent, non supérbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Prædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum, * In quo habémus redemptiónem per Sánguinem ejus. ℣. Remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis. In. Glória Patri. In.

Lectio IX. *de Homilia Feriæ.*

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Hi qui amícti sunt * stolis albis, qui sunt, et unde venérunt?

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Hi sunt qui venérunt * de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas in Sánguine Agni.

Ant. Ideo sunt * ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte.

Ant. Et ipsi vicérunt dracónem propter Sánguinem Agni, et propter Testaméntum Verbi sui.

Ant. Beáti qui lavant * stolas suas in Sánguine Agni.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

Fratres, Christus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

HYMNUS.

Salvete, Christi vúlnera,
Imménsi amóris pígnora,
Quibus perénnes rívuli
Manant rubéntis Sánguinis.

Nitóre stellas víncitis,
Rosas odóre et bálsama,
Prétio lapíllos Indicos,
Mellis favos dulcédine.

Per vos patet gratíssimum
Nostris asylum méntibus:
Non huc furor minántium
Umquam penétrat hóstium.

Quot Jesus in Prætório
Flagélla nudus éxcipit!

Quot scissa pellis úndique
Stillat cruóris gúttulas!
Frontem venústam, proh dolor!
Coróna pungit spínea :
Clavi retúsa cúspide
Pedes manúsque pérforant.
Postquam sed ille trádidit
Amans voléusque spíritum,
Pectus ferítur láncea,
Geminúsque liquor éxilit.
Ut plena sit redémptio,
Sub torculári stríngitur,
Suíque Jesus ímmemor,
Sibi nil resérvat Sánguinis.
Veníte, quotquot críminum
Funésta labes ínficit :
In hoc salútis bálneo
Qui se lavat, mundábitur.
Summi ad Paréntis déxteram
Sedénti habénda est grátia,
Qui nos redémit Sánguine,
Sanctóque firmat Spíritu.
Amen.

℣. Justificáti in Sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

Ad Bened. Ant. Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dóminus, et vidébo sánguinem, et transíbo vos, nec erit in vobis plaga dispérdens.

ORATIO.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti : concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte defféndi in terris; ut fructu perpétuo lætémur in cœlis. Qui tecum vivit.

Et fit Comm. Feriæ.

AD PRIMAM.

In ℟. br. dicitur ℣.

Qui tuo nos Sánguine redemísti.

AD TERTIAM.

Ant. Hi sunt qui venérunt.

Capit. Fratres, Christus assístens.

℟. *br.* Redemísti nos, Dómine, * In Sánguine tuo. Redemísti. ℣. Ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne. In. Glória Patri. Redemísti.

℣. Sanguis Jesu Christi, Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

AD SEXTAM.

Ant. Ideo sunt.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

Si sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti?

℟. *br.* Sanguis Jesu Christi, Fílii Dei, * Emúndat nos. Sanguis. ℣. Ab omni peccáto. Emúndat. Glória Patri. Sanguis.

℣. Christus diléxit nos. ℟. Et lavit nos in Sánguine suo.

AD NONAM.

Ant. Beáti qui lavant.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

Accipiens Móyses sánguinem vitulórum et hircórum cum aqua et lana coccínea et hyssópo, ipsum quoque librum et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

℟. *br.* Christus diléxit nos, et lavit nos * In Sánguine suo. Christus. ℣. Et fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri. In. Glória Patri. Christus.

℣. Justificáti in Sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

IN II. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laudibus, Psalmi de Dom., et loco ult., Psalm. Lauda, Jerúsalem. *Sabb. ad Vesp.*, p. 144.

Hymnus Festívis, *ut in I. Vesperis supra.*

℣. Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni. ℟. Quos pretióso Sánguine redemísti.

Ad Magnif. Ant. Habébitis autem hunc diem in monuméntum, et celebrábitis eum solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno.

Oratio Omnípotens, *supra. Et fit Comm. Feriæ.*

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

ORDO VESPERARUM

Cum processione ad Fontes.

Intra Vesperas fit processio ad Fontes, ut sequitur, sed tantum in Ecclesiis Fontem Baptismalem habentibus. Aliæ enim Ecclesiæ, etiam in Choro et qui privatim recitant, tenentur ad ordinandas Vesperas ut in Breviario.

I. *Ant.* Angelus autem Dómini descéndit de cœlo, et accédens revólvit lápidem et sedébat super eum. Allelúia, allelúia.

Psalm. Dixit Dóminus, *p.* 123.

II. *Ant.* Et ecce terræ motus factus est magnus, ángelus enim descéndit de cœlo. Allelúia.

Psalm. Confitébor, *p.* 123.

III. *Ant.* Erat autem aspéctus ejus sicut fulgur, vestiménta autem ejus sicut nix. Allelúia, allelúia.

Psalm. Beátus vir, *p.* 124.

Omissis Cap., Hymn. et ℣. dicitur:

Ant. Hæc dies quam fecit Dóminus, exultémus et lætémur in ea. ℣. Quem Deus suscitávit non vidit corruptiónem.

PROSA.

Victimæ Paschāli laudes Immolent Christiáni.

Agnus redémit oves; Christus ínnocens Patri Reconciliávit peccatóres.

Mors et vita duéllo Conflixére mirándo; Dux vitæ mórtuus Regnat vivus.

Dic nobis, María, Quid vidísti in via?

Sepúlchrum Christiivivéntis:
Et glóriam vidi resurgéntis;
Angélicos testes, Sudárium: et vestes.
Surréxit Christus spes mea: Præcédet suos in Galilæam.
Scimus Christum surrexísse A mórtuis vere:
Tu nobis victor Rex miserére. Amen. Allelúia.

Ad Magnif. Ant. Et respiciéntes vidérunt lápidem revolútum, erat quippe magnus valde. Allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui hodiérna die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum reserásti; vota nostra quæ præveniéndo aspíras, étiam adjuvándo proséquere. Per eúmdem Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum Spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. Allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias. Allelúia, allelúia.

Tunc ordinatur processio ad Fontes.

Præcedunt cereus Paschalis et thuribulum coram cruce, et luminibus, et eundo ad sacros Fontes cantatur.

Ant. Præ timóre autem ejus exterríti sunt custódes et facti sunt velut mórtui. Allelúia.

Psalm. Laudáte,púeri, *p.* 124.

Hic Celebrans incensat Fontes ductu sextuplici et reverenter osculatur.

Et repetita Antiphona dicit absolute:

OREMUS.

DEUS, qui Ecclésiam tuam semper géntium vocatióne multíplicas: concéde propítius, ut quos aqua Baptísmatis ábluis contínua protectióne tueáris. Per Christum Dóminum nostrum.

Tum canitur:

Ant. Respóndens autem Angelus, dixit muliéribus: Nolíte timére, scio enim quod Jesum quæritis. Allelúia.

Psalm. In éxitu Israel, *p.* 125.

Et repetitur Antiphona.

Interea redeunt ad Chorum; cum autem ventum est ante Crucifixum Chori, canitur sequens:

Ant. Christus delévit quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio áffigens illud Cruci. Allelúia.

Et Celebrans dicit:

OREMUS.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui resurrectiónis Domínicæ solémnia cólimus, redemptiónis nostræ lætítiam suscípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. Allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias. Allelúia, allelúia.

℣. Fidélium.

¶ *In Ecclesiis ubi est sacellum Crucifixo dicatum, in eo fit hic ritus ultimus.*

Deinde Complet. ut in Brev.

IN FERIIS ROGATIONUM.

In processione, preces ad stationem:

CORAM CRUCE.

O crux, ave, spes única,
In hac triúmphi glória
Piis adáuge grátiam
Reísque dele crímina.

Te, fons salútis Trínitas,
Colláudet omnis spíritus;
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde præmium.
Amen.

Ant. Aufer a nobis, Dómine, iniquitátes nostras, ut serviámus tibi in sanctitáte et justítia ómnibus diébus nostris.

Ant. Oculi ómnium in te sperant, Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Tum Celebrans:

℣. Per signum Crucis, de inimícis nostris. ℟. Líbera nos, Deus noster.

℣. Osténde, nobis, Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Omnia a te expéctant, Dómine. ℟. Ut des illis escam in témpore.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dominus, etc.

OREMUS.

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur.

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram, ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Effunde, quæsumus, Dómine, Deus noster, benedictiónem tuam super pópulum tuum, ut et dante te benedictiónem, terra nostra det fructus suos, et his colléctis ad laudem et honórem sancti tui nóminis utámur. Per Christum Dóminum nostrum.

Additur Ant. ℣. *et Oratio Patroni.*

Tum Celebrans benedicit adstantibus cum Crucifixo dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nómine Dómini:

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum,

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Benedíctio Dei omnipoténtis, Pa✝tris et Fi✝lii et Spíritus ✝ sancti, descéndat super vos, et super fructus terræ, custódiat et máneat semper. ℟. Amen.

Deinde canitur sequens:

Exaudi, exáudi, exáudi, Dómine, preces nostras. Salvátor mundi, salva nos omnes.

Et resumptis Litaniis, processio redit ad Ecclesiam.

In his autem Litaniis adduntur preces quæ notantur in die XXV. *Aprilis, ex Decreto Apost.* 10 *Sept.* 1857.

OFFICIA VOTIVA
DIŒCESI ANICIENSI
A SANCTA SEDE CONCESSA.

¶ *Extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora, Octavas et Vigilias privilegiatas, fit ritu Semiduplici, singulis Feriis V, Officium votivum* DE SS. SACRAMENTO, *et, singulis Sabbatis,* DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V., *modo non obstet his diebus, occurrens aut translatum, Officium novem Lectionum.*

Præcedente autem aut subsequente Officio novem Lectionum, ordinandæ erunt Vesperæ juxta Rubricas de concurrentia Officii. Quoad Officium Simplex occurrens, Lectio IX, *si propria habeatur, legitur de eo, cum Commemoratione ejusdem in I. Vesperis et Laudibus.*

Fit Comm. de Cruce, ut in tempore Paschali, et preces dicuntur ad Completorium et Primam.

OFFICIUM VOTIVUM
DE SS. SACRAMENTO
IN FER. V. NON IMPEDITIS.

Semiduplex.

IN I. VESPERIS.

Ant. Sacérdos in ætérnum.

Psalm. Dixit Dóminus, *in Dom. ad Vesp.*, p. 123.

Ant. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Ant. Miserátor Dóminus.

Psalm. Confitébor, *ibid.*

Ant. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Ant. Cálicem.

Psalm. Crédidi, *Fer. II. ad Vesp.*, p. 127.

Ant. Cálicem salutáris accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Ant. Sicut novéllæ.

Psalm. Beáti omnes, *Fer. VI. ad Vesp.*, p. 133.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Ant. t. 5. Qui pacem.

Psalm. Lauda, Jerúsalem, *Sabb. ad Vesp.*, p. 144.

Ant. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

FRATRES : Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui,
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

Genitóri Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnif. Ant. O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstíto, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes!

ORATIO.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Si occurrat aliquod Festum Simplex, fit de eo Commemoratio.

Deinde fit Comm. de Cruce, p. 144, et Fer. II. post Dom. in Albis.

Ad Completorium et per Horas, in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem adorémus, dominántem Géntibus, * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Psalm. Veníte, exultémus, *p.* 2.

HYMNUS.

Sacris solémniis
Juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis
Sonent præcónia :
Recédant vétera :
Nova sint ómnia,
Corda, voces et ópera.
Noctis recólitur
Cœna novíssima,
Qua Christus créditur
Agnum et ázyma
Dedísse frátribus,
Juxta legítima,
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum,
Explétis épulis,
Corpus Domínicum
Datum discípulis,
Sic totum ómnibus,
Quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus
Córporis férculum,
Dedit et trístibus
Sánguinis póculum,
Dicens : Accípite
Quod trado vásculum :
Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium
Istud instítuit,
Cujus offícium
Commítti vóluit
Solis Presbyteris,
Quibus sic cóngruit
Ut sumant, et dent cæteris.
Panis Angélicus
Fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus
Figúris términum :
O res mirábilis!
Mandúcat Dóminum
Pauper, servus et húmilis.
Te, trina Déitas
Unaque, póscimus,
Sic nos tu vísita,
Sicut te cólimus :
Per tuas sémitas
Duc nos quo téndimus,
Ad lucem quam inhábitas.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Fructum salutíferum.

Ps. Beátus vir, *in I. Noct. Dom.*, p. 4.

Psalm. Cum invocárem, *ad Complet.*, p. 147.

Psalm. Consérva me, *in II. Noct. Dom.*, p. 10.

Ant. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore, Alleluia.

℣. Panem cœli dedit eis.
℟. Panem Angelórum manducávit homo.

Lectiones de Scripura occurrente.

℟. I. Immolábit hœdum mul-

titúdo filiórum Israel ad vesperam Paschæ,* Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. Et edent.

℟. II. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste.

℟. III. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit, et bibit,* Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et. Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Memor sit Dóminus.

Psalm. Exáudiat, *in III. Noct. Dom.*, p. 15.

Psalm. Dóminus regit me, *Fer. IV, ad Primam*, p. 32.

Psalm. Quemádmodum, *Feria III. ad Matut.*, p. 64.

Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat, allelúia.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

MENSE APRILI.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia 60. *ad populum Antiochenum.*

LECTIO IV.

QUONIAM Verbum dicit : Hoc est corpus meum, et assentiámur, et credámus, et intellectuálibus ipsum óculis intueámur. Nihil enim sensíbile nobis Christus trádidit; sed sensibílibus quidem rebus, at ómnia intelligibília. Itidem et in baptísmate, per rem, nempe sensíbilem aquam, donum confértur : intelligíbile vero quod perfícitur, generátio et renovátio. Si enim incorpóreus esses, nuda et incorpórea tibi dedísset ipse dona : sed quóniam ánima córpori consérta est, in sensibílibus intelligibília tibi præbet. Quot nunc dicunt : Vellem ipsíus formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére : ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum, allelúia. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite.

LECTIO V.

IGITUR accédat nemo cum náusea, nemo irresolútus, omnes accénsi, omnes fervéntes et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pé-

dibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant, te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palæstínam erant profectúri, et proptérea viatórum figúram habébant : tu vero debes in cœlum migráre. Quaprópter in ómnibus opórtet te vigiláre; nec enim parva pœna propónitur indígne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos qui illum crucifixérunt. Itaque consídera ne tu quoque sis reus córporis et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt; tu vero pollúta súscipis ánima, post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit hóminem fíeri, cólaphis cædi, et crucifígi; verum et semetípsum nobis commíscet, et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem, allelúia. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VI.

Quo non opórtet ígitur esse puriórem, tali fruéntem sacrifício? Quo solári rádio non splendidiórem manum, carnem hanc dividéntem, os, quod igne spiritáli replétur; linguam, quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita quali sis insígnitus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque líbere audent intuéri propter emicántem inde splendórem, hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolóres, fílios áliis tradunt nutrícibus. Hoc autem ipse non est passus : sed ipse nos próprio sánguine pascit, et per ómnia nos sibi coagméntat.

℟. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur, allelúia. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

MENSIBUS MAIO ET JUNIO.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex eadem Homilia 60.

LECTIO IV.

Unicuique fidélium Christus semetípsum per mystéria commíscet, et quos génuit, per semetípsum enútrit, nec

álteri tradit, per hoc tibi rursum persuádens, quod carnem tuam assúmpsit. Ne torpeámus ígitur, tanta digni charitáte et honóre putáti. Nonne vidétis quanta promptitúdine párvuli papíllas cápiunt, et quanto ímpetu lábia ubéribus infígunt? Accedámus cum tanta nos quoque alacritáte ad hanc mensam, et ad úbera póculi spirituális : quinímo cum longe majóri trahámus, tamquam infántes lacténtes, spíritus grátiam, et unus sit nobis dolor hac esca privári. Non sunt humánæ virtútis ópera hæc quæ proponúntur : qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrórum tenémus locum : qui vero sanctíficat ea, et immútat, ipse est. Nullus ítaque Judas assístat, nullus avárus : nam tales mensa non súscipit. Si quis est discípulus, adsit : ait enim : Cum discípulis meis fácio Pascha. Hæc est illa mensa, et minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo pérficit : verum et hanc ipse quoque.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum, allelúia. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? Accípite et comédite.

LECTIO V.

Inhumanus accédat nemo, nemo crudélis et immiséricors, nemo prorsus immúndus. Hæc ad communicántes dico, et ad vos ministrántes. Nam et ad vos sermónem convértere necessárium est, ut multo cum stúdio hæc dona distribuátis. Non parva vobis ímminet últio, si quemquam, illíus culpæ cónscii, hujus mensæ partícipem esse concedátis : sanguis ejus de mánibus vestris exquirétur : sive quis dux milítiæ sit, sive præféctus, sive princeps diadémate coronátus, indígne autem accédat, próhibe : majórem illo potestátem habes. Proptérea vos Deus hoc insignívit honóre, ut tália discernátis. Hoc vestra dígnitas est, hoc secúritas, hoc omnis coróna, non ut albam et splendéntem túnicam circumeátis indúti. Verum et tu, láice, cum sacerdótem víderis offeréntem, ne ut sacerdótem esse putes hoc faciéntem, sed Christi manum invisibíliter exténsam.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem, allelúia. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VI.

Audiamus ígitur, et Sacerdótes et súbditi, quali esca facti sumus digni : audiámus, et

horreámus. Sanctis cárnibus suis nos dedit impléri, semetípsum appósuit immolátum. Quænam ígitur erit nobis excusátio, cum tálibus pasti, tália peccémus, cum lupi fiámus agnum comedéntes, cum tamquam oves pasti, more leónum diripiámus. Hoc enim mystérium non a rapína tantum, verum et ab omni vel ténui inimicítia purum esse pénitus jubet : est enim pacis mystérium. Judæis quidem annuátim propriórum monuménta beneficiórum solemnitátes Deus alligávit : tibi vero síngulis diébus per hæc mystéria. Nullus ítaque Judas hanc mensam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter avarítiam periérunt : hoc ígitur bárathrum fugiámus.

℟. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur, allelúia. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Introíbo.

Ps. 42. Júdica me, Deus. *Fer. III. ad Laud.*, p. 70.

Ps. 80. Exultáte Deo. *Fer. VI. ad Mat.*, p. 96.

Ps. Quam dilécta, *ibid.*, p. 98.

Ant. Introíbo ad altáre Dei : sumam Christum qui rénovat juventútem meam, allelúia.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

MENSE APRILI.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Ex Tractatu 27. in Joannem, circa medium.

Diximus, fratres, hoc Dóminum commendásse in manducatióne carnis suæ, et potatióne sánguinis sui, ut in illo maneámus, et ipse in nobis. Manémus autem in illo, cum sumus membra ejus : manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, únitas nos compáginat : ut compáginet únitas, quæ facit, nisi cháritas? Et cháritas Dei unde? Apóstolum intérroga. Cháritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in

eo, allelúia. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

LECTIO VIII.

Ergo spíritus est, qui vivíficat : spíritus enim facit viva membra : nec viva membra spíritus facit, nisi quæ in córpore, quod végetat ipse spíritus, invénerit. Nam spíritus, qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivíficat membrum, quod separátum invénerit a carne tua? Spíritum tuum dico ánimam tuam. Anima tua non vivíficat, nisi membra quæ sunt in carne tua : unum si tollas, jam non vivificátur ex ánima tua, quia unitáti córporis tui non copulátur.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, * Et qui mandúcat me, vivet propter me, allelúia. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et qui mandúcat me. Glória Patri. Et qui mandúcat me.

IX. Lect. de Sancto simplici, si occurrat: alias;

LECTIO IX.

Hæc dicúntur, ut amémus unitátem, et timeámus separatiónem. Nihil enim sic debet formidáre Christiánus, quam separári a córpore Christi. Si enim separátur a córpore Christi, non est membrum ejus : si non est membrum ejus, non vegetátur spíritu ejus. Quisquis autem, inquit Apóstolus, spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Spíritus ergo est, qui vivíficat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quæ ego locútus sum vobis, spíritus et vita sunt. Quid est, Spíritus et vita sunt? Spiritáliter intelligénda sunt. Intellexísti spirituáliter? Spíritus et vita sunt. Intellexísti carnáliter? Etiam sic illa spíritus et vita sunt, sed tibi non sunt.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

MENSIBUS MAIO ET JUNIO.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Ex Tractatu 20. *in Joannem, post medium.*

Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Hunc panem significávit manna, hunc panem significávit altáre Dei. Sacraménta illa fuérunt : in signis divérsa sunt, sed in re, quæ significátur, pária sunt. Apóstolum audi : Nolo enim vos, inquit, ignoráre, fratres, quia patres nostri omnes sub nube

fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes per Móysen baptizáti sunt in nube et in mari, et omnes eámdem escam spiritálem manducavérunt. Spiritálem útique eámdem : nam corporálem álteram, quia illi manna, nos áliud : spiritálem vero, quam nos, sed patres nostri, non patres illórum, quibus nos símiles sumus, non quibus illi símiles fuérunt. Et adjúngit : Et omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt. Aliud illi, áliud nos, sed spécie visíbili quidem, tamen hoc idem significánte virtúte spiritáli. Quómodo enim eúmdem potum? Bibébant, inquit, de spiritáli sequénte petra : petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo et in carne. Et quómodo bibérunt? Percússa est petra de virga bis. Gémina percússio duo ligna crucis signíficat.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo, allelúia. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

LECTIO VIII.

Norunt fidéles corpus Christi, si corpus Christi non négligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vívere de Spíritu Christi. De Spíritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intellígite, fratres mei, qui díxerim. Homo es, et spíritum habes, et corpus habes. Spíritum dico, qui ánima vocátur, qua constas quod homo es : constas enim ex ánima et córpore. Habes enim spíritum invisíbilem, corpus visíbile. Dic mihi quid, ex quo vivat? Spíritus tuus vivit ex córpore tuo, an corpus tuum ex spíritu tuo? Respóndet omnis qui vivit : qui autem hoc non potest respondére, néscio si vivit. Quid respóndet omnis qui vivit? Corpus útique meum vivit de spíritu meo. Vis ergo et tu vívere de Spíritu Christi? In córpore esto Christi.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, * Et qui mandúcat me, vivet propter me, allelúia. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et qui mandúcat me. Glória Patri. Et qui mandúcat me.

IX. Lectio de Sancto simplici, si occurrat : alias;

LECTIO IX.

Numquid enim corpus meum vivit de spíritu tuo? Meum vivit de spíritu meo, et tuum de spíritu tuo. Non potest vívere corpus Christi, nisi de spíritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem : Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O Sacraméntum pietátis, o signum unitátis, ó vin-

culum charitátis! Qui vult vívere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédat, credat, incorporétur, ut vivificétur. Non abhórreat a compáge membrórum, non sit putre membrum, quod resecári mereátur, non sit distórtum, de quo erubescátur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum, hæreat córpori, vivat Deo de Deo, Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in cœlo.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis*, p. 17.

Ant. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis, allelúia.

Ant. Pinguis est panis * Christi, et præbébit delícias régibus, allelúia.

Ant. Sacerdótes sancti incénsum et panes ófferunt Deo, allelúia.

Ant. Vincénti * dabo manna abscónditum et nomen novum, allelúia.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Fratres : Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, et dixit : Accípite et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

Verbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem,
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium,
Bella premunt hostília :
Da robur, fer auxílium!

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória,
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúia.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis

tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Si occurrat aliquod Festum simplex, fit de eo Commemoratio.

Deinde fit Commemoratio de Cruce, p. 144.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Angelórum esca.

Capit. Fratres, Ego enim.

℟. *br.* Panem cœli dedit eis, * Allelúia, allelúia. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

AD SEXTAM.

Ant. Pinguis est panis.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. *br.* Cibávit illos ex ádipe fruménti, * Allelúia, allelúia. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Cibávit.

℣. Educas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

AD NONAM.

Ant. Vincénti.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. *br.* Edúcas panem de terra. * Allelúia, allelúia. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur ut in primis, præter

Ad Magnif. Ant. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur, recólitur memória passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúia.

Oratio Deus, qui, *supra.*

Si occurrat aliquod Festum Simplex, fit de eo Commemoratio.; deinde de Cruce, p. 144.

OFFICIUM VOTIVUM

DE IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

IN SINGULIS SABB. NON IMPEDITIS DE QUIBUS SUPRA, *p.* 67*.

Semiduplex.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi ut in Festis B. M. V. p. clxxj.

Hymn. Ave, maris, *p.* clxxiij.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis, alleluia. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat ecclésias, allelúia.

Ad Magnif. Ant. Beáta Dei Génitrix, María, Virgo, perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

Comm. de Cruce, p. 144, *et in Fer.* II. *post Dom. in Albis.*

AD MATUTINUM.

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum, ejus Fílium, adorémus Dóminum, allelúia.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymn. Quem terra. *In Fest. B. M. V.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas, allelúia.

Psalmi ut in Festis B. M. V., p. clxxiv.

℣. Deus præcínxit me virtúte, allelúia. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam, allelúia.

Lect. de Script. occurrente.

℟. I. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol? Allelúia. ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis. Pulchra.

℟. II. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, * Cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus, allelúia. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Cujus.

℟. III. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, * Quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo, allelúia. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quia. Glória Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et factus est Dóminus protéctor meus, allelúia.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me, allelúia. ℟. Quó-

niam non gaudébit inimícus meus super me, allelúia.

MENSE APRILI.

Sermo sancti Thomæ, Archiepíscopi Valentíni.

In Conceptione B. M. V.

LECTIO IV.

Non est facta in póndere et mensúra Virgo. Omnibus dedit, ómnia replévit. Et quemádmodum Sol justítiæ, Christus Deus noster, oríri facit lumen suum super bonos et malos, sic lumen indéficiens, Virgo sacratíssima, rádios évibrans misericórdiæ suæ, ómnibus indifferénter sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Omnibus ómnia facta est : sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima charitáte debitrícem se fecit : ómnibus misericórdiæ sinum apéruit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi, captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam, dénique tota Trínitas glóriam, Fílii persóna carnis humánæ substántiam.

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob, allelúia. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

O lampas lucidíssima, quantos lætificásti, quando divíno splendóre illustráta, in útero matris Immaculáta apparuísti! Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo. Mérito epithalámi præcéntor ille a longe in ortu tuo te intúitus : Quæ, inquit, est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Sicut auróra valde rútilans in mundum prodiísti, o María, quando veri Solis fulgóre adumbráta, in Conceptióne tua Immaculáta fuísti. Ipse enim Sol justítiæ de te processúrus, ortum tuum quadam matutína irradiatióne prævéniens, in te suæ lucis rádios copiosíssime transfúdit, quibus potestátes tenebrárum, quas Eva prodúxerat, in fugam convertísti.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula, allelúia. ℣. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

Tu pulchra ut luna díceris, eíque non immérito comparáris ; illa enim ómnium astrórum, sola soli simíllima, comparatióne et candóre venústa, inter míllia astrórum Deo assisténtium, omnígena

puritáte in cœlo gloriósa præfúlges. Tu ergo pulchra es ut luna, imo et púlchrior luna, quia tota pulchra es, et máculæ neque originális, neque actuális umbra non est in te. Tu elécta es ut Sol. Ille, inquam, Sol, solis cónditor, ille eléctus est ex míllibus virórum : Tu elécta ex míllibus fœminárum. Tu terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Annon horruérunt príncipes tenebrárum, quando vidérunt præter morem immaculáte concéptam, armatúra omni fortióre instrúctam contra se procédere fœminam? Quin et in animatióne tua ácies válidas spirituálium Virtútum et innumerabílium beatórum Spírituum milítiam delegátam fuísse nullátenus ambígimus, útpote qui custodírent léctulum Salomónis puríssimum, ne præparátum ætérno Regi hospítium aliénus hospes inváderet.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia ancíllam húmilem respéxit Deus, allelúia. ℣. Ornátam monílibus, fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit, Quia. Glória Patri. Quia.

MENSIBUS MAIO ET JUNIO.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

De 12. Prærogativis B. M. V.

LECTIO IV.

Mulier, inquit, amícta sole. Plane amícta lúmine tamquam vestiménto. Non pércipit forte carnális : nimírum spirituále est : stultítia illi vidétur. Non sic videbátur Apóstolo qui dicébat : Induímini Dóminum Jesum Christum. Quam familiáris ei facta es, Dómina! Quam próxima, imo quam íntima fíeri meruísti! Quantam invenísti grátiam apud eum! In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substántia carnis, et vestit ille te glória suæ majestátis. Vestis solem nube, sole ipsa vestíris. Novum enim fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári.

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob, allelúia. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim. Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans, ornet eas pótius quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circúmdabant eam flores rosá-

rum, et lília convállium. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est? Supra hóminem est corónæ hujus ratiónem expónere, indicáre compositiónem. Mihi sane singuláris rútilat fulgor, primo quidem in Maríæ generatióne, secúndo in Angélica salutatióne, tértio in Spíritus superventióne, quarto in Fílii Dei inenarrábili conceptióne.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula, allelúia. ℣. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

Quid ergo sidéreum micat in generatióne Maríæ? Plane quod ex régibus orta; quod ex sémine Abrahæ; quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi, ob singuláre privilégium sanctitátis, divínitus nóscitur esse concéssa; quod longe ante eísdem Pátribus cœlitus repromíssa; quod mysticis præsignáta miráculis; quod oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális vírga, dum sine radíce flóruit : hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit : hanc in Ezechiélis visióne orientális porta, quæ nulli umquam pátuit, præsignábat. Hanc dénique præ cæteris Isaías nunc virgam de radíce Jesse oritúram prænuntiábat, nunc evidéntius vírginem paritúram. Mérito signum hoc magnum in cœlo apparuísse scríbitur, quod tanto ante de cœlo nóscitur fuísse promíssum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia ancíllam húmilem respéxit Deus, allelúia. ℣. Ornátam monílibus, fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ave, grátia plena : Dóminus tecum, allelúia.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam, allelúia. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúia.

MENSE APRILI.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Ambrósii, Epíscopi.

De Expositione Evangelii secundum Lucam. Cap. 3.

Ideo istos duos géneris auctóres Evangélista delégit :

unum qui promíssum accépit de congregatióne populórum: álterum qui de generatióne Christi oráculum consecútus est. Et ídeo licet órdine sit successiónis postérior, prior tamen quam Abraham in Dómini generatióne descríbitur, quia plus est promíssum accepísse de Christo, quam de Ecclésia, quóniam Ecclésia ipsa per Christum. Ergo unus princeps géneris secúndum carnem, alter princeps géneris secúndum spíritum: alter secúndum séminis grátiam, alter secúndum populórum fidem; pótior enim qui salvat eo qui salvátur. Et ídeo David fílius dícitur: Liber generatiónis Jesu Christi fílii David. Ejus enim primo loco débuit fílius dici, cui dari fílius est promíssus, licet Apóstolus étiam Abrahæ Christum dicat esse promíssum. Abrahæ enim dictæ sunt promissiónes, et sémini ejus. Non dicit: Et semínibus, tamquam in multis, sed sicut in uno: Et sémini tuo, qui est Christus, ut álteri propríetas generatiónis, principátus álteri deferátur.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim, allelúia. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et in cápite.

LECTIO VIII.

Illi delátum est, ut Jesus ejus fílius dicerétur: huic quasi príncipi, famíliæ Gentiúmque prærogatíva servátur, ut ab Abraham generatiónis Domínicæ manáret exórdium. Qui enim fídei auctor est, ipsum assérere Scriptúra quoque débuit divínæ generatiónis auctórem. Unde et Lucas ad Deum putávit oríginem ejus esse referéndam, quod verus Christi generátor Deus sit, vel secúndum veram generatiónem pater, vel secúndum lavácri regeneratiónem mystici múneris auctor. Et ídeo non a primo generatiónem ejus cœpit descríbere; sed, posteáquam baptísmum ejus explícuit, auctórem ómnium Deum per baptísmum cúpiens demonstráre, Christum quoque a Deo órdine manásse successiónis asséruit, univérsa contéxens, ut et secúndum natúram, et secúncúndum grátiam, et secúndum carnem Dei Fílium demonstráret.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros, allelúia. ℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia. Glória Patri. Quia.

IX. Lectio de Sancto simplici, si occurrat; alias:

LECTIO IX.

Quod vero per Salomónem Matthæus generatiónem derivándam putávit, Lucas vero per Nathan, alter regá-

lem, alter sacerdotálem Christi famíliam vidétur osténdere. Quod non ita accípere debémus, quod álterum áltero vérius, sed alter álteri pari fide et veritáte concórdet. Fuit enim vere et secúndum carnem regális et sacerdotális famíliæ : rex ex régibus, sacérdos ex sacerdótibus, licet orâculum non de carnálibus, sed de cœléstibus exprimátur, quóniam et rex in Dei virtúte lætátur, cui judícium a Patre rege deféríur, et sacérdos est in ætérnum, secúndum quod scriptum est : Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Bene ígitur utérque ténuit fidem, ut Matthæus per reges ductam orígînem comprobáret, et Lucas per sacerdótes a Deo transmíssam in Christum sériem géneris deducéndo, sanctiórem ipsam oríginem declaráret.

Te Deum laudámus. *p.* 16.

MENSIBUS MAIO ET JUNIO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysostómi.

Ex Homilia 2. in Matthæum, post initium.

Auditu quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fíeri ex mulíere dignátus est, et habére progenitóres David et Abraham, et quid dico, David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, fœminas, quas paulo ante memorávi. Hæc ígitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te fílium fáceret Dei: servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo Patrem fáceret ipsum Deum.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim, allelúia. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et in cápite.

LECTIO VIII.

Vides ab ipso statim princípio, quam læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuum spectant honórem, ab iis quæ illíus sunt, étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est difficílius Deum hóminem fíeri, quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris quia Fílius Dei fílius sit et

David et Abrahæ, dubitáre jam désine quod et tu, qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nasceréris spíritu : natus est ex mulíere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros, allelúia. ℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia. Glória Patri. Quia.

IX. Lect. de Sancto simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

Propterea duplex facta generátio est ; hæc scílicet nostræ símilis, illa nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fœmina est, et nobis cómpetit : quod vero non ex sánguine, neque ex voluntáte carnis, aut viri, sed ex Spíritu sancto, áliam nobis jublimiórem, futurámque, et spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábunt. Nam et baptísma profécto tale suscépit, quod habéret quidem áliquid véteris, habéret et novi. Quod enim baptizátus est a Prophéta, expréssit vetus : quod autem descéndit Spíritus adumbrávit novum.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Sicut lílium * inter spinas, sic amíca mea inter fílias, allelúia.

Psalmi de Dom., p. 17.

Ant. Diléctus meus * mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília, allelúia.

Ant. Tota pulchra es, * amíca mea, et mácula non est in te, allelúia.

Ant. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram, allelúia.

Ant. Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, allelúia.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymn. O gloriósa. *In Festis B. M. V. ad Laud.*, p. clxxxij.

℟. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis, allelúia. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias, allúia.

Ad Bened. Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

ORATIO.

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem di-

gnum Fílio tuo habitáculum præparásti : ejus nobis intercessióne concéde; ut cor et corpus nostrum immaculátum Tibi, qui eam ab omni labe præservásti, fidéliter custodiámus. Per eúmdem Dóminum.

Commem. de Cruce, p. 144.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Diléctus meus.

Capit. Dóminus.

℟. *br.* Deus præcínxit me virtúte, * Allelúia, allelúia. Deus. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Deus.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me, allelúia. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me, allelúia.

AD SEXTAM.

Ant. Tota pulchra es.

CAPITULUM. *Ezech.* 14.

PORTA hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam, erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. *br.* In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * Allelúia, allelúia. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Allelúia, allelúia. Glória Patri. In hoc.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam, allelúia. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, allelúia.

AD NONAM.

Ant. Tu glória.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

BEATUS homo qui audit me et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

℟. *br.* Elégit eam Deus, et præelégit eam, * Allelúia, allelúia. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

In Vesperis a Cap. de Sab. fit Comm. de Immac. Conceptione, ut sequitur :

Ant. Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam, allelúia.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis, allelúia. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat ecclésias, allelúia.

Oratio Deus, qui, *ut supra.*

OFFICIA PROPRIA
SUPPLEMENTI ANICIENSIS

PARS VERNA.

FESTA DOMINI.

FESTA B. M. V.

FESTA SANCTORUM.

OFFICIA VOTIVA.

INDEX GENERALIS

AD USUM TUM BREVIARII TUM SUPPL. ANICIENSIS

PRÆVIA.

PRÆVIA SUPPLEMENTI.

PSALMI.

HYMNI.

CANTICA.

FESTA DOMINI.

B. MARIÆ.

SANCTORUM.

OFFICIA VOTIVA.

BENEDICTIONES VARIÆ.

AD CALCEM.

OFFICIA PROPRIA
DIOECESIS ANICIENSIS
A SS. D. N. PIO PAPA IX

APPROBATA ET CONCESSA

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. JOSEPHI AUGUSTI VICTORINI DE MORLHON

EPISCOPI ANICIENSIS

EDITA.

PARS ÆSTIVA.



PARISIIS

ADRIANUS LE CLERE ET SOC.,

SS. D. N. PAPÆ ET ARCHIEPISCOPATUS TYPOGRAPHI,

VIA DICTA CASSETTE, 29.

1858

Adriano LE CLERE cum Sociis, SS. Domini Papæ, apud Parisienses, typographo *Proprium diœcesis Aniciencis*, quale fuit nuper a Sancta Sede approbatum, typis mandandum commisimus, Editionemque, PRO PARTE ÆSTIVA, diligenti examine perlectam cum Textu authentico ad unguem concordare perspeximus, ideoque approbamus et in publicum prodire jubemus.

Datum Anicii, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, nec non Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo, die vero mensis Aprilis vigesima quarta.

† AUGUSTUS, *Episc. Aniciensis.*
De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi
DD. Episcopi.
Alirol, *Can. Secr.*

MONITUM.

Si alicubi remissum fuit ad paginam Breviarii, quod omnino cavimus extra necessitatem, pertinere debuit indicatio ad editionem paris formæ et ex iisdem typis ac Supplementum (1). Si alia editione uteris, scalpello indices paginam ejus propriam.

In his autem Propriis habes quæcumque concessa sunt a Sancta Sede Ecclesiæ Aniciensi, quo facilius ex unico Supplemento recitentur, et quibuscumque Breviarii editionibus possint accommodari.

(1) In hac forma in-12, referuntur numeri ad Edit. Parisien. MDCCCLVI ex officina Adriani Le Clere.

CONCORDANTIA

SUPPLEMENTI ANICIENSIS

CUM

KALENDARIO ROMANO.

PARS ÆSTIVA.

¶ *Propria Supplementi Aniciensis distinguuntur caractere Italico et Asterisco.*

MAIUS.

11 * *S. Mayoli, Abb., dupl.*
12 SS. Nerei, Achillei, Domitillæ, Virg., et Pancratii, Mart., *semid.*
13 * *S. Isidori, Agricolæ, Conf. dupl. (e 10 hujus).*
14 S. Bonifacii, Mart.
15
16 *S. Joannis Nepomuceni, Presb. Mart., dupl.*
17 S. Paschalis Baylon, Conf., *dupl.* * (*Brivate, Comm. Translationis Reliquiarum S. Juliani, Mart.*)
18 S. Venantii, Mart., *dupl.*
19 S. Petri Cœlestini, Papæ et Conf., *dupl.* Com. S. Pudentianæ, Virg.
20 S. Bernardini Senensis, Conf., *semid.*
21 S. Ubaldi, Ep. et Conf., *semid.* (*e die 16 hujus*).
22
23
24 * *FESTUM B. M. V. SUB TITULO AUXILUM CHRISTIANORUM, dupl. maj.*
25 S. Gregorii VII, Papæ et Conf., *dupl. Comm.* S. Urbani, Papæ et Mart.
26 S. Philippi Nerii, Conf., *dupl. Comm.* S. Eleutherii, Papæ et Mart.
27 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virg., *semid. Comm.* S. Joannis, Papæ et Mart.
28
29
30 S. Felicis, Papæ et Mart.
31 S. Petronillæ, Virg.

Feria VI. post Oct. CORPORIS CHRISTI, *FESTUM SS. CORDIS D. N. J. C., dupl.* * *2 clas.* cujus solemnitas exterior fiet Dominica sequenti, nisi impediatur.

JUNIUS.

1
2 SS. Marcellini, Petri et Erasmi, Mart.
3
4 S. Francisci Caracciolo, Conf., *dupl.*
5
6 S. Norberti, Ep. et Conf., *dupl.*
7 * *S. Marcellini, Ep. et Conf.*, *dupl.*
8
9 SS. Primi et Feliciani, Mart.
10 S. Margaritæ, Reginæ Scotiæ, *semid.*
11 S. Barnabæ, Apost., *dupl. maj.*
12 S. Joannis a S. Facundo, Conf. *dupl. Comm.* SS. Basilidis, etc. Mart.
13 S. Antonii de Padua, Conf., *dupl.*
14 S. Basilii, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
15 SS. Viti, Modesti atque Crescentiæ, Mart.
16 * *S. FRANCISCI REGIS, PRESB. ET CONF.*, *dupl. maj.*
17
18 SS. Marci et Marcelliani, Mart.
19 S. Julianæ de Falconeriis, Virg., *dupl. Comm.* SS. Gervasii et Protasii, Mart.
20 S. Sylverii, Papæ et Mart.
21 S. Aloysii Gonzagæ, Conf., *dupl.*
22 S. Paulini, Ep. et Conf.
23 VIGILIA.
24 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *dupl. 1 clas.*
25 S. Gulielmi, Abb., *dupl. Comm.* Octav.
26 SS. Joannis et Pauli, Mart. *Comm.* Oct.
27 De Octava.
28 S. Leonis II, Papæ et Conf., *semid. Comm.* Oct. et Vigil.
29 SS. PETRI ET PAULI, APOST., *dupl. 1 clas.* * *Comm. omnium SS. Apost.*
30 *Comm.* S. Pauli Apost., *dupl. Comm.* S. Petri et Oct. S. Joannis ac * *S. Ostiani presb. et Conf.*

JULIUS.

1 Octava S. Joannis Baptistæ, *dupl. Comm.* Oct. SS. Apost.
2 VISITATIO B. M. V., *dupl. 2 clas. Comm.* SS. Processi, etc., Mart.
3 * *S. Irenei, Ep. et Mart.*, *dupl.* (*e die 28 Junii.*) *Comm.* Oct.
4 * *S. Martialis, Lemovicensium Apostoli*, *dupl.* (*e 30 Junii*). *Comm.* Oct.
5 * *Comm. SS. sanctæ Rom. Eccl. Summorum Pontificum*, *dupl. Comm.* Oct.
6 Octava SS. Petri et Pauli, *dupl.*
7
8 S. Elisabeth, Reginæ Port., *semid.*
9 * *FESTUM PRODIGIORUM B. M. V.*, *dupl. maj.*
10 SS. Septem Fratrum, Mart., ac SS. Rufinæ et Secundæ, Virg. e Mart., *semid.*
11 S. Pii I, Papæ et Mart.

12 S. Joannis Gualberti, Abb., *dupl. Comm.* SS. Naboris et Felicis, Mart.
13 S. Anacleti, Papæ et Mart., *semid.*
14 S. Bonaventuræ, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
15 S. Henrici, Imperat. Conf., *semid.*
16 B. M. V. DE MONTE CARMELO, *dupl. maj.* * *Comm. S. Domnini, Mart.*
17 S. Alexii, Conf., *semid.*
18 S. Camilli de Lellis, Conf., *dupl. Comm.* SS. Symphorosæ et Septem Filiorum, Mart.
19 S. Vincentii a Paulo, Conf., *dupl.*
20 S. Hieronymi Æmiliani, Conf., *dupl. Comm.* S. Margaritæ, Virg. et Mart.
21 S. Praxedis, Virg.
22 S. Mariæ Magdalenæ, *dupl.*
23 S. Apollinaris, Ep. et Mart., *dupl. Comm.* S. Liborii, Ep. et Conf.
24 Vigilia et *Comm.* S. Christinæ, Virg. et Mart.
22 S. JACOBI, APOST., *dupl. 2 clas. Comm.* S. Christophori, Mart.
26 S. ANNÆ, MATRIS B. M. V., *dupl. maj.*
27 S. Pantaleonis, Mart.
28 SS. Nazarii, Celsi et Victoris, Mart., ac Innocentii, Papæ et Conf., *semid.*
29 S. Marthæ, Virg., *semid. Comm.* SS. Felicis, Simplicii, etc. Mart.
30 SS. Abdon et Sennen, Mart.
31 S. Ignatii, Conf., *dupl.*
Dom. I. *Julii.* FESTUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C., *dupl. 2. cl.*

* *Dom. quæ incidit in diem* XI. *vel quæ eam proxime sequitur ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ ANGELICÆ B. M. V. ANICIENSIS ET OMNIUM ECCLESIARUM DIOECESIS, dupl. 1. cl. cum.* Oct.

* *Dominica sequenti, Octava Dedicationis Ecclesiæ B. M. Aniciensis et omnium Ecclesiarum Diœcesis,* dupl.

AUGUSTUS.

1 S. PETRI AD VINCULA, *dupl. maj. Comm.* SS. Machabæorum.
2 S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, Episc. et Conf., *dupl. Comm.* S. Stephani, Papæ et Mart.
3 Inventio S. Stephani, Protomart., *semid.*
4 S. Dominici, Conf., *dupl.*
5 DEDICATIO B. M. V. AD NIVES, *dupl. maj.*
6 TRANSFIGURATIO D. N. J. C. *dupl. maj. Comm.* S. Sixti, Papæ et Mart.
7 S. Cajetani Thien., Conf., *dupl. Comm.* S. Donati, Episc. et Mart.
8 SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi, Mart., *semid.*
9 Vigilia et *Comm.* S. Romani, Mart.
10 S. LAURENTII, MART., *dupl. 2. cl.* cum Oct.
11 * *S. Philumenæ, Virg. et Mart., dupl. Comm.* Oct. ac SS. Tiburtii et Susannæ, Mart.
12 S. Claræ, Virg., *dupl. Comm.* Oct.

13 De Octava, *Comm*. SS. Hippolyti et Cassiani, Mart.
14 De Octava, *Comm*. Vigiliæ. et S. Eusebii, Conf.
15 ASSUMPTIO B. M. V., *dupl*. 1. *cl*. cum Oct.
16 * *S. Rochi, Conf*., *dupl*., *Comm*. Oct.
17 Octava S. Laurentii, *dupl*. *Comm*. Oct. Assumptionis.
18 S. Hyacinthi, Conf., *dupl*. (*e die* 16. *hujus*) ; *Comm*. Oct. et S. Agapiti, Mart.
19 De Octava.
20 S. Bernardi, Abbatis et Doctoris, *dupl*. *Comm*. Oct.
21 S. Joannæ Franciscæ de Chantal, *dupl*. *Comm*. Oct.
22 Octava Assumptionis, *dupl*. *Comm*. SS. Timothei, etc., Mart.
23 S. Philippi Benitii, Conf., *dupl*. *Comm*. Vigiliæ.
24 S. BARTHOLOMÆI, APOST., *dupl*. 2. *cl*.
25 S. Ludovici, Regis Franciæ, Conf., *dupl*.
26 * *SUSCEPTIO S. SPINÆ E CORONA CHRISTI*, *dupl*. *maj*. *Com*. S. Zephyrini, Papæ et Mart.
27 * *S. Cæsarii. Episc. et Conf*., *dupl*.
28 * *S. JULIANI BRIVATENSIS*, *MART*., *dupl*. 2. *cl*. *Com*. S. Hermetis Mart.
29 DECOLLATIO S. JOANNIS BAPTISTÆ, *dupl*. *maj*. *Comm*. S. Sabinæ.
30 S. Rosæ, Virg. Limanæ, *dupl*. *Comm*. SS. Felicis et Adaucti.
31 S. Raymundi Nonnati, Conf., *dupl*.

Dominica infra Oct. Assumptionis. FESTUM S. JOACHIM , CONF., *dupl*. *maj*.

SEPTEMBER.

1 S. Josephi Calasanctii, *dupl*. (*e die* 27. *Aug*.) *Comm*. S. Ægidii, Abb., et SS. Duodecim Fratrum, Mart.
2 S. Stephani, Regis Hungariæ, Conf., *semid*.
3 S. Augustini, Episc., Conf. et Doct., *dupl*. (*e die* 28. *Aug*.

APPENDIX

AD

MARTYROLOGIUM ROMANUM

PRO

ECCLESIA ANICIENSI.

¶ In Martyrologio urbs Aniciensis appellatur PODIUM SANCTÆ MARIÆ, IN GALLIA, quia sicut ex Bulla *Si pastores ovium*, S. Leonis Papæ IX, est ejus vulgare nomen, ita et gloriosissimum.

.MAIUS.

DIE XI. OMNIA UT IN MARTYROL., SED PRÆMISSO ELOGIO S. MAYOLI, ABBATIS.

DIE XIII. Tértio Idus Máii, Luna *N*.
Sancti Isidóri Agrícolæ, de quo ágitur sexto Idus Máii.
OMNIA UT IN MARTYROL., SED PRÆMISSO ELOGIO S. JOANNIS NEPOMUCENI.

DIE XVII. Sexto décimo Kaléndas Június, Luna *N*.
(POST ELOGIUM SANCTI PASCHALIS PROUT HABETUR IN MARTYROLOGIO ROMANO STATIM ADDITUR) : *Brivate, in Diœces, Aniciensi, translatio reliquiarum sancti Juliani, Martyris quœ, cum ab impiis fuissent e suo loco deturbatœ, tandem in eo summa cum lœtitia restitutœ sunt die Ascensionis Domini, anno supra millesimum et octingentesimum quinquagesimo quarto.*

DIE XXI. Duodécimo Kaléndas Június, Luna *N*.
Sancti Ubáldi, Epíscopi, de quo ágitur décimo séptimo Kaléndas Június,

DIE XXIV. Nono Kaléndas Június, Luna *N*.
Romœ, Festum beatœ Mariœ Virginis sub titulo Auxilium Christianorum, quod Pius, Papa, Septimus, in memoriam restitutœ sibi a durissima captivitate libertatis, grata pietate instituit.

JUNIUS.

DIE VII. Séptimo Idus Június, Luna *N*.
Podii, sanctœ Mariœ, in Gallia, sancti Marcellini, Vellavorum Episcopi, qui divinis muneribus ornatus, virginitatis tamen flore meruit prœcipue commendari.
OMNIA UT IN MARTYROL., SED PRÆMISSO ELOGIO S. JOANN. FRANCISCI REGIS.

DIE XXIX. Tértio Kaléndas Júlii, Luna *N*.
Romæ, natális sanctórum Apostolórum (ut in Martyrologio

Romano et postea): *In Gallia, Commemoratio omnium sanctorum Apostolorum.*

DIE XXX. Prídie Kaléndas Június, Luna *N.*
Commemorátio sancti Pauli, Apóstoli. In território Vivariénsi, sancti Ostiáni, Presbyteri et Confessóris.

FER. VI. POST OCT. CORP. CHRISTI. Kal. *N.* Luna *N.*
Festum Sacratíssimi Cordis Jesu.

JULIUS.

DIE III. Quinto Nonas Július, Luna *N.*
Sancti Irenæi, Episcopi et Martyris, de quo agitur quarto Kalendas Julii.

DIE IV. Quarto Nonas Július, Luna *N.*
Sancti Martialis, Episcopi, de quo agitur pridie Kalendas Julii.

DIE V. Tértio Nonas Július, Luna *N.*
Commemoratio omnium sanctorum Summorum Pontificum.

DIE IX. Séptimo Idus Július, Luna *N.*
Festum Prodigiorum beatæ Mariæ Virginis.

DIE XVI. Július, Luna *N.*
Festum beátæ Maríæ Virginis de Monte Carmélo. *Podii, sanctæ Mariæ, in Gallia, Commemoratio sancti Domnini, qui Martyr parvulus, sub præside Rictiovaro necatus, in hanc civitatem asportatus, Angelicam ejus Basilicam novo decore illustravit.*

Dom. I. *Julii*, Kal. *N.* Luna *N.*
Festum solemne pretiosíssimi Sánguinis D. N. J. C.

DOM. QUÆ INCIDIT IN DIEM XI. JULII VEL QUÆ PROXIME SEQUITUR Kal. *N.* Luna *N.*
Podii, sanctæ Mariæ, in Gallia, Anniversarium Dedicationis tum Ecclesiæ in honorem beatissimæ Virginis Deiparæ, in civitate hac ædificatæ, quæ Angelico ministerio consecrata creditur, tum aliarum Diœcesis Ecclesiarum.

DOMINICA SEQUENTI. Kal. *N.* Luna *N.*
Podii, sanctæ Mariæ in Gallia, Octava Dedicationis Ecclesiæ beatæ Mariæ Aniciensis et omnium aliarum Diœcesis Ecclesiarum.

AUGUSTUS.

DIE XI. Tértio Idus Augústi, Luna *N.*
Sanctæ Philumenæ, Virginis et Martyris.

DIE XVIII. Quinto décimo Kaléndas Septémbris, Luna *N.*
Sancti Hyacínthi, Confessóris Ordinis Prædicatórum, de quo ágitur décimo séptimo Kaléndas Septémbris.

DIE XXVI. Séptimo Kaléndas Septémbris, Luna *N.*
Podii, sanctæ Mariæ in Gallia, Solemnitas Susceptionis sanctæ Spinæ e Corona Domini, quam in honorem beatæ Mariæ Virginis Deiparæ Ludovicus Nonus, Rex Francorum piissimus, Ecclesiæ beatæ Mariæ hujusce civitatis dono dedit.

DIE XXVII. Sexto Kaléndas Septémbris, Luna *N*.
Areláte, sancti Cæsárii, Epíscopi, miræ sanctitátis et pietátis viri. Romæ, deposítio, *etc*.

DIE XXVIII. Quinto Kaléndas Septémbris, Luna *N*.
Briváte apud Arvérnos, Pássio sancti Juliáni, Mártyris (*ut in Martyrologio Romano*); Hippóne régio, *ut ibidem*.

SEPTEMBER.

DIE I. Kaléndis Septémbris, Luna *N*.
S. Joseph Calasánctii, de quo ágitur sexto Kaléndas Septémbris.

DIE III. Tértio Nonas Septémbris, Luna *N*.
S. Augustíni, Epíscopi et Ecclésiæ Doctóris, de quo ágitur quinto Kaléndas Septémbris.

¶ In Indulto Apostolico, 10 Sept. 1857, concedere dignatus est Sanctissimus Dominus, ut Festa affixa quibusdam certis Dominicis vel Feriis transferri queant ad primas insequentes dies liberas, quoties juxta decreta designatæ sedes impeditæ occurrerint; modo tamen officia instrumentorum et mysteriorum Dominicæ Passionis a Feria III post Septuagesimam, in Quadragesima quibusdam determinatis Feriis affixa, non transferantur ultra Quadragesimam.

¶ *Matutinum inchoari potest pro die sequenti, juxta Tabulam Romæ editam ad horologium gallicum accommodatam :*

	P. Æ.
4 Aprilis.	3 cum quadrante.
20 Aprilis.	3 cum dimidia.
19 Maii.	3 cum tribus quadrantibus.
6 Junii.	4
30 Julii.	3 cum tribus quadrantibus.
28 Augusti.	3 cum dimidia.
1 Septembris.	3 cum quadrante.

Si qui autem Ecclesiastici viri, in Diœcesi Aniciensi, gravi legitimaque causa impediti fuerint quominus in recitatione Breviarii Romani, horam a Rubricis præscriptam ad amussim expectent, SANCTISSIMUS DOMINUS concedere dignatus est Episcopo Aniciensi quatenus eos dispensare possit, ut Matutinum cum Laudibus ad horam secundam pomeridianam anticipare valeant, his tamen sub conditionibus expresse ET ABSOLUTE REQUISITIS, nempe : 1° Quod dispensatio hæc non concedatur nisi sigillatim postulantibus et justam causam proferentibus; et 2° quod ea obtenta non utantur nisi eadem causa persistente.

Ex Indult. Ap. 10 *Sept.* 1857.

••

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS ANICIENSIS

PARS ÆSTIVA.

FESTA FIXA

CERTIS DIEBUS MENSIS.

MENSE MAIO.

¶ Officia quæ sequuntur usque ad diem XVII Maii pertinent tantum ad PARTEM VERNAM, sed quia, si occurrant intra hebdomadam Pentecostes, transferri debent post Festum SS. Trinitatis, ideo in PARTE ÆSTIVA, iterum collocata sunt.

DIE XI.

SANCTI MAYOLI,

ABBATIS.

Duplex.

E Comm. Conf. non Pont., pridie a Cap. de eo.

ORATIO.

Deus, qui beáto Mayolo, Abbáti in via perfectiónis incédere et álios dedúcere tribuísti : ejus intercessióne gressus nostros dírige secúndum elóquium tuum; ut viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Comm. præced. In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Mayolus, major mériti dignitáte quam géneris, nóbili in Gállia stirpe oriúndus natálium claritátem transcéndit sublimitáte sanctitátis; qui paréntum cura, litteratóriis ártibus tráditur informándus, mira facultáte ánimi ómnia cómbibens cæteris coætáneis et condiscípulis pietáte non minus quam vivacitáte ingénii exémplo habebátur. Pro innáto perpétuæ castitátis amóre, primítias carnis suæ Deo dévovens, seípso mélius

nihil habens, seípsum Deo óbtulit, virgíneam in córpore præparans mansiónem. Horrébat, divínitus informáta voluntáte, voluptátum delícias, et assuétam adolescéntiæ insoléntiam, juvenilísque ætátis in compósitos mores matúra morum canítie castigábat. Sic in pio júvene grátia mater semināria virtútum spargens, suis eum virtútibus imbuébat, suis disciplínis instruébat et móribus præsígnans qualis póstmodum futúrus esset, cujus adolescéntiam tanta compositiónis arte Spíritus sanctus informásset.

LECTIO V.

Saracenis a fínibus provínciæ ebulliéntibus et totam regiónem occupántibus ac vastántibus, Mayolus relíctis fundis qui sibi ex patérna hæreditáte numerosióres obvénerant Matiscónem recéssit, ubi apud Epíscopum in grátiam conciliátus, ordinátus est in cléricum et in canónicum majóri Ecclésiæ promótus. Mox sapiéntiæ zelo et desidério litterárum Lúgdunum addúctus, Matiscónem, magístri honóre et vocábulo insignítus, rédiit; ubi sui opinióne ómnium ánimos óccupans, et juxta nóminis allúsum Epíscopo Matisconénsi major óculus factus, in Archidiáconi personátum invítus et relúctans evéhitur. Misericórdia in páuperes, cui, per mirácula, divína subsérviit cleméntia, Deo accéptus et homínibus, Vesuntionénsi recusáto Archiepiscopátu, in óculis suis minor, et cuncta quæ retro sunt oblivíscens, cœpit árdua sequi, et toto ad ætérna desidério conscéndens, sub Aymárdo, venerábilis vitæ viro, Cluniacénse monastérium est ingréssus. Ubi puritáti cordis et córporis sciéntiam charitátis annéctens, funem qui difficíllime rúmpitur, intéxtor subtilíssimus, triplicávit; et, totus in mónachum tránsiens, totus rédolens mónachum, et mónachi lege vivens, ad summum monásticæ religiónis culmen evásit.

LECTIO VI.

Interea deficiénte pro ætáte Aymárdo, propónitur a venerábili Abbáte succéssor Mayolus, et símili ómnium voluntáte accéptus, quo in múnere ómnium virtútum splendóre claróre visus est. Jugis abstinéntia, crebræ vigíliæ, frequens et pene assídua orátio, lacrymárum medúllis sæpius irrigáta. Erga beatíssimam Dei Genitrícem insígni pietáte afféctus, ejus Angélicam Basílicam Anícii invísit, íbique ómnium órdinum plausu accéptus, votis Deo et sanctíssimæ Vírgini persolútis, plebem imménsam ipsum audiéndi cúpidum verbo divíno refécit. Cluníacum revértens ad montem qui dícitur Gáudii, prope Anícium, visum cœco restítuit. Sanctitátis ejus famam diffudérunt plúrima ab

ipso váriis in locis patráta miracula. Tandem méritis plenus in extréma senectúte Sylviníaci, in diœcési Claromonténsi, fratres consolátus et exhortátus obdormívit in Dómino. Hujus exéquias Hugo rex subsecútus est et túmulum donis exornávit.

In III. Noct. Homil. Grandis fidúcia, *primo loco pro Abbatibus.*

In II. Vesp. Comm. S. Nerei, etc., ut in Breviario.

DIE XIII.

SANCTI ISIDORI, AGRICOLÆ, CONFESSORIS.

Duplex.

(*E die* 10. *in Mart.*)

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Pridie Vesp. de eo. E Comm. Conf. non Pont.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, misericors Deus, beáto Isidóro, Agrícola, Confessóre tuo, intercedénte, supérbe non sápere: sed ejus méritis et exémplis, plácita Tibi semper humilitáte deservíre. Per Dóminum.

Et fit Comm. præced.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Isidorus, agrícola, prope Matrítum, Hispániæ urbem, in qua natus fúerat, mercéde coléndis agris condúctus, brevi magnárum sibi virtútum eo in exercítio ubérrimam ségetem parávit. Admirábilis enim Christi ac Sanctórum imitátor, numquam ad opus mane se conferébat, nisi prius Dei regnum studióse quæreret, Ecclesiásque in ipsíus ac Deíparæ honórem dicátas visitáret. Quare cum illíus moram agri dóminus gráviter ferret, atque ex editióre loco quadam die, ut eum libérius increpáret, agrícolam opperirétur, binos Angelos cándida veste dúplici boum jugo arántes, mediúmque inter illos Isidórum conspéxit. Quo miráculo vulgáto, magno deínceps honóri tam apud herum quam apud cæteros hómines habéri cœpit.

LECTIO V.

Charitate in páuperes ádeo flagrávit, ut mercédem, quam labóribus parábat, egéntibus erogáret. Quin étiam cum aliquándo ad commúne cum réliquis confrátribus prándium plúrimos páuperes adduxísset, nihílque áliud, prándio scílicet finíto, quam pulménti partem sibi reservátam reperísset, illam vir Dei, fide singulári fretus, ita distríbuit, ut admirabíliter aucta iis ómnibus aléndis saturandísque sufficeret. Illud étiam inter cætera mirándum, quod per æstívos calóres ad extinguéndam in agro sitim, aquæ potum hero flagitánte, cum núllibi scatéret, Isidórus stímulo, quem

gerébat, humo percússa, úberem ex ea et perénnem ad hæc usque témpora fontem elícuit.

LECTIO IV.

Igitur sanctitáte clarus cum ad últimam senectútem pervenísset, obdormívit in Dómino, et in cœmetério sancti Andréæ sepúltus támdiu ibi jácuit, quoad cives de ipsíus córpore honéstius in Ecclésia collocándo divínitus móniti, illud in lóculo íntegrum atque ádeo incorrúptum invenérunt, ut ex eo suavíssimus odor, qui hac étiam tempestáte perdúrat, effláret. Sacrum corpus in Ecclésiam translátum, et in editióre loco situm, máximis Deus miráculis illustrávit. Quorum beneficéntiam non semel tam ipsa Matríti cívitas, quam étiam cætera Hispániæ loca, ope ipsíus imploráta, persensérunt. Quem postrémo, post annos fere quadringéntos, fama sanctitátis ac miráculis illústrem Gregórius Décimus Quintus in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Tract. 80. *in Joannem.*

Iste locus Evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ, nosque membra ejus, mediátor Dei et hóminum homo Christus ejus. Uníus quippe natúræ sunt vitis et pálmites. Propter quod, cum esset Deus, cujus natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cujus et nos hómines pálmites esse possémus.

℟. Iste est, *ut in III. Noct. de Com. Conf. non Pont.*, p. lxxxj.

LECTIO VIII.

Quid ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet, vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem : quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cætera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit : Ego sum vitis vera, ab illa se útique discérnit, cui dícitur : Quómodo convérsa es in amaritúdinem, vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

℣. Sint Lumbi, *in Brev.*, p. lxxxj.

LECTIO IX.

Ego sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait : Pater major me est. Secúndum autem id quod ait : Ego et Pater unum sumus, et ipse agrícola est : nec talis, quales sunt qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium : sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat : sed, qui increméntum dat, Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum : unde ipse et Pater unum sunt : et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Vep. Comm. seq. S. Bonifacii Martyris.

DIE XVI.
S. JOANNIS NEPOMUCENI, MARTYRIS.

Duplex.

E Comm. unius Mart. pro tempore.

ORATIO.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre ac ómnia pótius mala quam ánimæ detriméntum, in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Joannes Nepomúci, Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset, beátæ Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ perículo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne cœléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes pueritiam egit; nam Ecclésiam frequénter adíre, ac Sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zalécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus; Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosóphiæ, theológiæ sacrorúmque Cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter Canónicos Metropolitánæ Ecclésiæ Pragénsis cooptátus, mox sibi

demandátam Evangélii coram rege Wencesláo Quarto prædicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

LECTIO V.

Regis illum eleemósynis in páuperes erogándis præféctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem adscívit. Cum autem Wenceslåus ab offício institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício Sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei Minister blandítiis primum, torméntis deínde, et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Wenceslái ánimum cum ab execrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Boleslåviam proféctus, ad beátæ Vírginis imáginem, antíquo cultu célebrem, cœléste præsídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde véspere reverténtem in pervigílio Domínicæ Ascensiónis rex e fenéstra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam íntérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

LECTIO VI.

Sacrilegum fácinus clam patrátum, et Mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurréntes apparuérunt. Quamóbrem ex aréna postrídie mane corpus elátum, Canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in Metropolitánam Ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti Sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcipue, qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius trecéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta et vívida repérta est: quæ sexto post anno judícibus a Sede Apostólica de-

legátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit. His ítaque aliísque signis rite probátis, Benedíctus Décimus Tértius, Póntifex Máximus, die décima nona mensis Mártii, anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc Sacramentális sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum quod non revelábitur, et occúltum quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii, Epíscopi.

Comment. in Matth. Cap. 10., *post medium.*

Dominus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet, et ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas, quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea super caput ejus : * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

LECTIO VIII.

Itaque id quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine, ut, quæ secréto áurium commissa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingeréndа cognítio est, et profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ reveländum, non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est, sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória. Qui.

LECTIO IX.

Nolite timére eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor, quando pro natúræ suæ atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem qua tenerémur, adjécit: Negatúrum se eum Patri in cœlis, qui se homínibus in terra negásset; eum pòrro qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cœlis confiténdum, qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

Vesp. a Cap. de seq. Comm. præced. et, Brivate tantum, Translationis, etc.

(*Brivate tantum.*) DIE XVII.

IN FESTO

SANCTI PASCHALIS BAYLON,

COMMEMORATIO

TRANSL. RELIQ. S. JULIANI,

MARTYRIS.

In I. Vesperis et Laudibus.

ORATIO.

Omnipotens sempitérne Deus, qui hunc diem nobis honorábilem in beáti Juliáni Mártyris translatióne tribuísti: da Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam; ut cujus membra pro amóre venerátur in terris, ejus intercessióne adjuvétur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

LECTIO IX.

Sancti Juliáni corpus cum projéctum esset inhumátum a carnifícibus decíso cápite, tres senes, Elpídius, Archóntius et Arsénius, in vico Brivaténsi sepeliérunt. Caput Viénnam delátum et in túmulo sancti Ferréoli cónditum, inde médio círciter octávo sæculo, máxima ex parte, Briváti restitútum est cum bráchio sancti Ferréoli illud amplexánte et in theca áurea pósitum. Altera vero pars transláta Parísios in Ecclésiam sancti Juliáni cognómine Páuperis aut Vétuli, ubi, bellis civílibus et tempestátibus supérstes, inter infírmos et ægrotántes in Charitátis hóspitio cólitur. Sepúlchrum autem Brivaténse miráculis illustrátum sacéllo decoravérunt nóbilis quidam Arvérnus ejúsque conjux, et hæc fuére incunábula Ecclésiæ Brivaténsis quæ, regum et imperatórum munéribus aucta, summorúmque Pontíficum privilégiis et grátiis spirituálibus ditáta, inter Galliárum Basílicas insígnis memorabátur. Summo ígitur stúdio sub altári majóre sacræ relíquiæ colebántur donec sæviénte sub finem sæculi décimi octávi Gálliæ perturbatiónis procélla, duo civitátis íncolæ, non sine

manifésto Dei præsídio, a deprædatióne eréptas in domo hospitáli considére, excépto cápite quod raptóres ad magistrátus Parisiénses, propter thecam áuream in qua includebátur, immíserant. Ita servátas et restitútas solémniter in prístinam sedem, nunc Ecclésiam parochiálem, tránstulit Jósephus Augústus Victorínus, Aniciénsis Epíscopus, die Ascensiónis Dómini, décima séptima Máii, anno supra millésimum et octingentésimum quinquagésimo quinto, máximo cleri et fidélium concúrsu piissimáque lætítia.

DIE XXI.

SANCTI UBALDI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Semiduplex.

(*E die* 16 *hujus.*)

Pridie a Cap. de eo, Comm. præced., ut in Brev., p. 359.

DIE XXIV.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

HYMNUS.

Sæpe dum Christi pópulus cruéntis
Hostis inféensi premerétur armis,
Venit adjútrix pia Virgo, cœlo
Lapsa seréno.

Prisca sic Patrum monuménta narrant,
Templa testántur, spóliis opímis
Clara, votívo repetíta cultu
Festa quotánnis.

En novi grates líceat Maríæ
Cántici lætis módulis reférre
Pro novis donis, resonánte plausu
Urbis et orbis.

O dies felix, memoránda fastis,
Qua Petri sedes fídei Magístrum
Triste post lustrum redúcem beáta
Sorte recépit.

Vírgines castæ, pueríque puri,
Géstiens Clerus, populúsque grato
Corde Regínæ celebráre cœli
Múnera certent.

Vírginum Virgo, benedícta Jesu
Mater, hæc auge bona : fac, precámur,
Ut gregem Pastor Pius ad salútis
Páscua ducat.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta, allelúia. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos, allelúia.

Ad Magnif. Ant. Ecce María erat spes nostra, ad quam confúgimus in Auxílium, ut liberáret nos, et venit in adjutórium nobis, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Hymnus Sæpe dum Christi, *ut supra.*

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

Ex Sermone de 12. stellis.

LECTIO IV.

Vehementer quidem nobis dilectíssimi, vir unus et múlier una nocuére : sed, grátias Deo, per unum nihilóminus virum et mulíerem unam ómnia restaurántur, nec sine magno fœnore gratiárum. Et quidem sufficere póterat Christus; siquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat esse hóminem solum. Cóngruum magis ut adésset nostræ reparatióni sexus utérque. Jam ítaque nec ipsa Múlier benedícta in muliéribus vidébitur otiósa : inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad mediatórem Christum : nec alter nobis utílior quam María. Crudélis nímium mediátrix Eva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit : sed fidélis María, quæ salútis antídotum et viris et muliéribus propinávit. Illa enim minístra seductiónis, hæc propitiatiónis ; illa suggéssit prævaricatiónem, hæc ingéssit redemptiónem. Quid ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile : tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius Evangélicæ históriæ séries universam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel levis indignatiónis occúrrerit in María, de cætero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

LECTIO V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis et grátiæ plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent, invéneris, age grátias ei, qui talem mediatrícem benigníssima miseratióne provídit in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est : sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima charitáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi, captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor

véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam. Ipsa prætérita non díscutit mérita, sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam se præbet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Ipsa est quondam a Deo promíssa múlier, serpéntis antíqui caput virtútis pede contritúra, cujus plane calcáneo in multis versútiis insidiátus est, sed sine causa. Sola enim contrívit univérsam hæréticam pravitátem. Contríti sunt insidiántes, conculcáti supplantatóres, confutáti derogatóres, et beátam eam dicunt omnes generatiónes. Jam si Ecclésia Lunæ intelligénda vidétur vocábulo, habes mediatrícem evidénter expréssam : Múlier, inquit, amícta sole, et luna sub pédibus ejus. Amplectámur Maríæ vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim.

Ex publicis Monumentis.

LECTIO VI.

Præsentissimum Deíparæ auxílium ad Religiónis hostes profligándos sæpe pópulus Christiánus mirum in modum expértus est : ex quo factum ut sanctíssimus Póntifex Pius Quintus, post insígnem victóriam, intercedénte beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárum tyránno apud Echínadas Insulas reportátam, in Litaníis Lauretánis eámdem Regínam cœlórum, inter ália præcónia, Auxílium Christianórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románus Póntifex Pius Séptimus, impiórum consíliis et armis ex Apostólica Petri Sede exturbátus, et arcta custódia, præsértim Savónæ, per annos quinque, eóque ámplius fuísset deténtus, viis ómnibus pénitus interclúsis, ne Dei Ecclésiam régere posset, nullo símilis persecutiónis in priscis annálibus exémplo, inopináto et præter ómnium expectatiónem cóntigit, ut ingénti plausu ac véluti univérsi orbis mánibus Pontifício sólio restituerétur. Quod et secúndo áccidit, dum íterum commóto túrbine, ab urbe discédens, Sacro comitánte Cardinálium Collégio, Ligúriam conténdit. Verum præsentíssimo Dei benefício, cessánte procélla, quæ grave minabátur excídium, Romam, plaudéntibus præ novo gáudio pópulis, revérsus est. Antea tamen, quod in votis habúerat, et captivitáte deténtus éxequi nequíverat, áurea coróna insígnem Savónæ Imáginem Deíparæ Vírginis sub título Matris Misericórdiæ solémni ritu propriísque mánibus decorávit. Quam mirábilem rerum vicissitúdinem idem Póntifex Máximus Pius Séptimus totíus evéntus ínti-

me cónscius, cum intercessióne sanctíssimæ Dei Genitrícis, cujus poténtem opem et ipse impénse implóráverat, et ab ómnibus Christi fidélibus implorári curáverat, accéptam mérito reférret, in ejúsdem Vírginis Matris honórem sub appellatióne Auxílii Christianórum solémne festum indíxit, perpétuo celebrándum die mensis Máii vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversário, approbáto étiam Offício próprio, ut tanti benefícii distíncta et perénnis exstet memória, et gratiárum áctio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

In illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

De Homilía sancti Bernárdi, Abbátis.

In Nativitate B. M. V.

Intuere, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cœlésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit. Redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María, ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. VII. Felix. *p.* clvij, *et in fine* quicúmque tuum sanctum implórant Auxílium.

LECTIO VIII.

In ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, solo audítu térritus, ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua; Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudié-

tur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

LECTIO XI.

Filioli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum: felíciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia qua egémus: nimírum sola est grátia qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres? Quærámus grátiam, et per Maríam quærámus, quia quod quærit ínvenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum; nam apud hómines grátia fallax. Quærant álii méritum: nos inveníre grátiam studeámus. Quid enim? Non grátiæ est quod hic sumus? Profécto misericórdiæ Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

AD LAUDES.

HYMNUS.

Te Redemptóris Domeníque nostri
Dícimus Matrem, speciósa Virgo,
Christianórum decus, et levámen
Rebus in arctis.

Sæviant portæ licet inferórum,
Hostis antíquus fremat, et mináces,
Ut Deo sacrum populétur agmen,
Súscitet iras.

Nihil truces possunt fúriæ nocére
Méntibus castis, prece quas vocáta
Annuens Virgo fovet, et supérno
Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Patróna,
Béllici cessat scéleris tumúltus,
Mille sternúntur, fugiúntve turmæ,
Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in Sióne
Turris, arx firmo fabricáta muro,
Cívitas David, clypeis et acri
Mílite tuta.

Virgo sic fortis Dómini, poténti
Déxtera, cœli cumuláta donis,
A piis longe fámulis repéllit
Dæmonis ictus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu:
Te fide mentes resonóque linguæ
Cármine laudent. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

Ad Bened. Ant. Ad te, o sancta Dei Génitrix, clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis, allelúia.

ORATIO.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui ad defensiónem pópuli Christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum Auxílium mirabíliter constituísti : concéde propítius; ut tali præsídio muníti, certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

IN II. VESPERIS.

Hymnus et ℣. *ut in primis.*

Ad Magnif. Ant. Sancta María, succúrre míseris : juva pusillánimes : réfove flébiles : ora pro pópulo : intérveni pro clero : intercéde pro devóto fœmíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque sanctum tuum implórant Auxílium, allelúia.

Oratio Omnípotens., *supra.*

Et fit Comm. S. Gregorii VII, Papæ et Conf. ac S. Urbani, Papæ et Mart. ut in Breviario p. 369.

MENSE JUNIO.

DIE VII.

SANCTI MARCELLINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

E Communi Conf. Pont., pridie a Cap. de eo Comm. præced.

Oratio Da quæsumus., *primo loco,* p. liij.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

MARCELLINUS, Velaunórum antístes, divinórum mandatórum fuit a téneris annis observantíssimus; unde ómnium virtútum et ímprimis exímiæ castitátis laude célebris effféctus est. Ad pastorálem evéctus gradum, cum máximam Vellávíæ partem adhuc éthnicis erróribus implicátam reperísset, hanc ad Christi perdúxit agnitiónem; gregémque ad fidem acquisítum doctrínæ et sanctæ conversatiónis exémplo páscere non déstitit. Quia vero ad ducis exémplum compóni solet família, ecclésia Velaunórum pietáte et sanctitáte emícuit. Demum sanctus pastor divínis munéribus ornátus, miráculis insígnis et plenus diérum, vita functus ad beátas ætérni regni mansiónes conscéndit.

LECTIO V.

SEPULTUS est primum Marcéllinus in antíqua urbe Episcopáli, quæ nunc sancti Pauliáni dícitur. Sed témpore Cároli Calvi Francórum regis, sacra ossa tránstulit Monistró-

lium prope Lígerim Norbértus Epíscopus Podiénsis. Anno autem supra millésimum trecentésimo nono, Bernárdus, ejúsdem sedis Epíscopus, íbidem fundávit collégium trédecim canonicórum qui divínas laudes coram sacro pígnore indesinéntur persólverent.

Lectio VI. *de Communi*, Ad sancti ac beátissimi Patris, *primo loco.*

In III. Noct. Hom. S. Gregorii, Papæ. *In Ev.* Homo péregre, *primo loco*, p. lx.

E. Comm. Confess. Pont.

DIE XVI.

SANCTI JOANNIS FRANCISCI REGIS, CONFESSORIS.

Duplex majus.

E Communi Conf. non Pont. pridie Vesp. de eo. In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum, mirábili charitáte et invícta patiéntia decorásti; concéde propítius ut ejus exémplis instrúcti et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum.

In I. Noct. Lect. Justus si morte, *primo loco*, p. lxxv.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Joannes Francíscus Regis nóbili génere natus, in oppídulo Narbonénsi Gálliæ cuí nomen Fonscoopértus, exímiæ sanctitátis a téneris annis indícia præbuit. In eo jam tum eluxére mira morum innocéntia flagrans oratiónis stúdium, pudor, et modéstia singuláris. Societátem Jesu ingréssus Tolósæ anno ætátis décimo nono, humilitáte, obediéntia, charitáte, ódio sui, cæterísque vitæ religiósæ virtútibus excélluit. Absolútis stúdiis, totum se procurándæ animárum salúti pénitus devóvit. Asperos Vivariénsium montes, et ingéntes Helviórum tractus, glácie, nivibúsque fere perpétuis hórridos, eorúmque colónos inscítia, rusticitáte, barbárie intractábiles suscépit excoléndos, eo succéssu, ut innumerábiles hómines, aut Calviniána lue inféctos, aut pérditis móribus corrúptos, ad Cathólicam fidem, et ad Christiánam pietátem tradúxerit.

LECTIO V.

Campestribus Missiónibus hibérno témpore perfúnctus, æstívo revertebátur Anícium, ibíque in Nosocómiis, et in carcéribus, in privátis ædibus, in cómpitis, ac templis omne hóminum genus, ómnibus ómnia factus sublevábat. Páuperum greges corrogátis úndique subsídiis, præsértim cum sæviret fames, multiplicáto étiam non semel per miráculum fruménto, sustentábat, unde illi Patris páuperum cognómen ín-

ditum fuit. In flagitiósis homínibus, et pérditis præsértim muliérculis e vitiórum cœno educéndis, vix credíbile est quot probra, ludibríaque pertúlerit, erécto semper et álacri vultu impertérritus, licet gládiis júgulo sæpe admótis. álapis ori impáctis, et fústibus córpori. Grassánte peste, infírmos eo morbo laborántes sédulo invísens, ardénti reficiébat charitáte. Erga álios blandus, ac benéficus, in se ipsum sæviébat acérrime, ásperis cilíciis, férreis caténis, cruéntis flagellatiónibus, somnum bréviter in nuda tábula, aut humi carpens, semper abstémius, vilissimóque semper víctitans cibo, et ádeo ténui, ut arcéndæ morti pótius, quam sustentándæ vitæ sufficeret.

LECTIO VI.

Divino amóre sic erat incénsus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre viderétur. Plures noctis horas oratióni dabat, cœléstibus áffluens delíciis, et extra se sæpe raptus. Rem divínam ea ánimi attentióne, eo vultus ardóre faciébat, ut sacrum, quo effervescébat, ignem étiam in adstántes diffúnderet. Miráculis, aliísque donis supernaturálibus mire cláruit. Tandem vocátus ad præmia labórum, in Viennénsis diœcesis pago, cui nomen est Lalovéscus, corréptus letháli morbo ex labóribus contrácto, cum sævíret hiems frigidíssima, cœléstibus recreátus illustratiónibus, ad ætérna gáudia invitátus, spíritum Creatóri réddidit anno millésimo sexcentésimo quadragésimo, die trigésima prima Decémbris, vitæ suæ quadragésimo quarto. Ejus sepúlchrum incredíbili populórum per aspérrimos montes úndique confluéntium concúrsu, ob sanctitátis et miraculórum famam, quæ máxime percrebrescébat, summa devotióne est frequentátum. Quibus ómnibus permótus Clemens Undécimus Póntifex Máximus, Joánnem Franciscum Beatórum, Clemens vero Duodécimus Sanctórum fastis solémni ritu adscrípsit, die décima sexta Június ejúsdem celebrándæ Festivitáti a Benedícto Décimo Quarto assignáta.

In III. Noct. Homília in Evang. Sint lumbi, *de Communi Conf. non Pont., primo loco,* p. lxxxj.

DIE XXIX.

IN FESTO

SS. APOST. PETRI ET PAULI,

COMMEMORATIO

OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

IN I. VESPERIS.

Ant. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti sunt amíci

tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

ORATIO.

Exaudi nos, Deus, salutáris noster, et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis. Qui vivis et regnas.

In Laud. Ant. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

IN II. VESPERIS.

Ant. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in sanctis suis fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, glorificábo eum.

DIE XXX.

In Commemorat. S. Pauli, Apostoli, ad Laudes Comm. S. Petri, Oct. S. Joannis et S. Ostiani.

SANCTI OSTIANI.

LECTIO IX.

Ostianus, quem in território Vivariénsi natum atque educátum fuisse pérhibent, ad sacerdótium evéctus, fidélis minístri partes omnes egrégie adimplévit, præcípue ob humilitátem commendátus qua fugiébat honóres. Vetus fert tradítio ipsum in diœcési Aniciénsi verbum Dei prædicásse, atque eo in loco, qui nunc ejus nómine insignítur, ingénti cum incolárum fructu sacras functiónes obiísse. Multis ad Dei glóriam et animárum salútem pie et præcláre constitútis pacífice migrávit ad Christum. Corpus ejus in Ecclésia sancti Martíni vallis Coüspiénsis jacet et idcírco a Vivariénsibus ad hanc Ecclésiam itur solémniter pro impetránda plúvia témpore siccitátis.

MENSE JULIO.

DIE III.

SANCTI IRENÆI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Duplex.

De Comm. unius Mart. pridie.

ORATIO.

Deus, qui beáto Irenæo, Mártyri tuo atque Pontífici, tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret: da, quæsumus, plebi tuæ in sancta Religióne constántiam; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Commem. Octav. in Vesp. et Laud.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola secúnda beáti Pauli, Apóstoli ad Timótheum.

LECTIO I. *Cap.* 2.

Sollicite cura teípsum probábilem exhibére Deo,

operárium inconfusíbilem, recte tractántem verbum veritátis. Profána autem et vanilóquia devíta : multum enim profíciunt ad impietátem : et sermo eórum ut cancer serpit : ex quibus est Hymenæus et Philétus, qui a veritáte excidérunt, dicéntes resurrectiónem esse jam factam, et subvertérunt quorúmdam fidem. Sed firmum fundaméntum Dei stat, habens signáculum hoc : cognóvit Dóminus qui sunt ejus : et discédat ab iniquitáte, omnis qui nóminat nomen Dómini. In magna autem domo non solum sunt vasa áurea et argéntea, sed et lígnea et fictília : et quædam quidem in honórem, quædam autem in contuméliam. Si quis ergo emundáverit se ab istis, erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. Juvenília autem desidéria fuge, sectáre vero justítiam, fidem, charitátem, et pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem et sine disciplína quæstiónes devíta, sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre : sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos qui resístunt veritáti : nequándo Deus det illis pœniténtiam ad cognoscéndam veritátem, et resipíscant a diáboli láqueis, a quo captívi tenéntur ad ipsíus voluntátem.

LECTIO II. *Cap.* 3.

Hoc autem scíto, quod in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quam Dei; habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta : ex his enim sunt qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis desidériis : semper discéntes, et numquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum autem Jannes et Mambres restitérunt Móysi : ita et hi resístunt veritáti, hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem. Sed ultra non profícient; insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus, sicut et illórum fuit. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et

omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines et seductóres profícient in pejus, errántes, et in errórem mitténtes.

LECTIO III.

Tu vero pérmane in iis quæ didicísti, et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris; et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia: ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus: et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Irenæus, non longe ab urbe Smyrna in Asia Proconsulári natus, jam inde a púero sese Polycárpo, Joánnis Evangelístæ discípulo, eidémque Epíscopo Smyrnæórum, tradíderat in disciplínam. Hoc tam excellénti magístro progréssus in doctrína præceptísque Christiánæ religiónis insígnes fecit. Polycárpo in cœlum Martyrii glória sub láto, etsi erat Irenæus in sacris Lítteris egrégie versátus, quod tamen incredíbili stúdio flagráret discéndi, quæ dogmáta depósiti loco custodiénda cæteri accepíssent, quod Apóstoli instítúerant; horum quam pótuit plures convénit, quæque ab iísdem audívit, mémori mente ténuit, ea deínceps opportúne advérsus hæreses allatúrus, quas cum vidéret ingénti pópuli Christiáni damno látius in dies manáre, diligénter copióseque reféllere cogitárat. In Gállias inde proféctus, a Photíno Epíscopo Présbyter est constitútus Ecclésiæ Lugdunénsis. Quod munus sic laborándo in verbo et doctrína gessit, (ut téstibus sanctis Martyribus, qui, Marco Aurélio imperatóre, strénue pro vera pietáte certárant,) æmulatórem sese præstíterit Testaménti Christi.

LECTIO V.

Cum Mártyres ipsi Clerúsque Lugdunénsis de pace Ecclesiárum Asiæ, quam Montanistárum fáctio turbárat, sollíciti cum primis essent, Irenæum, cujus esse potíssimum habéndam ratiónem prædicá-

bant, unum ómnium máxime delegérunt, quem Romam ad Eleuthérium Pontíficem mítterent rogátum, ut novis sectáriis auctoritáte Sedis Apostólicæ reprobátis, discordiárum causa tollerétur. Jam Photínus Epíscopus et Martyr decésserat : huic Irenæus cum successísset, tam felíciter munus óbiit Episcopátus, ut sapiéntia, oratióne, exemplóque suo non modo brevi cives Lugdunénses omnes, sed multos étiam aliárum Gálliæ úrbium íncolas superstitiónem atque errórem abjecísse, dedísseque Christiánæ milítiæ nómina víderit. Intérea, cum de die celebrándi Páschatis orta esset conténtio, ac Victor, Románus Póntifex Asiános Epíscopos ab collégis réliquis fere ómnibus dissidéntes aut prohibuísset communióne Sacrórum, aut prohibére minátus esset, eum Irenæus sequéster pacis decénter mónuit, exemplísque usus Pontíficum superiórum indúxit, ut ne tot Ecclésias ob ritum, quem a majóribus accepísse se dícerent, avélli ab unitáte Cathólica paterétur.

LECTIO VI.

Multa scripsit, quæ Eusébius Cæsariénsis, et sanctus Hierónymus mémorant, quorúmque pars magna intercídit injúria témporum. Extant ejus advérsus hæreses libri quinque anno círciter centésimo octogésimo perscrípti, dum adhuc Eleuthérius rem christiánam públicam géreret. In tértio libro vir Dei ab iis edóctus, quos auditóres constat fuísse Apostolórum, grave in primis atque præclárum de Romána Ecclésia, deque illíus Episcopórum successióne divínæ traditiónis fidéli, perpétua, certíssima custóde dixit testimónium. Atque ad hanc, dixit, Ecclésiam propter potiórem principalitátem necésse est omnem conveníre Ecclésiam, hoc est, eos qui sunt úndique fidéles. Postrémo una cum áliis prope innumerabílibus, quos ipse ad veram fidem frugémque perdúxerat, Martyrio coronátus migrávit in cœlum, anno salútis ducentésimo secúndo, quo témpore Septímius Sevérus Augústus eos omnes, qui constántes in colénda Christiána Religióne perstáre voluíssent, in summum cruciátum dari atque intérfici imperáverat.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 10.

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Serm. 138. *de Verb. Domini.*

Audivimus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua com-

mendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres, et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum: Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit: Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Nonne omnes pastóres boni?

LECTIO VIII.

Omnes ergo isti pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed charitáte. Quómodo autem habet vel exíguam charitátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli cæteri, et posterióres sancti Epíscopi. Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum.

LECTIO IX.

Quid est ergo, quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem. Et expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum, ex ipso Evangélio comméмorans Charitátem vestram, et dicens: (Audíte quid commendávi:) Ego sum Pastor bonus, dixi: quia omnes cæteri, omnes pastóres boni membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Ergo et pastor pastórum, et pastóres pastóris, et oves cum pastóribus sub pastóre. Mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum comméndat, dicens: Ego sum Pastor bonus. Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit. Qui mecum non cólligit, spargit.

Vesp. a Cap. de seq. cum Comm. præced. et Oct.

DIE IV.

SANCTI MARTIALIS,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

(*E die* 3. *Januarii.*)

In Hymno Iste Conféssor *mutatur tertius versns.*

De Comm. Conf. Pont.

ORATIO.

Deus qui Ecclésiam tuam in Apostólicis disposuísti consístere fundaméntis: præsta, quæsumus, ut qui devóte ad beáti Martiális convenérunt solemnitátem, tuo auxílio muniántur et grátia Spíritus sancti repleántur. Per Dóminum ...in unitáte ejúsdem.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

MARTIALIS, ut antíquæ testántur traditiónes, unus fuit de septuagínta Christi discípulis, ac puer ille qui quinque panes hordeáceos et duos pisces attulísse in desértum in Evangélio memorátur. Ex Oriénte cum sancto Petro Romam venit, et ab eódem in Gálliam missus, duos presbyteros adjutóres hábuit Alpiniánum et Austrieliánum, qui eum ab Oriénte comitáti fúerant. Aquitániam ingréssus, per vária hujus provínciæ óppida jactis religiónis sanctæ fundaméntis tandem Lemovícas advénit.

LECTIO V.

HAC in urbe, ut tráditur, prædicatiónibus ejus crédidit ac proféssa est præ cæteris Christi nomen Valéria Leocádii Senatóris filia, quæ virginitátem Deo vovit, et mox prima ómnium in Aquitánia sánguinem profúdit. Sedáta vero persecutiónis procélla, ita deínceps in illa civitáte, Martiális exémplo virtutibúsque, salútis doctrína convāluit, ut omnis fere pópulus, abjéctis simulacrórum rítibus, ad cultum Dei sese conférret, nec ipse álibi sedem Episcopátus sui collocátam dúceret.

LECTIO VI.

NON tamen ídeo vicínas Pictónum Sanctonúmque regiónes prorsus negléxit: imo omnes pópulos a Rhodáno usque ad Oceánum, a Pyrenæis móntibus usque ad Lígerim, longe latéque dispérsos Evangélii luce perfudísse narrátur; unde mérito Lemovicénsium ac totíus Aquitániæ est nuncupátus Apóstolus, approbánte Sede Apostólica. Ipsum étiam in monte Anício aram in honórem beatíssimæ Vírginis Maríæ dedicásse perantíqua fert tradítio. Demum post multos annos ministério verbi impénsos, felíciter migrávit ad Dóminum. Cónditum est corpus ejus in crypta ubi étiam duo sancti presbyteri, qui ei usque ad mortem adhæsérunt, conjúnctis túmulis sepúlti sunt, cryptam autem miráculis plúrimis suo témpore claruísse refert sanctus Gregórius Turonénsis.

In III. Noct. Hom. in Evang. Desígnávit *e Comm. Evangelistarum,* p. xix.

In Laud. Comm. Oct. Vesp. a Cap. de seq. Comm. præced. et Oct.

DIE V.

COMMEMORATIONIS

SS. SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

SUMMORUM PONTIFICUM.

Duplex.

Ant., Capit. et Hymnus de Laud., Psalmi de Dom., et loco ult., Laudáte Dóminum, omnes Gentes. *p.* 125.

℣. Exáltent eos in Ecclésia plebis. ℟. Et in Cáthedra Seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Ant. Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúia.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum, Príncipem pastórum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

ÆTERNA Christi múnera,
Et glóriam Pontíficum,
Laudes canéntes débitas,
Lætis canámus méntibus
Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.
Devóta Sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas,
Mundi triúmphat príncipem.
In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exúltat in his Fílius,
Cœlum replétur gáudio.
Te nunc, Redémptor, quæsumus,
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ant., Psalmi et ℣℣. *Noct. de Comm. Apost.* p. ij.

Lect. I. Noct. Laudémus viros., *de Comm. plur. Conf. Pont.* p. lxiv., *cum* ℟℟. *de Comm. Apost.* p. v.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

In Festo S. Malachiæ, Episc.

LECTIO IV.

CONGRATULEMUR, fratres, congratulémur, ut dignum est, Pontifícibus nostris, quia et pium est defúnctos plángere, et pium magis congaudére vivéntibus. Numquid non vivunt? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique jam concíves Sanctórum et doméstici Dei psallunt páriter et grátias agunt, dicéntes: Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. Transivérunt plane viríliter, et felíciter pertransivérunt. Transivérunt per ignem et aquam, quos neque trístia frángere, nec detinére móllia potuérunt.

℟℟. *de Comm. Apost.* p. viij.

LECTIO V.

LÆTEMUR quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro fíliis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exultémus, quia cœléstis illa Cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis, quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cœlis frequénter invéxerant, per semetípsos in-

troivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ et Sacerdótes.

LECTIO VI.

Benedictus Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam. Et nunc assúmptis iis in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis nostram non désinunt consolári captivitátem. Exúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta vel terréna matéria prægraváutur, quóminus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhæréntes illi, unus sint cum eo spíritus in ætérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantæ frequentátur memória sanctitátis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 16.

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

De Homilía sancti Leónis, Papæ.

Ex Serm. 2, in Anniversario assumpt. suæ, ante med.

Cum, sicut Evangélica lectióne reserátum est, interrogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus,) créderent, respondissétque beátus Petrus, dicens: Tu es Christus Fílius Dei vivi: Dóminus ait: Beátus es, Simon Barjóna, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. et tibi dabo claves regni cœlórum, et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis, et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. Manet ergo disposítio veritátis, et beátus Petrus in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

℟. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos: stolam glóriæ índuit eos, * Et ad portas paradísi coronávit eos. ℣. Induit eos Dóminus lorícam fídei, et ornávit eos. Et.

LECTIO VIII.

In univérsa namque Ecclésia, tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit: et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit, et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo ínserit cœlo, et portæ ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte muníta est, ut eam neque hærética um-

quam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia.

℟. Isti sunt qui ante Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est : * Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. ℣. Isti sunt qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad cœléstia regna. Ipsi. Glória Patri. Ipsi.

LECTIO IX.

His ítaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodiérna festívitas, ut in persóna humilitátis meæ, ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium Pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dígnitas in indígno hærede non déficit.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Psalmi de Dom. p. 16.

Ant. t. 7. In cœléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Ant. Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

Ant. Spíritus et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

Ant. Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

CAPITULUM. *Hebr. Cap.* 13.

Fratres, Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

HYMNUS.

Rex gloriόse Præsulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia,
Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis in Martyribus,
Parcéndo Confessóribus :
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Vos estis lux mundi : non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

ORATIO.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris : da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ

ut de proféctu sanctárum óvium, fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Commem. Octav.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, Mementóte.

℟. *br.* Lætámini in Dómino, * Et exultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Act. Cap.* 20.

Attendite vobis et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. *br.* Exúltent justi * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

CAPITULUM. *Hebr. Cap.* 13.

Obedite præpósitis vestris, et subjacéte eis; ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris reddition.

℟. *br.* Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II. VESPERIS.

Ant., de Laud., Psalmi de Dom., et loco ult., Psalm. Meménto, *Fer.* V. *ad Vesp. p.* 132.

Ant. Dum essent Summi Pontífices, terréna non metuérunt, sed ad cœléstia regna gloriósi migrárunt.

℣. Elégit eos Dóminus Sacerdótes sibi. ℟. Ad sacrificándum sibi hóstiam laudis.

Oratio ut in Laudibus.

DIE IX.

FESTI PRODIGIORUM.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

TITULO

REGINA PACIS.

Duplex-majus.

Omnia ut in festis Beatæ Mariæ Virginis per annum. p. cxlvij.

Ad Vesp. in Ant. ad Magnif. et in ℟. VII. *dic.:* Tuum sanctum Patrocínium. *Comm. præced. S. Elisabeth.*

In II. Vesperis Com. seq. SS. Septem Fratrum et Soc., Martyrum.

DIE XVI.

IN FESTO

B. M. V. DE MONTE CARMELO.

COMMEMORATIO

SANCTI DOMNINI,

MARTYRIS.

In I. Vesp. et Laud.

ORATIO.

Deus, cujus múnere sanctus Dómninus puer fidem mirábili victória propugnávit: da infirmitáti nostræ ejus intercessióne virtútem, ut fidem

quam voce profitémur, ópere exequámur. Per Dóminum.

LECTIO IX.

Dominus puer, ut vetus fert tradítio, annum agens décimum, coram Rictiováro Galliárum præfécto accusátus quod Christiánus esset, blandítiis primum, deínde comminatiónibus tentátus, cum impertérritus in confessióne nóminis Christi persísteret, váriis ac duríssimis supplíciis exagitátus, tandem cápitis abscissióne martyrii palmam consecútus est. Sacræ ejus relíquiæ e vico Apriliáco, ubi plúrimis clarescébant miráculis, in cœnóbium Nobiliácum translátæ, inde in ecclésiam Beátæ Maríæ Aniciénsis asportátæ sunt, atque fidélium votis tanta devotióne colebántur, ut a Nicoláo, Papa, Quarto, concéssæ fúerint in perpétuum indulgéntiæ his qui in ejus festo die, décimo sexto Júlii, ecclésiam illam adírent. Rémanet autem adhuc in eádem basílica pars eárum non mínima quæ in Gállica sæculi décimi octávi tempestáte impiórum manus felíciter evásit.

Dom. quæ incidit in diem XI. *vel eam proxime sequitur.*

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS

ECCLESIÆ ANGELICÆ B. M. V. ANICIENSIS

ET OMNIUM ECCLES. DIOECESIS.

Dupl. 1. *cl. cum Oct.*

Omnia de Comm. Dedicat. Ecclesiæ, p. cxx. *præter Lect. seq. Fit Comm. Dominicæ occurr. ad Vesp. et Laud., et IX. Lectio de Homil. hujus.*

LECTIO IV.

Quamquam hodiérna die anniversária memória recúrrat Dedicatiónis ómnium Ecclesiárum Diœcésis Aniciénsis, cóngruum tamen est ut quæ cæteras et prærogatíva Cathédræ Episcopális antecéllit et formæ celebritáte, præcípuum quoque honórem obtíneat suas enarrándi glórias. Sanctum Geórgium Velaunórum ecclésiæ fundatórem, apud Ruéssium seu Vétulam urbem quæ nunc a sancto Pauliáno vocátur, sedem Episcopálem fixísse, ibíque plures e successóribus ejus Cathédram tenuísse ex vetéribus et inconcússis monuméntis nóvimus. Inde sanctus Evódius Anícium se cóntulit ad aram, ut ferunt, a sancto Martiáli Lemovicénsium apóstolo, in honórem Vírginis Deíparæ consecrátam; et ibi, ædificáta ecclésia sub invocatióne ejúsdem beatíssimæ Vír-

ginis, deínceps sedit, primus Aniciénsis Epíscopus; et hæc fuérunt ecclésiæ beátæ Maríæ Aniciénsis primórdia quæ étiam ANGÉLICA dícitur, eo quod Deus, ut fert antiquíssima tradítio, vóluit illam Angelórum ministério dedicári. Cæterum hujus antiquitátem apertíssime probat inter multa ália mirábilis ac insuéta augustíssima templi structúra, quæ, extra planum montis prodúcta, vidétur erécta in præcípiti, dum, convéxo cápite multíplici, in cœlum attóllitur, cuíque suum lápidem divérsæ ætátes æmula pietáte apposuérunt.

LECTIO V.

Loci étiam religiónem insígnem facit continuátum per tot sæcula múltiplex Dei genitrícis præsídium. Cívium enim et advenárum complúres devotíssimam hanc ædem ingréssos, váriis depúlsa morbis domos suas repetiísse incólumes; álios ália postulántes cumuláte exaudítos recessísse, innúmera testántur monuménta. Hanc venerabúndi plures adiérunt summi Pontífices, Imperatóres, Reges, príncipes, innumeríque álii vel dignitáte vel sanctitáte conspícui. Illam grátiis insígnibus, inclytísque prærogatívis, Románа sedes ditávit, quas inter éminet celebérrimus et antiquíssimus Jubilæus, recens a Gregório, Papa, Décimo Sexto, confirmátus, lucrandúsque quóties festum Annuntiatiónis íncidit in Fériam sextam Parascéves, quo recurrénte, stupénda peregrinántium multitúdo ad Maríæ sanctuárium áffluit. Quod enim de prístinis tempóribus audítum est, hoc in recentióribus tempóribus iterátum, ita ut majéstas et relígio inclytíssimæ Basílicæ lapsu annórum non minuátur, sed longe latéque célebris persevéret. Hinc Paschális, Papa, Secúndus, Aniciénses Epíscopos uni sedi Apostólicæ vóluit immediáte súbjici. Hinc eos Leo, Papa, Nonus, PALLII honóre insignívit. Hinc quátuor Ecclésiæ cathedráles hebdomadários Clemens, Papa, Quartus, ab omni excommunicatióne declarávit immúnes, ne, inquit, in tanta ecclésia cessátio fíeret a divínis.

LECTIO VI.

Non mirum ígitur si quidam Aniciénsis Epíscopus ad sedem ditiórem vocátus: Conjúgem, inquit, hábeo minóribus quidem dotátam redditibus, sed beatíssimæ Vírginis favóribus præclaríssimam, et ídeo apud me nulli secúndam. Anícii sumpsérunt oríginem, ut créditur, tum usus ter salutándi cum Angelo Vírginem Deíparam véspere, mane et merídie; tum pia illa Antiphóna quæ ídeo de Pódio dícitur, SALVE, REGINA; tum et ipsa Rosárii devótio, quæ, inspiránte in sua Basílica beáta María Aniciénsi, a sancto Do-

minico fuit institúta; ædes autem illa augustíssima quæ plúrimum passa erat injúriæ témporum, recens sub præsule Petro María Josépho fuit in intégrum fere reædificáta et in prístinam formam, quantum lícuit, restitúta, successíve tamen ita ut Angélica consecratióne non defraudarétur; et exínde nova fidélium religiónis accépit testimónia, ut præsértim recens visum est, anno supra millésimum et octingentésimum quinquagésimo sexto, cum nómine et jussu Pii, Papæ, Noni, solémniter coronáta fuit imágo beátæ Maríæ Aniciénsis a Josépho Augustíno Victoríno de Morlhon, Epíscopo, plúribus áliis Epíscopis cum numerosíssimo clero adstántibus maximóque populórum concúrsu et incredíbili ómnium lætítia.

Diebus infra Oct. sumitur e Communi. Fit de ea, nisi impediatur Festo IX. Lectionum, quo occurrente fit tantum ejus Commemoratio, extra tamen Festum Dupl. 2. cl. et supra. Comm. autem hæc sumitur de Communi.

DOMINICA SEQUENTI.

OCTAVA DEDICATIONIS.

Duplex.

Ut in Communi in die Oct.

MENSE AUGUSTO.

DIE XI.

S. PHILUMENÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Duplex.

De Comm. p. xc.

Pridie Comm. ejus et SS. Tiburtii... p. 552.

Oratio Deus, qui inter cætera. p. cxviij.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Inter cætera Mártyrum sepúlchra, quæ in Cœmetério Priscíllæ ad viam Saláriam reperíri solent, illud éxtitit, quo repósitum fúerat sanctæ Philuménæ corpus, uti ex túmuli inscriptióne tribus latérculis appósita perlegebátur. Licet vero invénta ibídem fúerit phíala sánguinis, et ália inscúlpta conspiceréntur martyrii insígnia, doléndum tamen est, res ab eádem gestas, áctaque ac genus martyrii, quod ipsa fecit, obscúra perstitísse. Cæterum ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficéntia Pii Séptimi inítio Pontificátus ejus accéptum, cúltui fidélis pópuli propósitum fuit Mugnani in Nolána Diœcési, ingens íllico famæ celébritas ac relígio erga sanctam Mártyrem percrébuit, præsértim ob signa quæ ejúsdem præsí-

dio accessísse úndique ferebátur. Hinc factum est ut complúrium Antístitum, cultorúmque Mártyris postulatiónibus permótus Gregórius Décimus Sextus, Póntifex Máximus, univérsa rei ratióne matúre perpénsa, festum ejúsdem cum Offício et Missa in memoráta Nolána Diœcési et álibi agéndum benígne permíserit.

Lect. V. *et* VI. Sermo sancti Ambrósii, Epíscopi. Quóniam hódie natális., *quæ sunt* IV. *et* V. *de Comm. Virginum, primo loco.* p. xcix.

In III. Noct. Homilia in Evang. Símile erit, *de Comm., primo loco.* p. cj.

Lect. IX. *de SS. Mart. Tiburtio et Susanna, ut in Brev.*

Ad Laudes Commem. Oct. S. Laurentii ac SS. Tiburtii et Susannæ.

DIE XVI.

SANCTI ROCHI,

CONFESSORIS.

Duplex.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

E Comm. Conf. non Pont., pridie ad Vesp. Comm. de eo.

ORATIO.

Populum tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Rochus, in monte Pessuláno natus, quanta in próximum charitáte flagráret, tum máxime osténdit, cum suavíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida péragrans, seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium, quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum est. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quæ in Constantiénsi deínde Concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus miríﬁce propagátus est in univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus Octávus, Póntifex Máximus ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent Ecclésiæ san-

cti Rochi nómine Deo dicátæ, Offício Ecclesiástico celebrarétur, indúlsit.

Ex Tractátu sancti Augustíni, Epíscopi, in Epístolam Joánnis.

Ex Tract. 5. *in cap.* 3.

LECTIO V.

Perfecta ista cháritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit, mórtuus pro ómnibus, orans pro eis a quíbus crucifigebátur, et dicens : Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cháritas. Sed numquid mox ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur, náscitur; cum fúerit nata:, nutrítur; cum fúerit nutríta, corroborátur; cum fúerit roboráta, perfícitur; cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum. Optábam dissólvi, et esse cum Christo : multo enim magis óptimum : manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

LECTIO VI. *Ex Tract.* 6.

Hæc est perféctio charitátis : major omníno non potest inveníri : sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperáre non debet in quo perfécta non est, si jam nata est quæ perficiátur; et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem próbriam perducénda. Quæsívimus inchoatiónem charitátis unde incípiat, et ibi contínuo invenímus : Si quis habet facultátes mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hinc íncipit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti, in angústiis alíquibus constitúto; ex eo quod sibi abúndat secúndum tempus, a tribulatióne temporáli líberet fratrem. Hinc exórdium est charitátis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei et spe futúræ vitæ nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

In III. Noct. Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri in Evang. Nolíte tímere, *de Comm., secundo loco,* p. lxxxvj.

In Laud. fit Comm. Octavæ Assumptionis, ut p. 567.

Deinde Oct. S. Laurentii, ut p. 552.

Vesp. a Capit. de die Oct. S. Laurentii. cum Comm. præced. et Oct. Assumpt.

DIE XVIII. SANCTI HYACINTHI.

Duplex.

(E die 16. hujus.)

Ut in Breviario, p. 572.

DIE XXVI.
SUSCEPTIONIS S. SPINÆ E CORONA CHRISTI DOMINI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Ant. Sicut lílium inter spinas, sic caput Christi est inter illas.

Psalm. Dixit Dóminus, *in Dom. ad Vesp.*, p. 121, *cum reliquis. Loco ult. Ps.* Laudate Dóminum omnes Gentes, *in Fer.* II. *ad Vesp.*, p. 125.

Ant. Spinas et tríbulos synagóga germinábit tibi, Christe.

Ant. Ecce totum replevérunt úrticæ et aperuérunt fáciem ejus Spinæ.

Ant. Plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus et arúndinem in déxtera ejus.

Ant. Exívit Jesus portans spíneam Corónam, et purpúreum vestiméntum.

CAPITULUM.

Egredimini et vidéte, filiæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua, in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis sui.

HYMNUS.

Pange, lingua, gloriósi
Serta Christi spínea,
Quæ caput cœlis treméndum,
Hórrido ligámine
Vínciunt, pungúntque multo
Diffluénte sánguine.

Clárius regum córona
Fiet hoc amículum,
Margáritæ, vel berylli
Igne quamvis fúlgeant,
Chrysoprásus, aut smarágdus
Sunt minóris lúminis.

Galliárum gemma Regum,
Sanctítas, splendor, decus,
Ludóvicus hanc ad ædem
Obtúlit Deíparæ
Istíus spinam Corónæ
Regio pro múnere.

Spina dulcis et suávis
Omnium lectíssima;
Nulla talem sylva profert
Fronde, flore, gérmine :
Dulce lignum, virga dulcis
Spina dulcis úndique.

Summa laus Patri suprémo,
Summa laus et Fílio,
Flámini laus summa sancto,
Summa trino Númini,
Quæ fuit, nunc est, erítque
In futúra sæcula.
Amen.

℣. Christo spinis coronáto benedicámus omnes. ℟. Toto corde et ore exultábimus illi.

Ad Magnif. Ant. Circumdedérunt me sicut apes et exarsérunt sicut ignis in spinis, et in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

ORATIO.

Deus, qui in hodiérna die venerándæ spinæ ex Coróna Fílii tui decérptæ solemnitáte lætíficas; præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis præmia in cœlo mereámur. Per eúmdem.

Com. S. Ludovici et S. Zephyr. ut in Brev., p. 397.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem regum Christum spinis redímitum, veníte adorémus.

HYMNUS.

Christe languéntum reparátor, audi
Vota, quæ supplex tibi fundit omnis
Hic chorus : præstet veneránda dulces
Spina médelas.

Illa divíni reserávit olim
Vérticis fontes flúvio cruéntos,
Sacra dum flexu nímium rigénti
Témpora cingit.

O vices rerum! bene versa forma!
Odimus quamvis tamen hanc amámus;
Odimus vulnus, róseos amámus
Fontis honóres.

Urget afféctus nova postuláre,
Ut lavet mentes cruor inquinátas
Spina, mox lætas tibi sempitérno
Fœdere jungat.

Súpplices audi, génitor supréme,
Tuque gignénti sóboles coæva;
Spíritus manans ab utróque trinus
Et Deus unus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Nóbile lignum cólitur, spina Corónæ Christi a Ludovíco missa.

Ps. Beátus vir, *in I. Noct. Dom.*, p. 3.

Ant. Sanctá Christi Coróna extóllitur a cunctis régibus, Ecclésia venerátur supplex multis précibus.

Ps. Quare fremuérunt, *ibid.*, p. 3.

Ant. O spina venerábilis, quibus te ófferam præcóniis, quæ cápiti Christi inhæsísti!

Ps. Dómine, quid multiplicáti, *ibid.*, p. 4.

℣. Christo spinis coronáto benedicámus omnes. ℟. Toto corde et ore exultábimus illi.

De Isaía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 53.

Quis crédidit audítui nostro, et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo et sicut radix de terra sitiénti : non est spécies ei, neque decor : et vídimus eum et non erat aspéctus, et desiderávimus eum : despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem; et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum, vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit : et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Gloriósum diem venerátur Aniciénsis Ecclésia, * in quo Redemptóris nostri gloriósa honorátur spina. ℣. Quam sanctus Ludovícus Francórum rex misit. In quo.

LECTIO II.

OBLATUS est quia ipse vóluit et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet et non apériet os suum: de angústia et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabo ímpios pro sepultúra et dívitem pro morte sua, eo quod iniquitátem non fécerit neque dolus fúerit in ore ejus.

℟. Tu spina dulcis, et nóbilis tactu Christi cápitis. * Nulla sylva talem profert, fronde, flore, gérmine. ℣. Super ómnia ligna sylvárum es spina nobílior. Nulla.

LECTIO III.

DOMINUS vóluit contérere eum in infirmitáte; si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur, pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur. In sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos, et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. III. Hæc est spina corónæ Christi digníssima, in Christi cápite quondam collocáta, * Dum própria morte mortem ómnium superávit. ℣. Spina præcellénti decóre fúlgida, quam de Constantinópoli misit imperátor cum ipsa Coróna. Dum própria. Glória Patri. Dum própria.

IN II. NOCTURNO.

Ant. O spíneæ Corónæ lignum admirábile, in cœlésti cúria fac nos captáre triúmphum.

Ps. Cum invocárem, *in Dom. ad Compl.*, p. 144.

Ant. Funéstæ mortis damnátur supplícium dum Christus spinis coronátus destrúxit víncula críminum.

Ps. In Dómino confído. *In Dom. I. Noct.*, p. 7.

Ant. Christus exaltátus cum nóbile spíneæ Corónæ ligámen a Christiánis adorátur.

Ps. Dómine, in virtúte tua. *In Dom. III. Noct.* p. 14.

℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi: ℟. Quia spinis coronátus redemísti mundum.

LECTIO IV.

LUDOVICUS Nonus, rex Gálliæ sanctíssimus, erga Dómini nostri passiónem et síngula ejus instruménta mira devotióne afficiebátur, ita ut líberos prohibéret ne, féria sexta

qua Salvátor spinis coronátus est, serta gestárent, ex flóribus aut delíciis vacárent; et ipse féria sexta cujúslibet hebdómadæ peccáta sacerdóti, profúsis lácrymis, confiterétur, seque férreo flagéllo verberáret. Ideo étiam anno supra millésimum ducentésimo octávo, sexta post Pentecósten féria, peregrinatiónem in loca sacra, prævio crucis vexíllo, aggréssus est.

℟. Nos autem gloriári opórtet in passióne Dómini nostri Jesu Christi. * In quo est salus, vita et resurréctio nostra. ℣. Tuam spíneam Corónam, Dómine, adorámus et recólimus. In quo.

LECTIO V.

Tanta fuit piíssimi regis erga crucis signum reveréntia, ut, si humi impréssum invenísset, calcáre non esset ausus. Imo nóluit ut in monastériis paviméntum signo hoc venerábili notarétur. Insígnem ligni sanctæ crucis partem et corónam spíneam quæ cápiti Salvatóris impréssa est, ab imperatóre Balduíno impetrávit; quæ dum Lutétiam Parisiórum afferréntur et ad urbem accéderent, ipse rex, nudis pédibus, una cum cleri et pópuli devóta processióne óbviam venit, et impósita húmeris sacras relíquias ad beatíssimæ Vírginis templum solémniter portávit. Hac autem ipsa die memor Aniciénsis Ecclésiæ quam diligébat et non semel invíserat, misit, cum lítteris ad capítulum diréctis, spinam e sacra Coróna decérptam per manus Bernárdi Aniciénsis Epíscopi.

℟. Celebrémus istum diem, quo veneránda Christi spina. *Locupletáta est nostra Ecclésia. ℣. Salve, Spina; salve, Coróna, unde illa est excérpta. Locupletáta est.

LECTIO VI.

Sic autem se habébant de pretiosíssimo múnere lítteræ regis devotíssimi: Ludovícus, Dei grátia Fránciæ rex, diléctis suis decáno et capítulo Aniciénsi, salútem et dilectiónem. Præséntium tenóre vobis significámus quod die qua suscépimus sacrosánctam Corónam spíneam, quæ reverendo cápiti Jesu Christi Dómini nostri fuit impósita témpore passiónis, de Constantinópoli nobis allátam, Nos diléctο et fidéli nostro Bernárdo Epíscopo vestro, de eádem Coróna sanctam concéssimus Spinam unam, ob reveréntiam beátæ Vírginis et honórem vestræ Ecclésiæ, conferéndam. Actum Senóne, anno Dómini millésimo ducentésimo trigésimo nono, mense Augústo. Hoc autem sanctum depósitum in lugénda, quæ sub finem sæculi décimi octávi Gállias agitávit, tempestáte, de suo loco deturbátum, tandem in urbem sancti Stéphani allátum est

ubi pie servátur in Ecclésia parochiáli quæ beatíssimæ Vírginis, sub título Dóminæ nostræ dicáta fuit; quod cum recuperáre non posset Jacóbus Maurítius tunc Aniciénsis Epíscopus dono dedit Ecclésiæ Cathedráli áliam sacram Spinam quæ síngulis fériis sextis Quadragésimæ solémniter expósita a piis fidélibus multa religióne invísitur.

℟. Coronántur auro mundi reges, sed Mártyrum rex Christus * Spinis coronátur. ℣. Peccatórum spinas suis spinis Christus sústulit. Glória. Spinis.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi, quia spinis coronátus redemísti mundum.

Ps. 95. Cantáte. *Fer.* VI. *ad Mat.*, p. 101.

Ant. Ob peccátum primi paréntis terra spinas germinávit : ad peccátum deléndum, Christi caput spinas tulit.

Psalmus 96. Dóminus regnávit, exúltet. *Ibid.*, p. 102.

Ant. Salvátor mundi, salva nos qui spinis redimítus sánguinem tuum fudísti.

Ps. 97. Cantáte. *Sabb. ad Mat.* p. 105.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

Apprehendit Pilátus Jesum et flagellávit, et mílites plecténtes corónam de spinis imposuérunt cápiti ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In magno Parasceves die.

Intravit Pilátus in prætórium cedens Judæórum furóri, extinctúrus inextínctam flammam. Ingréssus et egréssus magis ignem accéndit. Exívit enim cum Jesu coronáto, ingráto Judæis spectáculo : ostendítque eis hostem jam coronátum, jam victórem, jam régio cultu ornátum. Nam etsi hoc per contuméliam factum est, regnum tamen quod ei naturáliter compétit significávit. Postquam autem vidérunt, quem sæpe víderant, quem nunquam víderant, quem quotiescúmque vidébant accendebántur interioríque flamma consumebántur, extulérunt contra ipsum Sodomíticum clamórem : Tolle, tolle, crucifíge eum. Quibus Pilátus : Regem vestrum vultis crucifígam? Non habémus, ínquiunt, regem nisi Cæsarem.

℟. Mílites plecténtes Corónam de spinis, Jesu cápiti imposuérunt, * Illúdque arúndine percussérunt. ℣. Tum flexo póplite salutárunt eum illudéntes et dicéntes : Ave, rex Judæórum. Illúdque.

LECTIO VIII.

Accepérunt eum coronátum, quibus rebus? spinis, Ju-

dæórum vidélicet donis. Expectávit ut fáceret uvas et prótulit spinas, cólaphos, vérbera, flagélla expértus est, sed citra ullum dedecus. Ita cum Isáia et áspice Deum óculis illíus. Quid ígitur ille dicit? Dómine, quis crédidit audítui nostro? Vídimus eum, et non habébat spéciem, neque decórem, et spécies ejus sine honóre defíciens a fíliis hóminum. Non habébat spéciem neque decórem omnis decóris ártifex. Flebat enim Judæórum mala homo percússus et sciens infirmitátem.

℟. Adéste, fíliæ Sion, vidéte Regem vestrum spíneam gestántem Corónam, * Et cruce onústum. ℣. Quid tibi fecit, pópule nequam, ille qui gestat spíneam Corónam? Et cruce. Glória. Et cruce.

Lectio IX. *de S. Zephyrino ut in Breviario*, p. 598.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ad Laud. Ant., Capit. et Hymn. ut in I Vesp. Psalmi de Dom.

℣. Ad crucem Christus perréxit spinis coronátus. ℟. Cum pro nobis mórtuus est.

Ad Bened. Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum.

Comm. S. Zephyrini, p. 598.

AD TERTIAM.

Ant. Spinas et tríbulos.

CAPITULUM. *Cant.* 3.

Egredimini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua, in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

℟. Christo spinis coronáto * Benedicámus omnes. Christo. ℣. Toto corde et ore exultábimus illi. Benedicámus omnes. Glória. Christo.

℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia spinis coronátus redemísti mundum.

AD SEXTAM.

Ant. Ecce totum.

CAPITULUM.

Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit : et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo.

℟. Adorámus te, Christe, * Et benedícimus tibi. ℟. Quia spinis coronátus redemísti mundum. Et benedícimus. Glória. Adorámus te.

℣. Omnis terra adóret te et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

AD NONAM.

Ant. Exívit Jesus.

CAPITULUM.

Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

℟. Omnis terra adóret te, * Et psallat tibi. Omnis. ℣. Psal-

mum dicat nómini tuo, Dómine. Et psallat tibi. Glória. Omnis.

℣. Ad crucem Christus perréxit spinis coronátus. ℟. Cum pro nobis mórtuus est.

Ad Vesp. omnia ut in primis. Commem. S. Cæsarii Episcopi et Conf. Oratio Exáudi, *p.* liij.

DIE XXVII.

S. CÆSARII.

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. exceptis quæ sequuntur. Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Cæsarius Cabilóne claro génere ortus, in ínsula Lirinénsi sub Porcário Abbáte mónachus, ita per jejúnia, vigílias et orándi stúdium vires córporis attrívit, ut Arelátem valetúdinis recuperándæ causa missus fúerit. Illic cum sancto Æónio Arelaténsi Antístite junxit consuetúdinem, et ab ipso ad sacerdótium est evéctus. Mórtuo Æónio, in ejus locum, invítus licet ac relúctans, sufféctus est. Quo in múnere omnes óptimi pastóris partes egrégie adimplévit, Tértiæ, Sextæ et Nonæ offícia in Basílica sua instítuit; laicósque Dei laudes in Ecclésia cánere hortabátur.

LECTIO V.

Ter apud reges Gothos proditiónis accusátus, ideóque in exílium aut cárcerem missus, tóties innocéntia ejus comprobáta, absolútus est. In Ecclésia sua frequentíssime prædicábat, áliis vero Ecclésiis homilías pópulo recitándas suppeditábat. Páuperum et afflictórum misérias subleváre nunquam déstitit: captivísque rediméndis sacram étiam supelléctilem distráhere non dubitávit. Vírginum cœnóbium Areláte constrúxit, cui sapientíssimam præscrípsit régulam, cujus prima lex erat, ut nulli unquam licéret exíre e monastério. A sancto Symmacho Papa, qui eum Romam invitáverat, humaníssime excéptus est, et pállii dignitáte auctus.

LECTIO VI.

Pluribus intérfuit præfuítque concíliis, imprímis Arausicáno secúndo, in quo inter ália definítum est, quod si quis, sicut augméntum, ita étiam inítium fídei, ipsúmque credulitátis afféctum naturáliter nobis inésse dicat, apostólicis dogmátibus adversári comprobétur. Hujúsce célebris concílii decréta, Cæsário postulánte, Bonifácius, Papa Secúndus, sua autoritáte confirmávit. Scripsit Cæsárius in Scriptúram Enarratiónes et Homilías cum Epístolis super vária rerum divinárum arguménta. Demum exáctis in pontificátu annis quadragínta, obdormívit in Dómino, anno ætátis sep-

tuagésimo tértio, Christi quingentésimo quadragésimo secúndo et in Basílica sanctæ Maríæ sepúltus est.

In III Noct. Hom. in Evang. Vigilate *de Communi secundo loco,* p. lxv.

II. Vesp. de seq., scilicet de S. Juliano Briv. Mart. cum Commem. præced. tantum.

DIE XXVIII.

S. JULIANI BRIVATENSIS,

MARTYRIS.

Duplex 2 classis.

Omnia de Comm. un. Mart. exceptis his :

ORATIO.

Deus, qui in corde beáti Mártyris Juliáni ignem sancti tui amóris accendísti, ut persecutórum supplícia, te adjuvánte, despíceret : da nobis, ut cujus natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In I Noct. Lect. Fratres, debitóres, *e Comm. plur. Mart.* p. xxxix.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex sancto Gregório Turonénsi, de Miráculis sancti Juliáni.

Lib. 2, cap. 1 et 2.

Inclytus Martyr Juliánus qui, Viennénsi ortus in urbe, Arvérnis datus est Martyr, igne divíno succénsus, nihil áliud concupívit, nihil tota mente desiderávit, nisi, spretis mundi illecébris, justítiæ viam expedítus irréperet. Cum esset apud beatíssimum Ferréolum jam tunc martyrii amóre flagrans, relíctis divítiis ac propínquis ob solíus amórem martyrii, Arvérnum advénit territórium. Sed nec hoc sine divíno mandáto perégit, cum tunc persecútio in Viennénsi urbe fervéret. Légerat enim Dóminum prædixísse : Si vos persecúti fúerint in ista civitáte, fúgite in áliam.

LECTIO V.

Contulit ergo se Juliánus in Arvérnum territórium, non metu mortis, sed ut, relínquens própria, facílius ad palmam perveníret. Metuébat enim ne sibi paréntes essent óbvii, si inter eos hoc certámen iniísset, et pérderet miles Christi corónam, si legítime non certáret. Igitur, instánte persecutióne, ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris Næniæ colebántur, advénit, et cum ínsequi adversários sustinéret, a vídua quadam se occultári deprecabátur; sed mox persecutóribus occúrrens : Nolo, inquit, diútius morári in hoc sæculo, quia tota ánimi aviditáte Christum sítio.

LECTIO VI.

Hæc loquénte Juliáno, edúcunt carnífices vibránti déxtera frámeam, et decíso cápite, in tres, ut ita dicam, partes gloriósus Martyr divíditur : nam caput Viénnam defértur,

artus Briváte condúntur, felix ánima a Christo conditóre suscípitur. Senes quoque, qui sacrosánctum corpus mancipáverant sepultúræ, ita redintegráti sunt, ut in senectúte summa, honóre pósiti, tanquam júvenes haberéntur. Caput quoque ejus Ferréolus martyr accépit, completóque certámine, tam hujúsce membra quam illíus caput in únius túmuli receptáculo collocáta sunt. Ex témpore autem sancti Germáni Antissiodorénsi antístitis, et ejus senténtia, quinto Kaléndas mensis séptimi celebrári consuévit sancti mártyris dies natalítius.

In III. Noct. Hom. In Ev. Si quis vult post me veníre, *de Comm. secundo loco.* p. xxxiij. *Comm. S. Hermetis Mart. in Brev.* p. 603.

MENSE SEPTEMBRI.

DIE I.

S. JOSEPH CALASANCTII, CONFESSORIS.

Duplex.

(*E die* 27. *Aug.*)

Ut in Brev. hac die, p. 598.

A Capit. de eo cum Comm. præced., S. Ægidii, Abbatis, et SS. Duodecim. Fratrum Mart.

In III. Noct. Lect. IX. *de S. Ægidio, Abbati,* p. 611.

DIE III.

SANCTI AUGUSTINI, EPISCOPI, CONFESSORIS, ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Duplex.

(*E die* 28. *Aug.*)

Ut in Brev., die 28. *Aug.*, p. 601.

Vesp. de eo. Comm. S. Stephani, tantum, p. 612.

OFFICIA MOBILIA

Officium sequens, jam de præcepto a Decreto S. R. C. (23. Aug. 1856.) ritu dupl. maj. pertinet ad Breviarium. Cum autem in eo nondum potuit inseri nisi in recentioribus editionibus, ideo ad tempus inter OFFICIA PROPRIA *retentum est.*

FERIA SEXTA
POST OCT. SS. CORPORIS CHRISTI, SANCTISSIMI CORDIS. JESU.

Duplex 2. classis.

Ad Vesp., Ant. et Capit. de Laud., cum Psalm. Dixit Dóminus, *p.* 121; Confitébor, *ibid.*; Crédidi, *p.* 125; Beáti omnes, *p.* 130; Lauda, Jerúsalem, *p.* 141.

HYMNUS.

AUCTOR beáte sæculi,
Christe Redémptor ómnium,
Lumen Patris de lúmine,
Deúsque verus de Deo,
Amor coégit te tuus
Mortále corpus súmere,
Ut novus Adam rédderes,
Quod vetus ille abstúlerat :
Ille amor almus ártifex
Terræ, marísque, et síderum,
Erráta patrum míserans,
Et nostra rumpens víncula.
Non Corde discédat tuo
Vis illa amóris ínclyti :
Hoc fonte Gentes háuriant
Remissiónis grátiam.
Percússum ad hoc est láncea,
Passúmque ad hoc est vúlnera,
Ut nos laváret sórdibus,
Unda fluénte et sánguine.
Decus Parénti, et Filio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est sæculum.
Amen.

℣. Ignem veni míttere in terram. ℟. Et quid volo, nisi ut accendátur?

Ad Magnif. Ant. Impropérium expectávit Cor meum et misériam : et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

Oratio ut infra in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum, pro nobis passum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

EN ut supérba críminum
Et sæva nostrórum cohors
Cor sauciávit ínnocens
Meréntis haud tale Dei!
Vibrántis hastam mílitis
Peccáta nostra dírigunt,
Ferrúmque diræ cúspidis
Mortále crimen ácuit.

Ex Corde scisso Ecclésia
Christo jugáta náscitur :
Hoc óstium arcæ in látere est
Genti ad salútem pósitum.

Ex hoc perénnis grátia,
Ceu septifórmis flúvius,
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sánguine.

Turpe est redíre ad crímina,
Quæ Cor beátum lácerent :
Sed æmulémur córdibus
Flammas amóris índices.

Hoc, Christe, nobis, hoc, Pater,
Hoc, sancte, dona, Spíritus,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est sæculum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Quid est homo, quia magníficas eum, aut quid appónis erga eum Cor tuum?

Psalmi trium Noct. ut in Festis B. M. V. p. cl.

Ant. Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Ant. Elevámini, portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

℣. Dómine, dabis pacem nobis. ℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis.

De Isáia Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 12.

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : convérsus est furor tuus, et consolátus es me. Ecce Deus Salvátor meus : fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : mementóte quóniam excélsum est nomen ejus. Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℟. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic.

LECTIO II. *Cap.* 26.

IN die illa cantábitur cánticum istud in terra Juda : Urbs fortitúdinis nostræ Sion Salvátor, ponétur in ea murus et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem. Vetus error ábiit : servábis pacem, pacem, quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, in Dómino Deo forti in perpétuum. Quia incurvábit habitántes in excélso, civitátem sublímem humiliábit. Humiliábit eam usque ad terram.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem : aspéctus ejus in eo non est : hic peccáta nostra

portávit, et pro nobis dolet : ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, * Cujus livóre sanáti sumus. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus.

LECTIO III.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulándum. Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te : nomen tuum, et memoriále tuum in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte, sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te. Cum féceris judícia tua in terra, justítiam discent habitatóres orbis.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israel, qui facit mirabília magna solus, * Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat. Et. Glória Patri. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Afferéntur in lætítia et exultatióne : adducéntur in templum Regis.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Sicut lætántium ómnium habitátio est in te.

℣. Convérsus est furor tuus.
℟. Et consolátus es me.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

Ex. Serm. 3. de Passione.

LECTIO IV.

Quia semel vénimus ad Cor dulcíssimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est : Recedéntes a te in terra scribéntur. Quid autem accedéntes ? Tu ipse doces nos. Tu dixísti accedéntibus ad te : Gaudéte, quia nómina vestra scripta sunt in cœlo. Accedámus ergo ad te, et exultábimus, et lætábimur in te, mémores Cordis tui. O quam bonum et quam jucúndum habitáre in Corde hoc ! Quin pótius dabo ómnia, omnes cogitatiónes et afféctus mentis commutábo, jactans omne cogitátum meum in Cor Dómini Jesu, et sine fallácia illud me enútriet.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

LECTIO V.

Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctórum, ad hanc arcam testaménti adorábo, et laudábo nomen Dómini, dicens cum David : Invéni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor regis, fratris, et amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo ? Hoc ígitur Corde tuo, et meo, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum. Admítte tantum in sacrárium exauditiónis tuæ preces meas : imo me totum trahe in Cor tuum. O ómnium pulchritúdine speciosíssime Je-

su, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me, ut purificátus per te, ad te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre, et ut vidére simul, et fácere tuum váleam voluntátem!

℟. Sicut ovis ad occisiónem ductus est, et dum male tractarétur, non apéruit os suum: tráditus est ad mortem, * Ut vivificáret pópulum suum. ℣. Trádidit in mortem ánimam suam, et inter scelerátos reputátus est. Ut.

LECTIO VI.

Ad hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo et in te ab exterióribus perturbatiónibus absolúti habitáre possímus. Nihilóminus et proptérea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permísit? Carnále ergo vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat? Quis tam amans non rédamet? Quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus, amémus, redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolæ fodérunt manus et pedes, latus et Cor, stemúsque, ut cor nostrum, durum adhuc et impœnitens, amóris sui vínculo constríngere, et jáculo vulneráre dignétur. Quam charitátem Christi patiéntis, et pro géneris humáni redemptióne moriéntis, atque in suæ mortis commemoratiónem instituéntis Sacraméntum córporis et sánguinis sui, ut Fidéles sub sanctíssimi Cordis symbolo devótius ac fervéntius récolant, ejusdémque fructus ubérius percípiant, Clemens Décimus Tértius, Póntifex Maximus, ejúsdem sanctíssimi Cordis festum quibúsdam peténtibus Ecclésiis celebráre permísit. Anno autem supra millésimum et octingentésimum, quinquagésimo sexto Pius, Papa, Nonus, ad votum Galliárum Episcopórum, in tota Ecclésia præcépit observári.

℟. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis, * Et sapiéntiæ ejus non est númerus. ℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus, et sapiéntiæ ejus non est finis. Et. Glória Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Ant. Adoráte eum, omnes Angeli ejus: audívit, et lætáta est Sion.

Ant. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster manifésté véniet.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore: Judæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, (erat enim magnus dies ille Sábbati,) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Ex Tractatu 120. *in Joannem.*

Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Vigilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret: Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud; sed, Apéruit, ut illud quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde Sacraménta manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum: aqua illa salutáre témperat póculum: hæc et lavácrum præstat, et potum. Hoc prænuntiábat quod Noe in látere arcæ óstium fácere jussus est, qua intrárent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

LECTIO VIII. *Homil.* 84.

Vides quanti sit véritas? Per ea, quæ Judæi fáciunt, prophetía implétur: ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judæórum grátiam conciliándam, latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem ac scelestíssimam! Noli tamen perturbári, o dilectíssime; quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophétia hinc impléta est, ínquiens: Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fídei arguméntum, ut Thomæ et qui cum eo erant. Ad hæc et arcánum mystérium confirmátum est; exívit enim sanguis et aqua. Non casu et simplíciter hi fontes scaturiérunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est.

℟. Recéssit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus tránsitum sol obscurátus est: * Portas mortis et seras páriter Salvátor noster disrúpit. ℣. Destrúxit quidem claustra inférni, et subvértit poténtias diáboli. Portas. Glória Patri. Portas.

De Homília sancti Bonaventúræ, Epíscopi.

Ex lib. de Ligno Vitæ.

LECTIO IX.

Porro ut de látere Christi dormiéntis formarétur Ecclésia, divína est ordinatióne indúltum, ut unus mílitum láncea latus sacrum illud aperiéndo perfóderet, quátenus sánguine cum aqua manánte, prétium effunderétur nostræ salútis, quod a fonte scílicet Cordis arcáno profúsum, vim daret Sacraméntis Ecclésiæ ad vitam grátiæ conferéndam, essétque jam in Christo vivéntibus póculum fontis vivi, saliéntis in vitam ætérnam. Surge ígitur, ánima amíca Christi : vigiláre non cesses : ibi os appóne, ut háurias aquas de fóntibus Salvatóris.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Díscite a me * quia mitis sum et húmilis Corde.

Psalmi de Dom. p. 16.

Ant. Sanctificávi locum * istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei et Cor meum ibi cunctis diébus.

Ant. Et dixi : * Ergo sine causa justificávi Cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

Ant. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in Corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Ant. Pone me * ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ* 12.

Ecce Deus Salvátor meus : fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

HYMNUS.

Cor, Arca legem cóntinens
Non servitútis véteris,
Sed grátiæ, sed véniæ,
Sed et misericórdiæ :
Cor, sanctuárium novi
Intemerátum fœderis,
Templum vetústo sánctius,
Velúmque scisso utílius :
Te vulnerátum cháritas
Ictu paténti vóluit,
Amóris invisíbilis
Ut venerémur vúlnera.
Hoc sub amóris symbolo
Passus cruénta et mystica,
Utrúmque sacrifícium
Christus Sacérdos óbtulit.
Quis non amántem rédamet?
Quis non redémptus díligat,
Et Corde in isto séligat
Ætérna tabernácula?
Decus parénti et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est sæculum. Amen.

℣. Vere languóres nostros

ipse tulit. ℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

Ad Bened. Ant. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras: attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes, præcípua in nos charitátis ejus benefícia recólimus, eórum páriter et actu delectémur et fructu. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Ant. Sanctificávi locum.

Capit. Ecce Deus Salvátor.

℟. *br.* Vere * Languóres nostros ipse tulit. Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. Languóres. Glória Patri. Vere.

℣. Pósuit fines tuos pacem, ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

AD SEXTAM.

Ant. Et dixi.

CAPITULUM. *Isaiæ* 12.

Dicetis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, et mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

℟. *br.* Pósuit * Fines tuos pacem. Pósuit. ℣. Et ádipe fruménti sátiat te. Fines. Glória Patri. Pósuit.

℣. Dirupísti, Dómine, víncula mea. ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis.

AD NONAM.

Ant. Pone me.

CAPITULUM. *Isaiæ* 12.

Cantate Dómino, quóniam magnífice fecit : annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℟. *br.* Dirupísti, Dómine, * Víncula mea. Dirupísti. ℣. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. Víncula. Glória Patri. Dirupísti.

℣. Erit Dóminus nominátus in signum ætérnum. ℟. Quod non auferétur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter ℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Ad Magnif. Ant. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum mórtuum, non fregérunt ejus crura ; sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Oratio Concéde., *supra.*

* *Festi præcedentis fit* SOLEMNITAS EXTERIOR *Dominica proxime sequenti, in Missa principaliori et Vesperis; quæ tamen omittitur occurrente. Festo* S. JOANNIS BAPTISTÆ, *aut Sanctorum Apost.* PETRI ET PAULI.

OFFICIA VOTIVA
DIŒCESI ANICIENSI
A SANCTA SEDE CONCESSA.

¶ *Extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora, Octavas et Vigilias privilegiatas, fit, ritu semiduplici, singulis Feriis* V., *Officium votivum* DE SS. SACRAMENTO, *et, singulis Sabbatis,* DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V., *modo non obstet his diebus, occurrens aut translatum, Officium novem Lectionum.*

Præcedente autem aut subsequente Officio novem Lectionum, ordinandæ erunt Vesperæ juxta Rubricas de concurrentia Officii. Quoad Officium simplex occurrens, Lectio IX, *si propria habeatur, legitur de eo, cum Commemoratione ejusdem in I. Vesperis et Laudibus.*

Fit Comm. de Cruce, ut in tempore Paschali, et preces dicuntur ad Completorium et ad Primam.

Notandum quod ad Completorium Feriæ IV. *et* VI. *in fine Hymni, dicitur:* Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, *etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commem. de SS. Sacramento aut de B. M. V.*

OFFICIUM VOTIVUM
DE SS. SACRAMENTO
IN FER. NON IMPEDITIS.

Semiduplex.

AD VESPERAS.

Omnia ut in die Festi, p. 161., *omisso* Allelúia, (*quod omittitur in omni officio.*)

Si occurrat aliquod Festum simplex, fit de eo commemoratio.

Deinde fiunt Commem. communes seu Suffragia, ut in Psalterio, si faciendæ sint.

Dicuntur Preces ad Primam et ad Completorium.

AD MATUTINUM.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

cum ℟℟. *ex I. Noct. diei Festi*, p. 166.

Lect. vero II. et III. Noct. cum suis ℟℟. *sumuntur ex Octava ejusdem, ut inferius ordine Mensium disponuntur.*

MENSIBUS MAIO ET JUNIO.

Lect. II. et III. Noct. sumuntur ex Feria II. *post Dom. infra Oct. Festi*, p. 188.

Si occurrat aliquod Festum simplex, IX. Lectio legitur, et fit Comm. de eo in Laudibus: quod etiam in seq. Mensibus servandum est.

MENSIBUS JULIO ET AUGUSTO.

Lect. II. et III. Noct. sumuntur ex Feria III. *post. Dom. infra Oct. Festi*, p. 191.

AD LAUDES.

Omnia ut in die Festi, p. 173.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Angelórum esca.

Capit. Fratres, Ego enim.

℟. *br.* Panem cœli * Dedit eis. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

AD SEXTAM.

Ant. Pinguis est panis.

CAPITULUM. 1 *Cor.* 11.

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. *br.* Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

AD NONAM.

Ant. Vincénti.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 11.

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. *br.* Edúcas panem * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in die Festi, p. 174.

Si occurrat aliquod Festum simplex, fit de eo Commem.

Deinde fiunt Commem. communes seu suffragia, ut in Psalterio, si faciendæ sint.

OFFICIUM VOTIVUM

DE IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

IN SINGULIS SABB. NON IMPEDITIS DE QUIBUS SUPRA. p. 48*.

Semiduplex.

AD I. VESPERAS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi ut in Festis B. M. V. p. cxlvij.

Hymn. Ave, maris. *p.* cxlix.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ant. Beáta Dei Génitrix, María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

Commem. communes de Apostolis, de Patrono et de Pace, p. 143.

AD MATUTINUM.

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum, ejus Fílium, adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte. *p.* 2.

Hymn. Quem terra. *p.* cxlix.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas.

Psalmi de B. M. V. p. cl.

Ant. Manus Dómini confortávit te ; et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ant. Noli metúere, non moriéris : non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

℣. Deus præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Lect. de Script. occurr.

℟. I. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol? ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis. Pulchra.

℟. II. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, * Cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum. Cujus.

℟. III. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, * Quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quia. Glória Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et factus est Dóminus protéctor meus.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Fundátur mons Sion exultatióne univérsæ terræ, látera aquilónis, cívitas Regis magni.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

MENSE JUNIO.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

De 12. prærogativis B. M. V.

LECTIO IV.

Mulier, inquit, amícta sole. Plane amícta lúmine tamquam vestiménto. Non pércipit forte carnális; nimírum spirituále est : stultítia illi vidétur. Non sic videbátur Apóstolo qui dicébat : Induímini Dóminum Jesum Christum. Quam familiáris ei facta es, Dómina! Quam próxima, imo quam íntima fíeri meruísti! Quantam invenísti grátiam apud eum! In te manet, et tu in eo, et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substántia carnis, et vestit ille te glória suæ majestátis. Vestis solem nube, sole ipsa vestíris. Novum enim fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári.

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim. Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans, ornet eas pótius quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est? Supra hóminem est corónæ hujus ratiónem expónere, indicáre compositiónem. Mihi sane singuláris rútilat fulgor, primo quidem in Maríæ generatióne, secúndo in Angélica salutatióne, tértio in Spíritus superventióne, quarto in Fílii Dei inenarrábili Conceptióne.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula. ℣. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

Quid ergo sidéreum micat in generatióne Maríæ? Plane quod ex régibus orta; quod ex sémine Abrahæ; quod ge-

nerósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi, ob singuláre privilégium sanctitátis, divínitus nóscitur esse concéssa; quod longe ante eísdem Pátribus cœlitus repromíssa; quod mysticis præsignáta miráculis; quod oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit: hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit: hanc in Ezechiélis visióne orientális porta, quæ nulli umquam pátuit, præsignábat. Hanc dénique præ cæteris Isáias nunc virgam de radíce Jesse oritúram prænuntiábat, nunc evidéntius vírginem paritúram. Mérito signum hoc magnum in cœlo apparuísse scríbitur, quod tanto ante de cœlo nóscitur fuísse promíssum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia ancíllam húmilem respéxit Deus. ℣. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. Quia. Glória Patri. Quia.

MENSIBUS

JULIO ET AUGUSTO.

De Sermóne sancti Joánnis Damascéni.

Ex Serm. 1. in Nativ. B. M. V.

LECTIO IV.

O Joachim et Annæ sanctíssima fília, quæ principátibus et potestátibus igneísque malígni telis latuísti: quæ in Spíritus thálamo versáta es, et sine mácula custodíta, ut sponsa Dei, naturáque Dei mater esses! O sacratíssima fília, quæ in matérnis ulnis cérneris, apostaticísque virtútibus formidábilis es? O sacratíssima fília, quæ matris ubéribus lactáris, atque ab Angelis úndique cíngeris! O chara Deo fília, paréntum decus, quam, ut abs te vere dictum est, generatiónes omnes beátam dicent! O digna Deo fília, humánæ venústas natúræ, primígenæ paréntis Evæ emendátio! Tuo namque partu, quæ cecíderat, erécta est. O sacrosáncta fília, fœminárum glória! Quamvis enim prima Eva prævaricatiónis rea extíterit, ac per eam mors, dum illa serpénti advérsus primum paréntem inservíret, ingréssa sit, áttamen María divínæ óbsequens voluntáti, deceptórem anguem ipsa decépit, ac mundo immortalitátem invéxit.

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis: * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

Vere res omnes cónditas dignitáte antecelluísti. Nam ex te sola summus ille ópifex partem assúmpsit, massæ nostræ primítias. Caro ejus ex tuis sanguínibus concréta fuit. Quin Deus ex tuis mamíllis lac suxit, túaque lábia Dei lábiis cohæsérunt. O mirácula men-

tis captum et sermónem excedéntia! Dignitátem tuam prægnóscens universórum Deus, te proínde diléxit, dilectámque prædestinávit, atque extrémis tempóribus prodúxit, ac Deíparam matrem, suíque Fílii ac Verbi nutrítiam fecit. Lætáre, beáta Anna, quod fœminam pepéreris. Hæc enim fœmina Dei mater natúra est, porta lucis, fons vitæ, et fœminárum crimen abolébit. Hujus fœminæ vultum deprecabúntur omnes dívites plebis. Fœminam hanc reges Géntium munéribus oblátis adorábunt. Hanc fœminam Deo, universórum Regi, ófferes, virtútum tamquam fímbriis áureis circumamíctam elegántia, sanctíque Spíritus grátia ornátam, cujus glória ab intus.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula. ℣. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus. fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

O DIVINUM vivúmque simulácrum, cujus cónditor Deus pulchritúdine delectátus est, quod mentem quidem divínitus gubernátam habet, Deóque soli addíctam; cupiditátem vero omnem, ad id quod solum expeténdum est, et amóre dignum inténtam; iram autem contra peccátum dumtáxat, ejúsque paréntem. Vitam natúra potiórem habébis. Habébis autem non tibi ipsa; quippe quæ non tibi ipsíus causa génita sis. Quocírca Deo hanc habébis, cujus grátia in mundum prodiísti, ut orbis univérsi salúti obsequáris; Deíque antíquum consílium, nimírum Incarnatiónis Verbi, ac nostræ deificatiónis, per te impleátur. Appetítus tuus divínis sermónibus nutriétur, hisque pinguésces tamquam olíva fructífera in domo Dei, tamquam lignum plantátum secus decúrsus aquárum Spíritus, tamquam vitæ lignum, quod fructum vitæ dedit præfiníto suo témpore : Deum scílicet Incarnátum, et ætérnam universórum vitam. Cogitátum omnem alúmnum habens et ánimæ profícuum, ac supervacáneum omnem et ánimis exitiósum prius réprobans, quam eum degústes. Tota thálamus Spíritus, tota Cívitas Dei vivi, quam lætíficant flúminis ímpetus, sancti, inquam, Spíritus gratiárum fructus. Tota pulchra, tota Deo propínqua; hæc enim Chérubim súperans, et super Séraphim evécta, próxima Deo éxtitit.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia ancíllam húmilem respéxit Deus. ℣. Ornátam monílibus, fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ave, grátia plena : Dóminus tecum.

Ant. Veníte, et vidéte, et narrăbo quanta fecit Deus ánimæ meæ.

Ant. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear : propter hoc dilatátum est cor meum.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

MENSE JUNIO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 2. *in Matth. post init.*

Auditu quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fíeri ex mulíere dignátus est, et habére progenitóres David et Abraham; et quid dico David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, fœminas, quas paulo ante memorávi. Hæc ígitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te fílium fáceret Dei : servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo Patrem fáceret ipsum Deum.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et.

LECTIO VIII.

Vides, ab ipso statim princípio, quam læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuum spectant honórem, ab iis quæ illíus sunt, étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est difficíliusDeum hóminem fíeri, quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris quia Fílius Dei fílius sit et David et Abrahæ, dubitáre jam désine quod et tu, qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nascerére spíritu : natus est ex mulíere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore

hóminum. Quia. Glória Patri. Quia.

IX Lectio de Simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

PROPTEREA duplex facta generátio est, hæc scílicet nostræ similis, illa nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fœmina est, et nobis cómpetit : quod vero non ex sánguine, neque ex voluntáte carnis, aut viri, sed ex Spíritu sancto, áliam nobis sublimiórem, futurámque et spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábunt. Nam et baptísma profécto tale suscépit, quod habéret quidem áliquid véteris, habéret et novi. Quod enim baptizátus est a Prophéta, expréssit vetus : quod autem descéndit Spíritus, adumbrávit novum.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

MENSIBUS
JULIO ET AUGUSTO.
Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham autem génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília sancti Hierónymi, Presbyteri.

Lib. 1. *Comm. in Matth.*

JACOB autem génuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárum, cur Evangelísta Matthæus Joseph díxerit fílium Jacob, et Lucas eum fílium appellárit Heli, non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen, Deo jubénte, præcéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris vel propínqui sui.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et.

LECTIO VIII.

JOSEPH, virum Maríæ. Cum virum audíeris, suspício tibi non súbeat nuptiárum; sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quod sponsi viri, et sponsæ vocéntur uxóres. Et a transmigratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes quatuórdecim. Númera a Jechonía usque ad Joseph, et invénies generatiónes trédecim. Quarta décima ergo generátio in ipsum Christum reputábitur. Christi autem generátio sic erat.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Hódie nomen tuum

ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia. Glória Patri. Quia.

IX. Lectio de Simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

Quærat díligens lector et dicat : Cum Joseph non sit pater Dómini Salvatóris, quid pértinet ad Dóminum generatiónis ordo dedúctus usque ad Joseph? Cui respondébimus primum, non esse consuetúdinis Scripturárum, ut mulíerum in generatiónibus ordo texátur. Deínde ex una tribu fuísse Joseph et Maríam, unde ex lege eam accípere cogebátur ut propínquam, et quod simul censéntur in Béthlehem, ut de una vidélicet stirpe generáti.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Sicut lílium * inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis*, p. 16.

Ant. Diléctus meus * mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Ant. Tota pulchra es, * amíca mea, et mácula non est in te.

Ant. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super erram.

Ant. Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymnus O gloriósa. *p.* clviij.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Bened. Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

ORATIO.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : ejus nobis intercessióne concéde; ut cor et corpus nostrum immaculátum Tibi, qui eam ab omni labe præservásti, fidéliter custodiámus. Per eúmdem Dóminum.

Commem. communes de Apostolis, etc., p. 143.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Diléctus meus.

Capit. Dóminus., *ut supra.*

℟. *br.* Deus * Præcínxit me virtúte. Deus. ℣. Et pósuit im-

maculátam viam meam. Præcínxit. Glória Patri. Deus.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

AD SEXTAM.

Ant. Tota pulchra es.

CAPITULUM. *Ezech.* 44.

PORTA hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam, erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. *br.* In hoc cognóvi * Quóniam voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam. Glória Patri. In hoc.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ant. Tu glória.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

℟. *br.* Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In Vesp. a Cap. de Sabb.; fit Comm. de Immaculata Concept. B. M. V., ut sequitur:

Ant. Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam, allelúia.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio Deus, qui per Immaculátam., *ut supra.*

OFFICIA PROPRIA.
SUPPLEMENTI ANICIENSIS

PARS ÆSTIVA.

FESTA DOMINI.

FESTA B. M. V.

FESTA SANCTORUM.

COMMEMORATIONES.

OFFICIA VOTIVA.

INDEX GENERALIS
AD USUM TUM BREVIARII TUM SUPPLEM. ANICIENSIS.

BRÆVIA.

PSALMI.

CANTICA.

HYMNI.

FESTA DOMINI.

FESTA B. MARIÆ.

FESTA SANCTORUM.

OFFICIA VOTIVA.

VARIA.

BENEDICTIONES.

AD CALCEM.

PARISIIS. — Typis ADRIANI LE CLERE, via dicta Cassette, 29.

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS ANICIENSIS

A SS. D. N. PIO PAPA IX

APPROBATA ET CONCESSA

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. JOSEPHI AUGUSTI VICTORINI DE MORLHON

EPISCOPI ANICIENSIS

EDITA.

PARS AUTUMNALIS.



PARISIIS

ADRIANUS LE CLERE ET SOC.,

SS. D. N. PAPÆ ET ARCHIEPISCOPATUS TYPOGRAPHI,

VIA DICTA CASSETTE, 29.

1858

ADRIANO LE CLERE CUM SOCIIS, SS. Domini Papæ, apud Parisienses, typographo *Proprium Diœcesis Aniciensis*, quale fuit nuper a Sancta Sede approbatum, typis mandandum commisimus, Editionemque, PRO PARTE AUTUMNALI, diligenti examine perlectam cum textu authentico ad unguem concordare perspeximus, ideoque approbamus et in publicum prodire jubemus.

Datum Anicii, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, nec non Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo octavo, die vero mensis Maii vigesima secunda.

✝ AUGUSTUS, *Episc. Aniciensis.*

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Episcopi.

ALIROL, *Can. Secr.*

MONITUM.

Si alicubi remissum fuit ad paginam Breviarii, quod omnino cavimus extra necessitatem, pertinere debuit indicatio ad editionem paris formæ et ex iisdem typis ac Supplementum (1). Si alia editione uteris, scalpello indices paginam ejus propriam.

In his autem Propriis habes quæcumque concessa sunt a Sancta Sede Ecclesiæ Aniciensi, quo facilius ex unico Supplemento recitentur, et quibuscumque Breviarii editionibus possint accommodari.

(1) In hac forma in-12, referuntur numeri ad Edit. Parisien. MDCCCLVI. ex officina ADRIANI LE CLERE.

CONCORDANTIA

SUPPLEMENTI ANICIENSIS

CUM

KALENDARIO ROMANO.

PARS AUTUMNALIS.

Propria Supplementi Aniciensis distinguuntur caractere italico et asterisco.

AUGUSTUS.

29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *dupl. maj. Com.* S. Sabinæ, Mart.
30 S. Rosæ, Virg. Limanæ, *dupl. Comm.* SS. Felicis et Adaucti, Mart.
31 S. Raymundi Nonnati, Conf., *dupl.*

SEPTEMBER.

1 S. Joseph Calasanctii, Conf., *dupl.* (*e die* 27. *Aug.*) *Commem.* S. Ægidii, Abb., et SS. Duodecim Fratrum Mart.
2 S. Stephani, Regis Hungariæ, Conf., *semid.*
3 S. Augustini, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* (*e die* 28. *Aug.*)
4
5 S. Laurentii Justiniani, Episc. et Conf., *semid.*
6
7
8 NATIVITAS B. M. V., *dupl.* 2. *cl.* cum Oct. *Comm.* S. Adriani, Martyris.
9 * *S. Petri, Abbatis, dupl. Comm.* Oct. et S. Gorgonii, Mart.
10 S. Nicolai de Tolentino, *dupl. Comm.* Oct.
11 * *S. Marcelli, Episc. et Mart., dupl. Comm.* Oct. et SS. Proti et Soc., Mart.
12 De Oct.
13 De Oct.
14 Exaltatio S. Crucis, *dupl. maj. Comm.* Oct.
15 Octava Nativitatis B. M. V., *dupl. Comm.* S. Nicomedis, Mart.
16 SS. Cornelii et Cypriani, Pont. et Mart., *semid. Comm.* SS. Euphemiæ et Soc., Mart.
17 Impressio Stigmatum S. Francisci, *dupl.*
18 S. Josephi a Cupertino, Conf., *dupl.* * *Comm. S. Ferreoli, Martyris.*
19 SS. Januarii, Episc. et Soc., Mart., *dupl.*
20 SS. Eustachii et Soc., Mart., *dupl. Comm.* Vigil.

21 S. MATTHÆI, APOST. ET EVANGEL., *dupl. 2. cl.*
22 S. Thomæ a Villanova, Episc. et Conf., *dupl. Comm.* SS. Mauritii et Soc., Mart.
23. S. Lini, Papæ et Mart., *semid. Comm.* S. Theclæ, Virg. et Mart.
24 B. M. V. DE MERCEDE, *dupl. maj.*
25
26 SS. Cypriani et Justinæ, Mart.
27 SS. Cosmæ et Damiani, Mart., *semid.*
28 S. Wenceslai, Ducis et Mart., *semid.*
29 DEDICATIO S. MICHAELIS, ARCHANGELI. *dupl. 2. cl.*
30 S. Hieronymi, Presb., Conf. et Doct., *dupl.*
Dom. infra Oct. Nativ. FESTUM SS. NOMINIS MARIÆ, *dupl. maj.*
Dom. III. FESTUM SEPTEM DOLORUM B. M. V., *dupl. maj.*

OCTOBER.

1 S. Remigii, Episc. et Conf., *dupl.*
2 SS. Angelorum Custodum, *dupl.*
3
4 S. Francisci Assisii, Conf., *dupl.*
5 SS. Placidi et Soc., Mart.
6 S. Brunonis, Conf., *dupl.*
7 S. Marci, Papæ et Conf. *Comm.* SS. Sergii et Bacchi et Soc., Martyrum.
8 S. Birgittæ, Viduæ, *dupl.*
9 SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii, Mart., *semid.*
10 S. Francisci de Borgia, Conf., *semid.*
11
12
13 S. Eduardi, Regis et Conf., *semid.*
14 S. Callisti, Papæ et Mart., *dupl.*
15 S. Teresiæ, Virg., *dupl.*
16
17 S. Hedwigis, Vid., *semid.*
18 S. LUCÆ, EVANG., *dupl. 2. cl.*
19 * *S. Theofredi, Abb. et Mart.*, *dupl.*
20 S. Joannis Cantii, Conf., *dupl.*
21 * *S. Ursulæ et Sociarum, Virg. et Mart.*, *dupl. Comm.* S. Hilarionis, Abbatis.
22 S. Petri de Alcantara, Conf., *dupl.* (*e die* 19. *hujus.*)
23 * SS. REDEMPTORIS, *dupl. maj.*
24 * S. RAPHAELIS, ARCHANGELI, *dupl. maj.*
25 * *S. Frontonis, Episc. et Conf.*, *dupl. Comm.* SS. Chrysanthi et Dariæ, Mart.
26 S. Evaristi, Papæ et Mart.
27 Vigilia.
28 SS. SIMONIS ET JUDÆ, APOST., *dupl. 2. cl.*
29
30
31 Vigilia.
Dom. I. SS. ROSARII B. M. V., *dupl. maj.*
* Dom. II *MATERNITATIS B. M. V.*, *dupl. maj.*
* Dom. IV. *PATROCINII B. M. V.*, *dupl. maj.*

NOVEMBER.

1 OMNIUM SANCTORUM, *dupl.* 1. *cl.* cum Oct.
2 *Comm.* Omnium Fidelium Defunctorum, *dupl.* et de Oct.
3 De Oct.
4 S. Caroli Borromæi, Episc. et Conf., *dupl. Comm.* Oct.
5 De Oct.
6 * *Translatio Reliquiarum S. Agrippani, Episcopi et Martyris, semiduplex.*
7 De Oct.
8 Oct. Omnium Sanctorum. *dupl. Comm.* Quatuor Coronat., Mart.
9 Dedicatio Basilicæ Salvatoris, *dupl. Comm.* S. Theodori, Mart.
10 S. Andreæ Avellini, Conf., *semid. Comm.* SS. Tryphonis et Soc., Mart.
11 S. Martini, Episc. et Conf., *dupl. Comm.* S. Mennæ, Mart.
12 S. Martini I, Papæ et Mart., *semid.*
13 * *S. Stanislai Kostkæ, Conf. dupl.*
14 S. Didaci, Conf., *semid.* (*e die* 13. *hujus*).
15 S. Gertrudis, Virg., *dupl.*
16 * *S. Evodii et Omnium SS. Episcoporum Ecclesiæ Aniciensis, duplex.*
17 S. Gregorii Thaumaturgi, Episc. et Conf., *semid.* * (*Calmeliaci, Comm. Translationis Reliquiarum S. Theofredi, Abbatis et Mart.*)
18 Dedicatio Basilicæ SS. Petri et Pauli, *dupl. maj.* * *Commem. S. Odonis, Abbatis.*
19 S. Elisabeth, Viduæ, *dupl. Comm.* S. Pontiani, Papæ et Mart.
20 S. Felicis de Valois, Conf., *dupl.* * *Comm. S. Eudonis, Abbat.*
21 PRÆSENTATIO B. M. V., *dupl. maj.*
22 S. Cæciliæ, Virg. et Mart., *dupl.*
23 S. Clementis, Papæ et Mart., *dupl. Comm.* S. Felicitatis, Mart.
24 S. Joannis a Cruce, Conf., *dupl. Comm.* S. Chrysogoni, Mart.
25 S. Catharinæ, Virg. et Mart., *dupl.*
26 S. Petri Alexandrini, Episc. et Mart.
27
28
29 Vigilia et *Comm.* S. Saturnini, Episc. et Mart.
30 S. ANDREÆ, APOST., *dupl.* 2. *cl.*

* Dom. intra Oct. omnium Sanctorum. *Fest. SS. Reliquiarum.* (reponendum in prima die libera, si Festum omn. Sanct. sit in Dominica), *dupl.*
* Dom. post Oct. omn. Sanct. FESTUM S. GEORGII, ECCLESIÆ VELLAVORUM FUNDATORIS AC PROTOPRÆSULIS, *dupl.* 1. *cl cum Octava.*
* Dom. sequenti. *Octava S. Georgii*, dupl.

DECEMBER.

1 * *LIBERATIONIS URBIS ANICIENSIS AB HÆRETICIS, dupl. maj.*
2 S. Bibianæ, Virg. et Mart., *semid.*

APPENDIX

AD

MARTYROLOGIUM ROMANUM

PRO

ECCLESIA ANICIENSI.

¶ In Martyrologio urbs Aniciensis appellatur PODIUM SANCTÆ MARIÆ, IN GALLIA, quia sicut ex Bulla *Si Pastores ovium*, S. Leonis Papæ IX, est ejus vulgare nomen, ita et gloriosissimum.

SEPTEMBER.

DIE I. Kaléndis Septémbris, Luna *N.*
Sancti Josephi Calasanctii, de quo agitur sexto Kalendas Septembris.

DIE III. Tértio Nonas Septémbris, Luna *N.*
Sancti Augustini, Episcopi et Ecclesiæ Doctoris, de quo agitur quinto Kalendas Septembris. Romæ, sanctæ Serapiæ.

DIE IX. Quinto Idus Septémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, S. Petri de Chavanon qui, Langeacensi Ecclesiæ summa cum laude præpositus, præ amore solitudinis, locum adiit beatæ Mariæ sacrum, nomine Piperacum, ibique Canonicorum Regularium fundavit Ecclesiam.

DIE XI. Tértio Idus Septémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Passio sancti Marcelli, Episcopi et Martyris, qui a rusticis gentilibus comprehensus in odium christiani nominis ad ulmum quamdam huic urbi vicinam capite truncatus est.

DIE XVIII. Quarto décimo Kaléndas Octóbris, Luna *N.*
Auximi, sancti Joséphi a Cupertíno (ut in Martyrologio Romano). In território Viennénsi, sancti Ferréoli (etc., ut in Martyr. Rom.) Eódem die, natális, etc.

OCTOBER.

DIE XIX. Quarto décimo Kaléndas Novémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Passio sancti Theofredi, Calmeliacensis Abbatis et Martyris, qui, cum Saraceni ad monasterium accederent, fratribus in sylvas discedere jussis, solus et impavidus expectavit, ac ritus sacrilegos arguens, martyrio coronatus est.

DIE XXI. ¶ OMNIA UT IN MARTYROLOGIO ROMANO, SED ELOGIUM SANCTÆ URSULÆ ET SOCIARUM, PRÆPONENDUM EST ELOGIO SANCTI HILARIONIS.

DIE XXII. Undécimo Kaléndas Novémbris. Luna *N.*
Sancti Petri de Alcantara, Confessoris, Ordinis Minorum, de quo agitur quarto decimo Kalendas Novembris.
DIE XXIII. Décimo Kaléndas Novémbris, Luna *N.*
Festum sanctissimi Redemptoris.
DIE XXIV. Nono Kaléndas Novémbris, Luna *N.*
Festum sancti Raphaelis, Archangeli.
DIE XXV. Octávo Kaléndas Novémbris, Luna *N.*
Petragóricis, in Gállia, sancti Frontónis, qui, etc. (ut in Martyrologio Romano). Romæ, sanctórum Mártyrum Chrysánthi, etc.
DOMINICA II. OCTOBRIS. Kal. *N.*, Luna *N.*
Festum Maternitatis beatæ Mariæ Virginis.
DOMINICA IV. OCTOBRIS. Kal. *N.*, Luna *N.*
Festum Patrocinii beatæ Mariæ Virginis.

NOVEMBER.

DIE VI. Octávo Idus Novémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Translatio sancti Agrippani, Vellavorum Episcopi et Martyris, e loco sui agonis ad eamdem urbem ubi multis claruit ægrorum sanationibus.
DIE XIII. Idibus Novémbris, Luna *N.*
Sancti Stanislai Kostkæ, Confessoris, e Societate Jesu, cujus natalis dies recolitur decimo octavo Kalendis Septembris. Sancti Didáci, etc.
DIE XIV. Décimo octávo Kaléndas Decémbris, Luna *N.*
Sancti Didáci, Conf., de quo ágitur Idibus Novémbris.
DIE XVI. Décimo sexto Kaléndas Decémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Festum sancti Evodii, Episcopi, qui Cathedram ab urbe Vetula ad montem Anicium asportavit ibique Ecclesiam beatæ Mariæ Virgini ædificavit, et omnium Sanctorum Diœcesis Aniciensis Antistitum.
DIE XVII. Quinto décimo Kaléndas Novémbris, Luna *N.*
Neocesáreæ, in Ponto, natális sancti Gregórii, (ut in Martyrologio); *Calmeliaci, in Diœcesi Podiensi Translatio Reliquiarum sancti Theofredi, Mart.* In Palæstína, sanctórum, etc.
DIE XVIII. OMNIA UT IN MARTYROLOGIO ROMANO, SED POST ENUNTIATAM DEDICATIONEM BASILICARUM SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI, IMMEDIATE SUBJUNGATUR ELOGIUM SANCTI ODONIS; *Turonis, Transitus beati Odonis, Cluniacensis.* Antióchiæ, etc.
DIE XX. Duodécimo Kaléndas Decémbris, Luna *N.*
Sancti Felícis de Valois, Confessóris. *Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Commemoratio sancti Eudonis, Abbatis, qui primus Calmeliacense rexit monasterium, ibidemque sancto fine quievit.* Messánæ, etc.
DOMINICA INTRA OCTAVAM OMNIUM SANCTORUM, aut prima die libera, si Festum omnium Sanctorum sit Dominica. (*Kal. N., Luna* N.)
Festum SS. Reliquiarum.
DOMINICA POST OCTAVAM OMNIUM SANCTORUM (Kal. *N.*, Luna *N.*)
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, sancti Georgii, Episcopi,

qui a beatissimo Apostolorum principe, cum sancto Frontone, missus in Galliam, Vellaviam attigit, ibique fundavit Ecclesiam, et multa passus pro Christo, migravit ad coronam.

DOMINICA SEQUENTI. Kal. *N.*, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Oct. S. Georgii, Episcopi.

DECEMBER.

DIE I. Kaléndis Decémbris, Luna *N.*
Podii sanctæ Mariæ, in Gallia, Solemnitas Liberationis ejusdem urbis ab hæreticis aliisque divinæ vindictæ flagellis.

¶ In Indulto Apostolico. 16 Sept. 1857, concedere dignatus est sanctissimus Dominus, ut Festa affixa quibusdam certis Dominicis vel Feriis transferri queant ad primas insequentes dies liberas, quoties juxta decreta designatæ sedes impeditæ occurrerint; modo tamen officia instrumentorum et mysteriorum Dominicæ Passionis a Feria III post Septuagesimam, in Quadragesima, quibusdam determinatis Feriis affixa, non transferantur ultra Quadragesimam.

Matutinum inchoari potest pro die sequenti, juxta Tabulam Romæ editam ad horologium gallicum accommodatam:

P. AUT.	
1 Septembris.	3 cum quadrante.
24 Septembris.	3
13 Octobris	2 cum tribus quadrantibus.
20 Octobris.	2 cum dimidia.
18 Novembris.	2 cum tribus quadrantibus.

Si qui autem Ecclesiastici viri, in Diœcesi Aniciensi, gravi legitimaque causa impediti fuerint quominus in recitatione Breviarii Romani, horam a Rubricis præscriptam ad amussim expectent, SANCTISSIMUS DOMINUS concedere dignatus est Episcopo Aniciensi quatenus eos dispensare possit, ut Matutinum cum Laudibus ad horam secundam pomeridianam anticipare valeant, his tamen sub conditionibus expresse ET ABSOLUTE REQUISITIS nempe 1° Quod dispensatio hæc non concedatur nisi sigillatim postulantibus et justam causam proferentibus; et 2° quod ea obtenta non utantur nisi eadem causa persistente. *Ex Indult. Ap.* 10 *Sept.* 1857.

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS ANICIENSIS
PARS AUTUMNALIS.

FESTA FIXA
CERTIS DIEBUS MENSIS.

MENSE SEPTEMBRI.

DIE I.
S. JOSEPHI CALASANCTII, CONFESSORIS.

E die 27. Aug.

Duplex.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

I. Vesp. a Capit. de eo.

ORATIO.

Deus, qui per sanctum Josephum, Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es: præsta, quæsumus, nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docére; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Commemorat. præced., tum S. Ægidii, Abb., et SS. Duodecim Fratrum, Martyrum, ut in Breviario, p. 288.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Josephus Calasánctius a Matre Dei, Petráltæ in Aragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúræ in púeros charitátis et eórum institutiónis indícia præbuit: nam adhuc párvulus eos ad se convocátos in mystériis fídei et sacris précibus erudiébat. Humánis divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis theológicis Valéntiæ óperam daret, nóbilis potentísque fœminæ illécebris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inoffénsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a

complúribus Epíscopis in Castéllæ Novæ, Aragóniæ, et Cataláuniæ regnis in partem labóris adscítus, expectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, Ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis, cruentísque factiónibus mirífice extínctis. At cœlésti visióne et Dei voce frequénter admónitus, Romam proféctus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO V.

In Urbe summa vitæ asperitáte, vigíliis et jejúniis corpus affligens, in oratiónibus et cœléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis Ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus: quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum, aut carcéribus deténtos, eleemósynis omníque pietátis offício subleváret. Lue Urbem depopulánte, una cum sancto Camíllo, tanto fuit actus ímpetu charitátis, ut præter subsídia ægrótis paupéribus large colláta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset se ad informándos intelligéntiæ ac pietátis spíritu adolescéntulos, præcípue páuperes, destinári, Ordinem clericórum Regulárium páuperum Matris Dei scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio Institúto profiteréntur: ipsúmque Ordinem a Cleménte Octávo, a Paulo Quinto aliísque Summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európæ províncias et regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot ærúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis, et sancti Jobi exémplum dicerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad.

LECTIO VI.

Quamvis Ordini univérso præésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, numquam tamen intermísit púeros, præsértim pauperióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summæ patiéntiæ et humilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos et quinquagínta annos

perseverávit : dignus proptérea, quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiátis, prophétia, ábdita córdium et abséntia cognoscéndi donis, et miráculis clarus, Deíparæ Vírginis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque Cœlitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, et Ordinis tunc prope evérsi restitutiónem atque increméntum prænuntiásset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor et lingua post sæculum íntegra et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto Décimo Quarto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Cleménte Décimo Tértio inter Sanctos solémniter est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam, * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 18.

In illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cœlórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In cap. 18. *Matth. Hom.* 60.

Videte, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper aspíciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas decipiéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his qui curam eórum suscípiunt; idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

LECTIO VIII.

DOMINUM ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília vilíaque nímium vidéntur; sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur: tanto enim stúdio tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepérceril.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et.

Lectio IX. de S. Ægidio, Abbate, ut in Brev., prima die Septembris, p. 288.

In Laud. Comm. S. Ægidii, Abb., et SS. Duodecim Fratrum Martyrum, p. 288.

In II. Vesp. Comm. seq. in in Brev., p. 289.

DIE III.

SANCTI AUGUSTINI,

EPISCOPI, CONFESSORIS ET DOCT.

Duplex.

E die 28. Aug.

De Comm. Conf. Pont. Vesp. de eo cum Comm. præced., ut in Brev., p. 289.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

In utrisque Vesperis Ant. O Doctor, *in Breviario*, p. 279.

ORATIO.

ADESTO supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus, et quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno, Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO I. *Cap.* 39.

SAPIENTIAM ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum Géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. Euge, serve bone et fidélis: quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. Intra.

LECTIO II.

COR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet

os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Augustinus, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus, ac puer docilitáte ingénii æquáles longe súperans, brevi ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens, dum esset Carthágine, in Manichæórum hæresim íncidit. Póstea Romam proféctus, inde Mediolánum missus ut rhetóricam docéret, cum ibi frequens Ambrósii Epíscopi esset audítor, ejus ópera incénsus stúdio Cathólicæ fídei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizátur. Revérsus in Africam, cum religióne vitæ sanctimónium conjúngens, a Valério, notæ sanctitátis Epíscopo Hipponénsi, Présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit Religiosórum, quibúscum victu commúni eodémque cultu utens, eos ad Apostólicæ vitæ doctrinæque disciplínam diligentíssime erudiébat. Sed cum vigéret Manichæórum hæresis, veheméntius in illam ínvehi cœpit, Fortunatúmque hæresiárcham confutávit.

℟. Invéni David, servum meum : óleo sancto meo unxi eum; * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

LECTIO V.

Hac Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit Episcopális offícii. Nihil illo fuit humílius, nihil continéntius. Lectus ac vestítus moderátus, vulgáris mensa, quam semper sacra vel lectióne vel disputatióne condiébat. Tanta benignitáte fuit in páuperes, ut, cum non esset ália facúltas, sacra vasa frángeret ad eórum inópiam sustentándam. Fœminárum, et in eis soróris, et fratris fíliæ, contubérnium familiaritatémque vitávit, quippe qui díceret, etsi propínquæ mulíeres suspéctæ non essent, tamen quæ ad eas ventitárent, posse suspiciónem effícere. Nullum finem fecit prædicándi Dei verbum, nisi gravi morbo opréssus. Hæréticos perpétuo insectátus, et coram, et scriptis, ac nullo loco passus consístere, Africam a Manichæórum, Donatistárum, Pelagianórum, aliorúmque prætérea hæreticórum erróre magna ex parte liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea; * Manus enim

mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum : óleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI.

TAM multa pie, subtíliter, et copióse scripsit, ut Christiánam doctrínam máxime illustrárit. Quem in primis secúti sunt, qui póstea theológicam disciplínam via et ratióne tradidérunt. Wándalis Africam bello vastántibus, et Hippónem tértium jam mensem obsidéntibus, in febrim íncidit. Itaque cum discéssum e vita sibi instáre intellígeret, Psalmos David, qui ad pœniténtiam pértinent, in conspéctu pósitos profúsis lácrymis legébat. Solébat autem dícere néminem, etsi nullíus scéleris sibi cónscius esset, commíttere debére ut sine pœniténtia migráret e vita. Ergo sénsibus íntegris, in oratióne defíxus, astántibus frátribus, quos ad charitátem, pietátem, virtutésque omnes erat adhortátus, migrávit in cœlum. Vixit annos septuagínta sex, in Episcopátu ad trigínta sex. Cujus corpus primum in Sardíniam delátum, deínde a Luitprándo, Longobardórum rege, magno prétio redémptum, Ticínum translátum est, ibíque honorífice cónditum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

Ad Laud. et Vesp. de Comm. Conf. Pont., p. lxj.

DIE IX.

SANCTI PETRI,

ABBATIS.

Duplex.

E Comm. Conf. non Pont.
Pridie Comm. de eo.
Oratio Intercéssio nos, *p.* lxxiij.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

PETRUS ex illústrium prosápia Arvernórum natus in território Langeacénsi, ab ipso juventútis exórdio, mundi illecébras vitáre, pietátem excólere et seípsum hóstiam vivam, Deo placéntem ófferens, templum Spíritus sancti ædificáre cœpit. Cum autem grátiæ stímulo indesinénter ad proféctum excitarétur, et illud Evangélicum assídue secum revólveret : Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus, omni terrenórum afféctu depósito, solum sitíre Deum, solum sápere Christum visus est. Igitur in omni bonitáte et sanctitáte factus conspícuus, et ómnium virtútum refértus insígniis, máximo clericórum et pópuli asséensus, óppidi Langeacénsis Archiprésbyter eléctus est.

LECTIO V.

Hoc in offício, pietátis, sobrietátis, justítiæ, sanctimóniæ et castitátis studiosíssimum se præbuit, Domínicum sacrifícium quotídie magno divíni fervóris æstu célebrans et subditórum curam, tamquam spiritális pater, omni vigilántia gerens. Omnibus enim animárum próvidens necessitátibus, et salútis lucrum toto mentis ardóre procuráre géstiens, per bona spirituália ad ipsa étiam temporália perducébat quæ regnum Dei primum quæréntibus Christus adjiciénda promísit. Ipse autem collóquiis divínis et psalmódiæ ádeo erat déditus, ut, si quando inter ambulándum sócios itíneris habéret, illos anteíre sólitus, psalmódiam numquam interrúmperet.

LECTIO VI.

Ad perfectiórem vitam anhélans, Deo inspiránte, secéssit in locum solitárium, nómine Piperácum, antíquitus beátæ Vírgini Dei genitríci Maríæ dedicátum, ubi templum sub ipsíus nómine Deo condi curávit; et præsulis sui, qui tunc erat Claromonténsis Epíscopus, consílio, sumpsit hábitum canonicórum sub régula sancti Augustíni vivéntium. Hujus cœnóbii fundaménta jecit anno post millésimum sexagésimo círciter secúndo. Tandem sénio conféctum et in divínis láudibus perseverántem Dóminus fámulum suum ad se revocávit, ipso die Nativitátis beátæ Maríæ, cui devotíssimus erat, anno post millésimum octogésimo. Multis sive per vitam sive per mortem cláruit miráculis, ejus autem corpus et vestis pluviális Piperáci Diœcésis Aniciénsis religióse servántur.

In III. Noct. Homilia in Evang. Ecce nos, *pro Abbat., primo loco. IX. Lectio de S. Gorgonio, in Brev.,* p. 303.

Ad Laud. Comm. Oct. et S. Gorgonii, p. 298.

DIE XI.

SANCTI MARCELLI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Duplex.

E Comm. unius Mart.

Pridie Vesp. a Cap. de eo.

Orat. Deus, qui nos beáti, *secundo loco.*

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Cum váriæ Ecclésiæ Galliárum suos colant Marcéllos sanctitáte claros quos habuére Epíscopos, suum quoque colit Marcéllum Aniciénsis Ecclésia, quem tamen epíscopum non hábuit, licet epíscopus esset, sed cujúsnam civitátis incértum. Cum enim iter ágeret, illum rústici quidam religiónis christiánæ ódio, in Aniciénsi território comprehendérunt, et male mulctátum ad ulmum quamdam Anício vicínam dedúxérunt, sub cujus tégmine

cápite truncátus est. Cum autem sepúlchrum ejus innúmeris illustrarétur miráculis, in ipsíus passiónis loco, templum sancto Mártyri fidéles ædificárunt, quod bellórum mótibus evérsum, deínde angustióri forma reparátum rursus in Galliárum miseránda sæculi décimi octávi perturbatióne dírutum est.

Lect. V. *et* VI. *e Comm. unius Mart., secundo loco, de Expositione sancti Ambrosii* Príncipes, *p.* xxxij.

In III. Noct. Hom. S. Gregorii, in Evang. Si quis vult, *secundo loco,* p. xxxiij. *IX. Lect. de SS. Proto et Soc., ut in Brev.*. p. 307.

In Laud. Commem. Oct. et SS. Mart.

In II. Vesp. Comm. Oct.

DIE XVIII.

IN FESTO S. JOSEPHI A CUPERTINO.

COMMEMORATIO SANCTI FERREOLI, MARTYRIS.

E Comm. unius Mart.

Orat. Præsta, *secundo loco,* p. xxx.

Ex S. Gregório Turonénsi.

Lib. de passione virtut. et gloria S. Juliani, Mart.

LECTIO IX.

Ferreolus témpore Crispíni consuláris jam Christi miles, at necdum prodítus offício tribunítiæ potestátis, hábitu non corde, spécie non afféctu, apud Viennénsem urbem fungebátur. Sanctus Juliánus ætáte jam adúltus, colléga mox futúrus in cœlo, providéntia divína solátium præbébat in sæculo. Si enim ínvicem in contubérnio milítiæ temporális constitúti, plus fídei stúdio quam militári diligébant ampléxus, et inter labóres públícos sanctórum societátem fidélibus vínculis sacra diléctio nexúerat. Quos autem sociáverat cháritas sociávit et martyrium. Cum enim Juliánus Briváte apud Arvérnos propter Christum decollátus esset, paulo post et Ferreólus jussu Crispíni impiíssimi præsidis, primo crudelíssime verberátur, deínde gravi catenárum póndere onústus, in tetérrimum cárcerem trusus est; unde solútis Dei nutu vínculis et jánuis cárceris patefáctis éxiens, ab insequéntibus íterum captus martyrii palmam percépit. Sancti Mártyris relíquiæ una cum cápite sancti Juliáni cónditæ, póstea a sancto Mamérto, Viennénsi Epíscopo invéntæ sunt; quarum partículas possidére gloriántur plures Diœcesis Aniciénsis paróchiæ ipsíus patrocínio insignítæ.

DIE XIX.

SANCTI THEOFREDI,

ABBATIS ET MARTYRIS.

Duplex.

De Comm. unius Mart. Pridie Comm. de eo.

ORATIO.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus cui cuncta famulántur eleménta, intercedénte pro nobis beáto Theofrédo, Mártyre tuo: exáudi propítius oratiónes nostras, et tríbue nobis misericórdiam tuam ut quæcúmque præcipis ut agámus ipse ádjuves, ut implére póssimus. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

THEOFREDUS Aráusicæ natus a Leufrédo patre, qui provínciæ præfectúram gerébat, óptime educátus, adhuc puer, rerum cœléstium contemplatióni déditus, cadúcas mundi delícias propter Christum calcáre decrévit, ægre ádmodum consentiénte patre, adhæsit Eudóni pátruo suo, Calmeliacénsis monastérii primo Abbáti. Sub ejus regímine vitam monásticam ampléxus, ita virtútum ómnium laude flóruit, ut Eudóne mórtuo ipse, magno monachórum plausu, monastério præféctus fúerit.

LECTIO V.

AD fratrum gubernatiónem vocátus Theofrédus, eo in múnere óptimi pastóris partes implévit. Muliéribus áditus Basílicæ interdíxit, nihilque negléxit ut sua reguláris disciplínæ servarétur intégritas, cum Saracéni ferro et flamma cuncta devastántes Veláuniam occupássent, suis ómnibus ut in vicínam sylvam se recíperent imperávit, ipse furéntium hóstium ímpetum solus intrépide expéctans, quem præ fóribus Ecclésiæ prostrátum cum inveníssent, verbéribus gráviter cæsum semiánimem reliquérunt, ínterim ad nefándos ritus properántes.

LECTIO VI.

HOC in extrémo perículo impávidus Theofrédus vires cólligens Saracénos inséquitur superstitiósum cultum íncrepans, qui in rábiem versi in sanctum Abbátem írruunt et lethálibus sáuciant vulnéribus. His conféctus Theofrédus, paucis post diébus, décimo scílicet quarto Kaléndas Novémbris, inter discipulórum manus invíctum ánimum Deo réddidit, anno ætátis suæ, ut créditur, nonagésimo, a partu autem virgíneo septingentésimo trigésimo secúndo.

In III. Noct. Homilia Si

quis venit ad me, *primo loco*, p. xxviij.

DIE XXI.

SS. URSULÆ ET SOCIARUM,

VIRGINUM ET MARTYRUM.

Duplex.

A Capit. e Comm. Virg. et Mart. Orat. Da nobis, *Comm. præc. et S. Hilarionis, Abb., ut in Brev.*, p. 409.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ursulam et plúrimas ejus Sócias Britónes fuísse, vetus et constans tradítio profértur. Quod forte pátria tentarétur ab Anglis et Saxónibus aliísque e septentrióne prædónibus, éxiit e terra sua beátum agmen, eo fere témpore quo plures sacerdótes ac clérici, multíque álii viri e Británnia migrántes, líttora Armóricæ petébant, per Rheni óstia in Germániam secúndam venérunt Ursula et Sóciæ ejus, et Colóniæ Agrippínæ resedérunt, ubi pietátem aliquámdiu coluérunt, cæterásque virtútes quæ sponsas Christi vírgines decent. Dum autem, ut diligentíssimus Sigebértus auctor est, illic dégeret, Attila dux Hunnórum Rhenum tránsiens in Gállias prærúpit ruínis et terróre ubíque sparsis. Inter bellórum turbas atque excídia úrbium, stragésque cívium, Colóniam quæ véterum valló-rum munitióne et Rheni flúvio validíssimum castrum adhibebátur confúgerant plures sancti præsules multíque viri ac mulíeres íbidem vitæ ac bonis præsídium quæsitúri; at frustra, cum intra annum quadringentésimum quinquagésimum primum Hunnórum petulántiam et feritátem bis expérti sint. Nec quíspiam unquam díxerit quam atrócia pertulére mala. Quod álibi patrátum scriptóres coævi tradidérunt id quoque Colóniæ factum : pópulus in ore gládii trucidátus, sacerdótes Dómini ante altária ferro peremípti. Sed ut nulla in his tempóribus acérbior, sic étiam nulla gloriósior pássio fuit quam sanctæ Ursulæ et innumerabílium vírginum quæ cum ómnia pótius parátæ essent subíre torménta quam pudicítiæ detriméntum fácere, sagíttis demum transfíxæ sunt.

LECTIO V.

Postquam vero abiérunt bárbari Coloniénses, beatárum Mártyrum ossa pretiósa collegérunt : nec diu post, in agro ubi quies illis fúerat data, Basílicam ædificárunt quæ jam médio sæculo séptimo Ecclésia Sanctárum vírginum dicebátur : et sæculo nono monastérium facta, ut pléraque Basílicæ cœmeteriáles, incolebátur a moniálibus. Máximo número fuísse sanctæ Ursulæ sodáles non ullo témpore dubitátum est, jam sæculo nono Wandelbértus vicíni Prumiénsis mo-

nastérii Abbas testátus est numerósa trophæa virgíneis manipulis erécta, ad Rheni líttora in Agrippínæ urbe fulgére, atque olim ab ímpio furóre ínclyta míllia, ductrícibus sanctis, mactáta fuísse. Sæculo vero ineúnte décimo Wícfridus Coloniénsis Archiepíscopus prædícto sanctimoniálium cœnóbio multa bona trádidit propter reveréntiam úndecim míllium sanctárum vírginum ínibi requiescéntium. Non omnes quidem virginitátis corónam meruísse mártyres Coloniénses compértum est, síquidem plúrimi viri ac mulíeres his accenseántur. Sed cum Ursula et Sóciæ ejus laudem cæterórum, qui pro asseréndа fide vel pietáte tuénda sánguinem profudérunt, splendóre certáminis superássent, univérso ágmini virgíneum suum candórem noménque invidérunt.

LECTIO VI.

Eminuere ab antíquis sæculis sancti complúres in coléndis beátis virgínibus martyribus. Dum in eárum Ecclésia sacra operarétur sanctus Cunibértus, qui médio sæculo séptimo sedem tenébat Coloniénsem, colúmba prius in vértice beáti Antístitis deínde in sepúlchro uníus vírginis considére visa est. Sanctum Hoziánum regem Scotórum et sanctum Audoénum Rhotomagénsem Archiepíscopum ad Mártyrum sanctárum túmulos peregrinatiónem suscepísse; nec non sanctum Willebrórdum apóstolum Frisónum, una cum sanctis Adalbérto et Werenfrído, óperam dedísse in elevándo córpore beátæ Cúnero uníus e virgíneo sodalítiæ jam pridem lítteris consignátum est. At pietáte in sanctas vírgines prælúxit ómnibus sanctus Anno Coloniénsis Archiepíscopus, cui in more pósitum erat síngulis fere nóctibus eárum adíre altária, íbique férvidas effúndere preces. Nec eas negléxit sanctus Norbértus, qui ipse Colóniam véniens, corpus uníus vírginis cum áliis relíquiis Præmonstrátum transferéndum curávit. Sed et sacra beatárum Mártyrum pígnora plúrimas Galliárum Ecclésias ditavérunt. Inter eas præcípue nominánda est non solum Ecclésia Collégii Sorbónici Parisiénsis, quæ Ursulæ patrocínio consecráta duo sanctárum Mártyrum cápita in sacrário suo diu honestíssime servávit, sed et Ecclésia Cathedrális beátæ Maríæ Aniciénsis, quæ unum ex his sacris pignóribus possidére se gloriabátur ab urbe Coloniénsi anno décimi quarti sæculi trigésimo quarto sibi dono datum. Tandem in his últimis sæculis novum beátæ Ursulæ et Sociábus decus áddidit sancta Angela Merícia, quæ novam vírginum societátem instítuens, invíctæ tot vírginum ducis patrocínio ac nómine insigníri vóluit.

In III. Noct. Lect. e Comm. Virg., primo loco. Lect. IX. de S. Hilarione, Abb., e Breviar., p. 410, *e duabus una, cujus Comm. in Laud.*

DIE XXII.

S. PETRI DE ALCANTARA, CONFESSORIS.

Duplex.

[*E die* 19. *hujus*), *e Comm. Conf. non Pont., ut in Brev.,* p. 405.

Pridie Vesp. a Cap. de eo cum Comm. præced.

ORATIO.

Deus, qui beátum Petrum, Confessórem tuum, admirábilís pœniténtiæ et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre, dignátus es : da nobis, quæsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facílius cœléstia capiámus. Per Dóminum.

Ad Matut., in Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Petrus, Alcántaræ in Hispánia, nobílibus paréntibus natus, a téneris annis futúræ sanctitátis indícia præbuit. Décimo sexto ætátis anno Ordinem Minórum ingréssus, se ómnium virtútum exémplar exhíbuit. Tum munus concionatóris ex obediéntia exércens, innúmeros a vítiis ad veram pœniténtiam tradúxit. Primævum sancti Francísci Institútum exactíssime reparáre cúpiens, ope divína fretus, et Apostólica munítus auctoritáte, angustíssimum et paupérrimum cœnóbium juxta Pedrósum fundávit : quod vitæ genus aspérrimum, ibi felíciter cœptum, per divérsas Hispániæ províncias, usque ad Indias mirífice propagátum fuit. Sanctæ Terésiæ, cujus probáverat spíritum, in promovénda Carmelitárum reformatióne adjútor fuit. Ipsa autem a Deo edócta, quod Petri nómine nihil quisquam péteret, quin prótinus exaudirétur, ejus précibus se commendáre, et ipsum adhuc viféntem Sanctum appelláre consuévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

LECTIO V.

Principum obséquia, qui ipsum velut oráculum consulébant, summa humilitáte declínans, Cárolo Quinto imperatóri a confessiónibus esse recusávit. Paupertátis rigidíssimus custos, una túnica, qua nulla detérior esset, conténtus erat. Puritátem ita cóluit, ut a fratre, in extrémo morbo sibi inserviénte, nec léviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpétuis vigíliis, jejúniis, flagéllis, frígore, nuditáte, atque omni génere asperitátum in

servitútem redégit, cum quo pactum iníerat, ne ullam in hoc sæculo ei réquiem præbéret. Cháritas Dei et próximi in ejus corde diffúsa tantum quandóque excitábat incéndium, ut e cellæ angústiis in apértum campum prosilíre, aerísque refrigério concéptum ardórem temperáre cogerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

LECTIO VI.

Gratia contemplatiónis admirábilis in eo fuit, qua cum assídue spíritus reficerétur, intérdum áccidit, ut ab omni cibo et potu plúribus diébus abstinúerit. In áera frequénter sublátus, miro fulgóre coruscáre visus est. Rápidos flúvios sicco pede trajécit. Fratres in extréma penúria, cœlitus deláta alimónia, cibávit. Báculus ab ipso terræ defíxus, mox in víridem ficúlneam excrévit. Cum noctu iter ágeret, densa nive cadénte, dirútam domum sine tecto ingréssus est, eíque nix, in áere péndula, pro tecto fuit, ne illíus cópia suffocarétur. Dono prophétiæ, ac discretiónis spiríttuum imbútum fuísse sancta Terésia testátur. Dénique annum agens sexagésimum tértium, hora qua prædíxerat, migrávit ad Dóminum, mirábili visióne, Sanctorúmque præséntia confortátus. Quem eódem moménto in cœlum ferri beáta Terésia procul distans vidit : cui póstea appárens dixit : O felix pœniténtia, quæ tantam mihi proméruit glóriam ! Post mortem vero plúrimis miráculis cláruit, et a Cleménte Nono Sanctórum número adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam, * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

DIE XXIII.

SS. REDEMPTORIS.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Virgam virtútis suæ emíttet Dóminus ex Sion, et regnábit in sæculum sæculi.

Ps. Dixit, *Dom. ad Vesp.*, p. 121.

Ant. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo : mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Ps. Confitébor, *Ibid.*, p. 121.

Ant. Misericórdia mea et refúgium meum Dóminus : suscéptor meus et liberátor meus.

Ps. Crédidi, *Fer. II. ad Vesp.*, p. 125.

Ant. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.

Ps. De profúndis, *Fer. III. ad Matut.*, p. 58.

Ant. In quacúmque die invocávero te, exáudies me : multiplicábis in ánima mea virtútem.

Ps. 137. Confitébor... quóniam, *Fer. VI. ad Vesp.* p. 136.

CAPITULUM. *Tob.* 3.

Benedictum nomen tuum, Deus patrum nostrórum, qui, cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his qui ínvocant te.

HYMNUS.

Creator alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Jesu, Redémptor ómnium,
Inténde votis súpplicum.
Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad crucem
E Vírginis sacrário
Intácta prodis víctima :
Cujus potéstas glóriæ
Noménque cum primum sonat,
Et cœlites et ínferi
Treménte curvántur genu :
Qui dæmonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es :
Te deprecámur, últimæ
Magnum diéi júdicem :
Armis supérnæ grátiæ
Defénde nos ab hóstibus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Ant. Salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum, allelúia.

Oratio ut in Laud. Comm. præced.

AD MATUTINUM.

Invit. Redemptórem sæculórum, ipsum Regem Angelórum, * Adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

HYMNUS.

Rerum Creátor óptime,
Rectórque noster, áspice :
Nos a quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera.
Mentes manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúsque gestis cénsuit,
Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus :
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt, *I. Noct. Dom.*, p. 4.

Ant. Dómine, Dóminus no-

ster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalm. Dómine, Dóminus noster, *I. Noct. Dom.*, p. 5.

Ant. Dóminus in templo sancto suo : Dóminus in cœlo sedes ejus.

Psalm. In Dómino confído, *I. Noct. Dom.*, p. 7.

℣. Rédime me, Dómine, et miserére mei. ℟. In Ecclésiis benedícam te, Dómine.

De Isaía Prophéta.

LECTIO I. *Cap.* 51.

Audite me, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum : atténdite ad petram unde excísi estis, et ad cavérnam laci de qua præcísi estis. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruinas ejus : et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus, quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis. Atténdite ad me, pópule meus, et tribus mea, me audíte : quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiéscet. Prope est Justus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt: me ínsulæ expectábunt, et bráchium meum sustinébunt.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum, et plena erat omnis terra majestáte ejus; * Et ea quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Seraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri. Et.

LECTIO II.

Levate in cœlum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum : quia cœli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut hæc interíbunt : salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea non defíciet. Audíte me, qui scitis justum, pópulus m us, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorábit eos tínea : salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum.

℟. Aspíce, Dómine, de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína, Deus meus, aurem tuam, et audi : * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

LECTIO III.

Consurge, consúrge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini : consúrge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus sæculórum. Numquid non tu percussísti supérbum, vulnerásti dracónem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis : qui posuísti profúndum maris viam, ut trans-

írent liberáti? Et nunc qui redémpti sunt a Dómino, reverténtur, et vénient in Sion laudántes, et lætítia sempitérna super cápita eórum, gáudium et lætítiam tenébunt, fúgiet dolor et gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos : quis tu, ut timéres ab hómine mortáli et a fílio hóminis, qui quasi fœnum ita aréscet? Et oblítus es Dómini, Factóris tui, qui teténdit cœlos, et fundávit terram; et formidásti júgiter tota die a fácie furóris ejus, qui te tribulábat, et paráverat ad perdéndum : ubi nunc est furor tribulántis? Cito véniet grádiens ad aperiéndum, et non interfíciet usque ad interneciónem, nec defíciet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et júdicas æquitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne, * Quia tu solus labórem et dolórem consíderas. ℣. Tibi enim derelíctus est pauper : pupíllo tu eris adjútor. Quia. Glória. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

Ps. Exáudiat, *III. Noct. Dom.*, p. 14.

Ant. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salútes Jacob.

Ps. Dómini est, *Fer. II. ad Primam*, p. 29.

Ant. Immola Deo sacrifícium laudis, et redde Altíssimo vota tua.

Ps. Deus noster refúgium, *Fer. III. ad Matut.*, p. 63.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Sermo sancti Leónis, Papæ.

Sermo. 1. de Jejunio decimi mensis et collectis.

LECTIO IV.

Si fidéliter, dilectíssimi, atque sapiénter creatiónis nostræ intelligámus exórdium, inveniémus hóminem ídeo ad imáginem Dei cónditum, ut imitátor sui esset Auctóris : et hanc esse naturálem nostri géneris dignitátem, si in nobis, quasi in quodam spéculo, divínæ benignitátis forma respléndeat. Ad quam quotídie nos útique réparat grátia Salvatóris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in secúndo. Causa autem reparatiónis nostræ non est, nisi misericórdia Dei, quem non diligerémus, nisi prius nos ipse dilígeret, et ténebras ignorántiæ nostræ, suæ veritátis luce discúteret.

℟. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear : * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exultávit lingua mea. ℣. Dóminus Pars hæreditátis meæ et cálicis mei. Propter.

LECTIO V.

Diligendo ítaque nos Deus, ad imáginem suam nos ré-

parat : et ut in nobis formam suæ bonitátis invéniat, dat unde ipsi quoque, quod operátur, operémur, accéndens scílicet méntium nostrárum lucérnas, et igne nos suæ charitátis inflámmans, ut non solum ipsum, sed étiam quidquid díligit, diligámus. Nam si inter hómines ea demum firma amicítia est, quam morum similitúdo sociárit, cum tamen parílitas voluntátum sæpe in réprobos tendat afféctus, quantum nobis optándum, atque niténdum est, ut in nullo ab iis, quæ Deo sunt plácita, discrepémus? De quo dicit Prophéta : Quóniam ira in indignatióne ejus, et vita in voluntáte ejus : quia non áliter nobis erit dígnitas divínæ majestátis, nisi imitátio fúerit voluntátis.

℟. Apud Dóminum misericórdia, * Et copiósa apud eum redémptio. ℣. Húmiles spíritu salvábit. Et.

LECTIO VI.

Dicente ítaque Dómino : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et díliges próximum tuum sicut teípsum, suscípiat fidélis ánima auctóris sui atque rectóris immarcescíbilem charitátem, totámque se étiam ejus subjíciat voluntáti, in cujus opéribus atque judíciis nihil vacat a veritáte justítiæ, nihil a miseratióne cleméntiæ. Quóniam etsi magnis quis labóribus et multís fatigétur incómmodis, bona est illi causa tolerándi, qui se advérsis vel córrigi intélligit, vel probári.

℟. Rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * Et Deus excélsus Redémptor eórum est. ℣. Et pavit eos in innocéntia cordis sui. Et. Glória Patri. Et.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ego autem ad Deum clamávi, et Dóminus salvábit me.

Ps. 60. Exáudi, *Fer IV. ad Matut.*, p. 73.

Ant. Deus meus, Salvátor meus, salutáre meum, et spes mea in ætérnum.

Ps. Confitébimur, *Fer. V. ad Matut.*, p. 85.

Ant. Protéctor noster, áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui.

Ps. Quam dilécta, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 96.

℣. Notam fecísti in Géntibus virtútem tuam. ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 3.

In illo témpore : Dixit Jesus Nicodémo : Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Ex Tract. 12. *in cap.* 3. *Joan.*

Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui de cœlo descéndit. De-

scéndit enim, et mórtuus est, et ipsa morte liberávit nos a morte: morte occísus, mortem occídit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diáboli invídiam intrávit in mundum. Deus mortem non fecit. Scriptúra lóquitur: Nec lætátur, inquit, in perditióne vivórum; creávit enim ut essent ómnia. Sed quid ibi ait? Invídia autem diáboli mors intrávit in orbem terrárum. Ad mortem a diábolo propinátam non veníret homo vi adáctus; non enim cogéndi poténtiam diábolus habébat, sed persuadéndi versútiam. Si non consentíres, nihil invéxerat diábolus; consénsio tua, o homo, te perdúxit ad mortem. A mortáli mortáles nati, et ex immortálibus mortáles facti. Ab Adam omnes hómines mortáles; Jesus autem Fílius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, únicus, æquális Patri, mortális factus est, quia Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Si ergo mortem suscépit, et mortem suspéndit in cruce, de ipsa morte liberántur mortáles. Quod in figúra factum est apud antíquos, commemorávit illud Dóminus.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es: hæréditas mea Israel. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in hæreditátem. Quem Dóminus.

LECTIO VIII.

Et sicut, inquit, Móyses exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis. Quis est serpens exaltátus? Mors Dómini in cruce. Quia enim a serpénte mors, per serpéntis effígiem figuráta est mors. Morsus serpéntum lethális, mors Dómini vitális. Atténditur serpens, ut nihil váleat serpens. Quid est hoc? Atténditur mors, ut nihil váleat mors. Sed cujus mors? Mors vitæ. Nonne vita Christus? Et tamen mórtuus est Christus.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omni terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus, et hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

LECTIO IX.

Interim modo, fratres, ut a peccáto sanémur, Christum crucifíxum intueámur: quia sicut Móyses, inquit, exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Quómodo qui intuebántur illum serpéntem, non peribant mórsibus serpéntum: sic, qui intuéntur fide mortem Christi, sanántur a mórsibus peccatórum. Sed illi

sanabántur a morte ad vitam temporálem : hic autem ait, Ut hábeant vitam ætérnam. Hoc enim ínterest inter figurátam imáginem et rem ipsam : figúra præstábat vitam temporálem; res ipsa, cujus illa figúra erat, præstat vitam ætérnam.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Cantáte Dómino, * quóniam magnífice fecit : annuntiáte hoc in univérsa terra.

Psalmi de Dom. p. 16.

Ant. Ecce Deus * Salvátor meus : fiduciáliter agam, quia factus est mihi in salútem, allelúia.

Ant. Hauriétis aquas * in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Ant. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus.

Ant. Exúlta * et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui sanctus Israel.

CAPITULUM. *Tob.* 3.

Benedictum nomen tuum, Deus patrum nostrórum : qui, cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his qui ínvocant te.

HYMNUS.

Salutis humánæ Sator,
Jesu, volúptas córdium,
Orbis redémpti Cónditor,
Et casta lux amántium,

Qua victus es cleméntia,
Ut nostra ferres crímina,
Mortem subíres ínnocens,
A morte nos ut tólleres?

Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sárcias,
Tuíque vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne et progénie.

Ad Bened. Ant. Ecce Deus noster iste : expectávimus eum, et salvábit nos : sustinúimus eum : exultábimus, et lætábimur in salutári ejus, allelúia.

ORATIO.

Deus, qui Unigénitum tuum, mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde; ut hæc benefícia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhærére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui redemísti mundum.

AD TERTIAM.

Ant. Ecce Deus.
Capit. Benedíctum nomen.
℟. *br.* Rédime me, Dómine

* Et miserére mei. Rédime. ℣. In Ecclésiis benedícam te, Dómine. Et. Glória. Rédime.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

AD SEXTAM.

Ant. Hauriétis aquas.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 1.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio.

℟. *br.* Meménto nostri, Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Meménto. ℣. Vísita nos in salutári tuo. In. Glória Patri. Meménto.

℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD NONAM.

Ant. Exúlta.

CAPITULUM. *Apoc.* 4.

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem, quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum.

℟. *br.* Notam fecísti in pópulis * Virtútem tuam. Notam. ℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Virtútem. Glória Patri. Notam.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne et progénie.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Ad Magnif. Ant. Regnum tuum, regnum ómnium sæculórum, et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem, allelúia.

Oratio Deus, qui., *supra.*

Comm. de S. Raphaele, Archangelo.

DIE XXIV.

SANCTI RAPHAELIS,

ARCHANGELI.

Duplex majus.

Ant. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

Orat. ut in Laud.

In I. Vesp. (si transferatur.)

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi de Dom., et loco ult., Psalm. Laudáte Dóminum, omnes Gentes, *p.* 125.

HYMNUS.

Tibi, Christe, splendor Patris,
Vita, virtus córdium :
In conspéctu Angelórum
Votis, voce psállimus :
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.

Collaudámus venerántes,
Omnes cœli Príncipes,
Sed præcípue fidélem
Médicum, et cómitem
Raphaélem, in virtúte
Alligántem dæmonem.

Quo custóde, procul pelle,
Rex, Christe, piíssime,

Omne nefas inimíci
Mundo corde et córpore :
Paradíso redde tuo
Nos sola cleméntia.
Glóriam Patri melódis
Personémus vócibus :
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito :
Qui trinus et unus Deus
Extat ante sæcula.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnif. Ant. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

Oratio ut in Laudibus.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymnus Tibi, Christe., *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ingréssus Tobías invénit júvenem præcínctum et quasi parátum ad ambulándum, et ignórans quod Angelus esset, salutávit eum.

Psalm. 8. Dómine, Dóminus noster, *I. Noct. Dom.*, p. 5.

Ant. Angelus Ráphael seípsum occúltans, ait : Ego sum Azarías, magni Ananíæ fílius.

Psalm. 10. In Dómino confído, *ibid.*, p. 7.

Ant. Sanum ducam fílium tuum in regiónem Medórum, et sanum tibi redúcam, allelúia.

Psalm. 14. Dómine, quis habitábit, *ibid.*, p. 353.

℣. Data sunt Angelo incénsa multa. ℟. Ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

De libro Tobíæ.

LECTIO I. *Cap.* 12.

Vocavit ad se Tobías fílium suum, dixítque ei : Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respóndens Tobías, dixit patri suo : Pater, quam mercédem dábimus ei, aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit et redúxit sanum : pecúniam a Gabélo ipse recépit : uxórem ipse me habére fecit, et dæmónium ab ea ipse compéscuit : gáudium paréntibus ejus fecit : meípsum a devoratióne piscis erípuit : te quoque vidére fecit lumen cœli, et bonis ómnibus per eum replétì sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare. Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignábitur medietátem de ómnibus quæ alláta sunt, sibi assúmere.

℟. In illo témpore exaudítæ sunt preces ambórum in conspéctu glóriæ summi Dei : * Et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos ambos, quorum uno témpore sunt oratiónes in conspéctu Dómini recitátæ. ℣. Tobías

et Sara, in tribulatióne pósiti, cum lácrymis oráre cœpérunt. Et.

LECTIO II.

Et vocántes eum, pater scílicet et fílius, tulérunt eum in partem, et rogáre cœpérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte : Benedícite Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere, bonum est : ópera autem Dei reveláre et confitéri, honoríficum est. Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna, magis quam thesáuros auri recóndere, quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quæ purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscóndebas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te.

℟. Egréssus Tobías, invénit júvenem spléndidum, stantem præcínctum et quasi parátum ad ambulándum, et salutávit eum, et dixit : * Unde te habémus, bone júvenis? ℣. Et ignórans quod Dómini Angelus esset, salutávit eum, et dixit. Unde.

LECTIO III.

Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram, uxórem fílii tui, a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cumque hæc audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus : Pax vobis, nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram : ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre et bíbere : sed ego cibo invisíbili et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Et cum hæc dixísset, ab aspéctu eórum ablátus est, et ultra eum vidére non potuérunt. Tunc prostráti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum, et exurgéntes narravérunt ómnia mirabília ejus.

℟. Ingréssus Angelus ad Tobíam, salutávit eum, et dixit : Gáudium sit tibi semper : * Forti ánimo esto; in

próximo est ut a Deo curéris. ℣. Et respóndens Tobías, ait : Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, et lumen cœli non vídeo? Forti. Glória Patri. Forti.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dixit autem Angelus : Apprehénde bránchiam piscis, et trahe eum extra aquas.

Psalm. 18. Cœli enárrant, *III. Noct. Dom.*, p. 13.

Ant. Obsecro te, Azaría frater, ut dicas mihi quod remédium habébunt ista, quæ de pisce serváre jussísti.

Psalm. 23. Dómini est terra, *Fer. III. ad Primam*, p. 29.

Ant. Lúmina fel sanat, sed virtus cordis et jécoris diáboli expéllit potestátem.

Psalm. 33. Benedícam Dóminum, *Fer. II. ad Matut.*, p. 49.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Augustíni, Epíscopi.

Serm. 1. *in Dom.* 15 *de beato Tobia, qui est* 226 *de Temp.*

LECTIO IV.

Beatus Tobías, qui panem suum nóverat frángere esuriénti, mercédem célerem mercenário præparat laboránti. Patiénter lectióne percépta, quæ nuper est recitáta, admirabámur patris filiíque tractátum, quemádmodum Angelus monet, quem æstimábant terrénum sub cœlésti glória mercenárium. Ad hoc enim cæcitátis incúrrit exítium, ut Angelum susciperet médicum, qui divínis fácibus incénsus sic anhelávit : Honésta est orátio cum jejúnio et eleemósyna. Orátio justi clavis est cœli. Ascéndit precátio, et descéndit Dei miserátio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hóminis linguam, si mundam habet consciéntiam. Cum sénsibus lóquitur, si sit solus noster gémitus. Súfficit áuribus imber oculórum : fletus cítius audit quam voces. Orátio ínvidi solet de áuribus propulsári. Erat patris et fílii ánima una, dum esset propríetas membrórum, erat illis singuláris germánitas animórum. Fili, inquit, dimittámus istum hóminem, adjiciéntes ad mercédem plácitam, quia nobis multa ópere suo cóntulit bona : et rogáre cœpit mercenárium, ut mercédis suæ sumat efféctum. Frater, inquit, áccipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Récipe mercédem tuam, quia mihi et fílio meo bonam præbuísti misericórdiam. Tolle, ut dixi, substántiam quam cum fílio meo reportásti; nam grátia, quam tibi debémus, non potest ponderári.

℟. Interrogávit Tobías Angelum : De qua domo aut de qua tribu es tu? Qui respóndens, ait: * Ego sum Azarías,

Ananíæ magni fílius. ℣. Genus quæris mercenárii, an ipsum mercenárium, qui cum fílio tuo eat? Sed ne forte sollícitus sis. Ego.

LECTIO V.

Continuo Angelus gaudet de cogitáta mercéde, qui missus fúerat gratis fácere pietátem. Tobis, inquit, vel Tobía, quid de mea mercéde satis supérflue cogitátis? Habéte quod vobis donávit Pater ille cœléstis. Ego miníster sum curatiónis, ille est auctor sanitátis. Nescítis cujus mercenárii ope pérfrui meruístis. Defúnctos captivitátis sepelíre non timuísti, Tobis : ascendérunt ad Dóminum ópera tua, quia relícto prándio reddidísti mórtuum sepultúræ. Ego Dómino medulláta íntuli sacrifícia pro venerábili sepultúra : ego diréctus sum operárius fori cœléstis. Mórtuum sepelístis, et mortis acúleum non timuístis. Ipse sepúltus pro vobis voce tácita proclamávit. Probatiónis fúerat cæcitas oculórum, unde patiéntia tua clárius meruísset de cœléstibus ornaméntum. Ego sum Ráphael, unus ex septem Angelis qui astámus ante claritátem Dei. Non indígeo fructu humánæ mercédis : dívitem me facit conversátio majestátis. Dives est ille, qui me misit; gratis jussit impéndi, quod gratis ipse concéssit. Nec ipsum honórem gratiárum mihi deputétis, quia nihil meis víribus percepístis. Deum benedícite, et illi confitémini, et ipsum glorificáte, quia vobíscum fecit bona.

℟. Exívit Tobías, ut laváret pedes suos; et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum : qui expavéscens, clamávit voce magna, dicens : Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus : Apprehénde bránchiam ejus, et trahe eum ad te : * Exéntera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi; sunt enim necessária ad medicaménta utíliter. ℣. Attráxit autem Tobías piscem in siccum, et palpitáre cœpit ante pedes ejus, et ait Angelus ei. Exéntera.

LECTIO VI.

Subito patefácto mystérii cœléstis honóre, voce Raphaélis Archángeli attóniti Tobis et Tobías, collápsi in terram proruérunt, vocem trémulam pénitus occultavérunt, quia vocem insólitam audiérunt. Quid metuístis, pater Tobis filíque Tobía? Mercenárium habére cœléstem, et tamquam operárium locáre terréstrem? Celávit vobis Angelus nomen : Azarías sum, inquit, Ananíæ magni fílius; et non dixit : Ego sum Ráphael Angelus. Celávit in primo nómine dignitátem, ne fáceret locatóri terrórem. Si enim díceret : Ego sum Angelus, non esset Tobíæ mercenárius. Serváta est dígnitas nóminis, ut postrémo magni-

túdo claresceret dignitátis. Vidéte, charíssimi, quantum sit eleemósynæ méritum : Angelum méruit habére operárium. Vidétis quantum próficit mórtuos sepelíre, ut oblátio ejus per Angelum Raphaélem ad cœléstem ascénderet majestátem. Vidétis quia eleemósyna a morte líberat, et ipsa purgat peccáta. Facit purgatiónem oculórum, líberat a ténebris peccatórum. Tobis via sua dedúcitur : Sara, tot viris contristáta, per Angelum matrimónio copulátur.

℟. Ubi introíeris domum tuam, dixit Angelus Ráphael ad Tobíam, statim adóra Dóminum Deum tuum, et grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, et osculáre eum, * Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum; scias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus, et vidébit pater tuus lumen cœli, et in aspéctu tuo gaudébit. ℣. Tolle tecum ex felle isto piscis; erit enim necessárium. Satímque. Glória Patri. Statímque.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Est hic Sara Raguélis fília, quæ tibi conjúgio dábitur, et omnis substántia ejus.

Psalm. 95. Cantáte Dómino, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 101.

Ant. Septem viros hábuit; quos dæmónium oppréssit : tímeo ne mihi símile contíngat.

Psalm. 96. Dóminus regnávit... exúltet, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 102.

Ant. Per tres dies oratióni cum uxóre tua vacábis, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

Psalm. 102. Bénedic, ánima mea... Bénedic, *Sabb. ad Matut.*, p. 109.

℣. Apprehéndit Angelus Ráphael dæmónium. ℟. Et relegávit illud in desérto superióris Ægypti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 5.

In illo témpore : Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

Tract. 17, *in cap.* 5. *Joannis.*

Mirum non esse debet a Deo factum miráculum; mirum enim esset, si homo fecísset.. Magis gaudére quam mirári debémus, quia Dóminus noster et Salvátor Jesus Christus homo factus est, quam quod divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salútem nostram, quod factus est propter hómines, quam quod fecit inter hómines; et plus est, quod vítia sanávit animárum, quam quod sanávit languóres córporum moriturórum.

℟. Benedícite Deum cœli, dixit Angelus Ráphael, et coram ómnibus viventibus con-

fitémini ei, * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi, et narráte ómnia mirabília ejus. Quia.

LECTIO VIII.

Sed quia ipsa ánima nec eum nóverat, a quo sanánda erat, et óculos habébat in carne, unde facta corporália vidéret, nondum habébat sanos in corde, unde Deum laténtem agnósceret, fecit quod vidére potérat, ut sanarétur, unde vidére non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacébat magna multitúdo languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum.

℟. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dixit Angelus Ráphael : * Vos autem benedícite Dóminum, et narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Vos. Glória Patri. Vos.

LECTIO IX.

Et cum esset médicus et animárum et córporum, et qui venísset sanáre omnes ánimas crediturórum, de illis languéntibus unum elégit, quem sanáret, ut unitátem significáret. Si mediócri corde, et quasi humáno captu et ingénio considerémus faciéntem, et quod ad potestátem pértinet, non magnum áliquid perfécit : et quod ad benignitátem, parum fecit. Tot jacébant, et unus curátus est, cum posset uno verbo omnes erígere.

Te Deum laudámus. p. 15.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Missus est Angelus * Ráphael ad Tobíam et Saram, ut curáret eos.

Psalmi de Dom. p. 16.

Ant. Ingréssus Angelus * ad Tobíam, salutávit eum, et dixit : Gáudium sit tibi semper.

Ant. Forti ánimo * esto, Tobía ; in próximo enim est ut a Deo curéris.

Ant. Benedícite Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini illi, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

Ant. Pax vobis : * nolíte timére : Deum benedícite, et cantáte illi.

CAPITULUM. *Tob.* 12.

Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

HYMNUS.

Christe, sanctórum decus Angelórum,
Rector humáni géneris et Auctor,
Nobis sacrátum tríbue benígnus
Scándere cœlum.

Angelum nobis, médicum salútis,
Mitte de cœlis, Ráphael, ut omnes
Sanet ægrótos, paritérque nostros
Dírigat actus.
Hinc Dei nostri Génitrix, María,
Totus et nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et beáta
Cóncio tota.
Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat in omni
Glória mundo.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Bened. Ant. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus, allelúia.

ORATIO.

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis; ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ant. Ingréssus Angelus.
Capit. Quando orábas.

℟. *br.* Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Ant. Forti ánimo.

CAPITULUM. *Tob.* 12.

Et nunc misit me Dóminus, ut curárem te, et Saram, uxórem fílii tui, a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum.

℟. *br.* Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Ant. Pax vobis.

CAPITULUM. *Tob.* 12.

Tempus est ut revértar ad eum qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

℟. *br.* In conspéctu Angelórum * Psallam tibi, Deus meus. In. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In.

℣. Adoráte Deum. ℟. omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi de Dom., et loco ult., Psalm. Confitébor... quóniam, *Fer. VI. ad Vesp.*, p. 136.

Hymnus et ℣. ut in I. Vesp.

Ad Magnif. Ant. Princeps gloriosíssime, Ráphael Archángele, esto memor nostri : hic et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei.

Orat. Deus, qui., *ut supra.*

Comm. S. Frontonis, ac SS. Chrysanthi et Dariæ, Mart., ut in Brev., p. 410.

DIE XXV.
SANCTI FRONTONIS,
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

De Comm. Conf. Pont.

ORATIO.

Deus, cujus ineffábili misericórdia beátus Póntifex Fronto in Géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi : da nos ejus intercessióne créscere in sciéntia tua, et in omni ópere bono fructificántes, secúndum Evangélii veritátem coram te ambuláre. Per eúmdem.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Beatus Fronto, primus Petrocorénsium Epíscopus, a beáto Petro, ut fert antiquíssima tradítio, in Gállias missus est ad prædicándum Evangélium. Is cum beáto Geórgio divérsas regiónes Christum annuntiándo peragrávit multósque paganórum superstitióni erípuit. Geórgio ad Velaunórum partes transeúnte, ipse Petrocorénsem gentem ab idolórum cultu ad veri núminis cognitiónem revocándam suscépit.

LECTIO V.

Petrocorum ingréssus Fronto ibi christiánam fidem cum summo labóre et incredíbili constántia prædicávit, magnámque cívium multitúdinem ad Christum convértit. Tandem post multos exantlátos labóres multáque ad confirmándam religiónem quam prædicábat édita mirácula sanctus pastor in pace quiévit.

LECTIO VI.

Ejus corpus sepúltum est prope urbem, in eo qui póstea dictus est Pódium sancti Frontónis loco, qui et ipse in civitátem crevit. Ibi Frotésius Epíscopus sæculo décimo monastérium ædificáre cœpit, quod témpore Guliélmi de Alba Rupe repentíno incéndio conflagrávit, ipsa tamen nunc supérstite insígni Basilica quæ sub Geráldo de Gordónio ab Archiepíscopo Bituricénsi, anno supra millésimum quadragésimo séptimo, duodécimo Kaléndas Aprílis fúerat consecráta.

In III. Noct. Homilia in Evang. Vigiláte, *secundo loco.* *IX. Lect. de SS. Chrysantho et Daria, Mart., e Breviario*, p. 411, *ex duabus una, quorum Comm. in Laud.*

In II. Vesp. Comm. seq.

DIE VI.

TRANSLATIONIS RELIQUIARUM SANCTI AGRIPPANI, EPISCOPI ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Pridie Vesperæ a Capit. de Comm. unius Mart.; Comm. Oct.

ORATIO.

Deus, qui nos sancti Pontíficis et Mártyris tui Agrippáni et exémplo accéndis et prótegis præsídio, éxcita in translatióne córporis ejus, quam adhuc spirant sacri cíneres pietátem, ejúsque précibus ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sancti Agrippáni Aniciénsis Epíscopi corpus eo in loco sepúltum ubi pro Christi nómine agónem consummáverat, váriis miráculis ita cláruit ut in honórem sancti Mártyris mox extrúctum fúerit oratórium, quod ab ipso sicut et óppidum Chiniácum ante dictum nomen accépit; Dulcédius vero sancti Agrippáni in sede Aniciénsi succéssor de restituéndo Ecclésiæ suæ sacro præsulis córpore sollícitus, a Vivariénsi Epíscopo pretiósum depósitum eníxe postulávit. Votórum suórum compos factus sacras exúvias Anícium asportávit, et in sacéllo sancti Stéphani subterráneo collocávit. Inde in templum beátæ Maríæ delátæ sunt et ibi fidélium veneratióne frequentátæ, donec succedéntibus annis ecclésia sancti Mártyris nómine insigníta illas recíperet.

LECTIO V.

Anno autem sæculi décimi sexti vigésimo secúndo Antónius Aniciénsis Antístes per suffragáneum suum ex Ordine Minórum, Troadénsem Epíscopum aperíri capsam et visitári sancti Agrippáni relíquias jussit. Is ergo sacris ad illíus aram solémniter peráctis, habitáque ad pópulum elegánti de virtútibus ejus oratióne, ex monuménto lapídeo, quod in éodem majóri altári aptíssime clausum extábat, thecam lígneam prótulit inclúsas relíquias continéntem, quæ ádeo nihil sui nitóris vetustáte amíserat ut plane nova viderétur. Caput intra rotúndam e plumbo píxydem cónditum erat involútum pállio byssino teláque línea quæ pro mundítia illic recens pósita indicáret. Omnia hæc diébus áliquot expósita palam fuére ut pietáti fidélium fíeret satis,

tuncque complúres invocáta sancti Mártyris ope, váriis liberáti sunt morbis.

LECTIO VI.

Cum autem póstea collegiále capítulum hujus Ecclésiæ sufficiénti pro témpore réditu caréret et ídeo adjúnctum fuísset Seminário nuper erécto beátæ Maríæ Aniciénsis, in ejúsdem Seminárii Ecclésiam, sancto Geórgio dicátam, sanctæ exúviæ translátæ sunt, et inde sanctus Agrippánus cum sancto Geórgio patróni nomen, minóri tamen título ibi partítus est. Quamvis vero in lugénda Galliárum sæculi décimi octávi perturbatióne manus injécerint ímpii raptóres in pretiosíssimum illud depósitum, nonnúllæ tamen íbidem supérsunt ejus partículæ quæ simul cum alíquibus sancti Geórgii relíquiis religiosíssima veneratióne colúntur.

In III. Noct. Homilia in Evang. Si quis vult, *S. Gregorii, Papæ, secundo loco,* p. xxxiij.

DOM. INFRA OCT. OMN. SANCT.

FESTUM

SS. RELIQUIARUM.

Duplex.

Reponendum in prima die libera si Fest. omnium Sanct. incidat in Dominica.

Omnia de Com. plur. Mart. p. xxxvj., *præter sequentia.*

ORATIO.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Comm. Dom. occurr. et Oct.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex tractátu sancti Joánnis Damascéni de Fide orthodóxa.

Lib. 4. Cap. 16.

LECTIO IV.

Christus Dóminus Sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, erítne, cur cuíquam incredíbile videátur, ex Mártyrum Relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe; iis quidem, quibus Dei poténtia honórque, quo Sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

LECTIO V.

Ex quo enim ípsamet vita, ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe

surrectiónis fideíque erga eum diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Quómodo enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per eos dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera, ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? Annon ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

LECTIO VI.

HONORANDI certe, et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo extruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat; ac non, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur; quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, Sanctos colámus: státuas ipsis ac visíbiles imágines erigámus: imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

In III. Noct. Homilia in Evang. Descéndens Jesus., *de Com., secundo loco,* p. 1.

IX. Lectio de Hom. Dom. intra Oct. de qua et de Oct. fit Comm. in Laud. ac in II. Vesp.

DOMINICA POST OCT. OMNIUM SANCTORUM.

SANCTI GEORGII

VELLAVORUM ECCLESIÆ FUNDATORIS ET PRIMI EPISCOPI.

Duplex 1. classis cum Octava.

Ad 1. Vesp. Ant. et Capit. de Laud., Psalm. de Dominica, et loco ultim. Psalmus Laudáte Dóminum, omnes Gentes, *p.* 125.

HYMNUS.

Lux de luce, Deus fons quoque lúminum,
Quo stat perpétuus cœlítibus dies,

Tristem sub mísera nocte Veláuniam
Quanto lúmine récreas.
Huc ad jussa Petri férvidus ádvolat
Aras, fana, deos fúnditus éruit
Et Christum résonans dédocet ímpios
Christi preco Geórgius.
Proh! quam læta seges, duces rúdibus pias
Commíttit fídei sémina méntibus!
Sacris bárbara gens, jam dócilis Deo
Christum fróntibus índuit.
Crescit sancta fides; plebs nova náscitur;
Crux tandem méritis fulget honóribus:
Jam per Velláviam jam levat úndique
Victrix relígio caput.
Felix plaude tibi, plaude Geórgii
Tellus magnánimis culta labóribus
Dum síncera stabit, quam dócuit fides
Te fœcúnda manet salus.
Sit laus summa Patri, summáque Fílio,
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio cógnita véritas
Sese méntibus ínserit.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum. ℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

Ad Magnif. Ant. Vocábunt eos * Pópulus sanctus, redempti a Dómino: tu autem vocáberis Quæsita cívitas et Non derelícta.

ORATIO.

Deus, qui nos beáti Geórgii salutáribus documéntis, ad agnitiónem tui nóminis perveníre fecísti: concéde propítius; ut illibáta fide serváta, in bonis opéribus usque ad finem perseverántes, ætérna virtútum præmia conséqui mereámur. Per Dóminum.

Comm. Dom. occurr.

AD MATUTINUM.

Invit. Dóminum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum. * Veníte, adorémus.

Hymnus ut in I. Vesp.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Quæsívit Dóminus * sibi virum juxta cor suum et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Psalm. Beátus vir, *Dom. I. Noct.*, p. 3.

Ant. Fide obedívit * in locum exíre quem acceptúrus erat in hæreditátem.

Psalm. Júdica me, Dómine, *Fer. IV. ad Primam*, p. 30.

Ant. Surréxit * et ábiit juxta verbum Dómini, et cœpit intráre in civitátem.

Psalm. Júdica me, Deus, *Fer. III. ad Laud.*, p. 67.

℣. Lingua ejus loquétur judícium. ℟. Lex Dei ejus in corde ipsíus.

LECTIO I.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *C.* 10.

CORDE enim créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem, dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci; nam idem Dóminus est ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Incitabátur spíritus ejus in ipso videns idololátriæ déditam civitátem : * Disputábat ígitur in foro per omnes dies ad eos qui áderant. ℣. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Disputábat.

LECTIO II.

QUOMODO ergo invocábunt in quem non crediderúnt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

℟. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, vidéntes signa quæ faciébant; * Cum vero credidíssent evangelizánti, baptizabántur viri et mulíeres. ℣. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus, et fecit signa coram pópulo, et crédidit pópulus. Cum vero.

LECTIO III.

SED dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem, in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me : palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℟. Magnificabátur nomen Dómini Jesu; * Ita fórtiter crescébat verbum Dei et confirmabátur. ℣. Deseréntes cæremónias patrum suórum quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. Ita. Glória. Ita.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dóminus * augébat qui salvi fíerent quotídie in ipsum.

Psalm. Omnes gentes, pláudite, *Fer. III. ad Matut.*, p. 64.

Ant. Disseminabátur ver-

bum Dómini per univérsam regiónem.

Psalm. Exáudi, Deus, *Fer. IV. ad Matut.*, p. 74.

Ant. Discípuli replebántur gáudio et Spíritu sancto.

Psalm. Fundaménta ejus, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 97.

℣. Magnificávit Dóminus, fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

LECTIO IV.

Beatum Geórgium una cum sancto Frontóne Roma ab ipso Petro Apostolórum príncipe in Gálliam fuísse missum, moxque ad Vóssini lacum repentína morte raptum, appósito a sancto cómite ad túmulum báculo beatíssimi apóstoli, fuísse ad lucem revocátum, ibíque multos peperísse discípulos antiquíssima pérhibet Aniciénsium tradítio grávibus consignáta monuméntis. Gállias ingréssi Geórgius et Fronto fídei semen undequáque spargéntes Aquitániam usque pervéniunt et plúribus pópulis assídua ópera indefessóque labóre fídei et religiónis dono ditátis, hic Petrocorénsium gentem veri núminis cognitióne imbuéndam suscépit, ille vero cum dilatándæ Ecclésiæ stúdio æstuáret, ad últimos Occitániæ fines progréssus partes illas Christo subjícere aggréditur.

℟. Scitis introítum nostrum ad vos, quia non inánis fuit. * Mémores enim estis labóris nostri. ℣. Vos scitis quanta fécimus et angústias quales vídimus. Mémores.

LECTIO V.

Animarum salútis sitiéntem Geórgium non retardárunt accéssu impérvii montes, agréstis pópuli féritas et ignorántia, superstitiósæ religiónis barbáries, ímpia furéntium Druidárum conjurátio. Patefácto sibi per vária mirácula prædicatiónis áditu, mox terram hanc suis irrigátam sudóribus videt crucis vexíllo claréscere, pópulum fídei lúmine illustrátum móribus mansuéscere, Christíque jugo colla submíttere. Mendácia silent orácula ac præ cæteris infelíciter famósum in his regiónibus Apóllinis oráculum. Idóla comminuúntur, fana viléscunt et deserúntur, crescit in dies christianórum número. Tot tantísque succéssibus irritáti Drúides urbis dóminum in Geórgium éxcitant qui virum sanctum verbéribus cæsum ac lapídibus impetítum e civitáte éjicit, hoc quasi piáculo injúriam deórum suórum ultúrum se arbitrátus.

℟. Signa apostolátus mei facta sunt super vos in omni patiéntia, * In signis et prodígiis et virtútibus. ℣. Dóminus misit me ut lóquerer in áuribus vestris ómnia verba hæc. In signis.

LECTIO VI.

Verum sánguine Confessóris Christi fœcundáta tellus novos Evangélio fílios partúrit, quorum ópera revocátur, urbem quasi triumphátor ingréditur, verbísque ac miráculis et vitæ sanctitáte oves adhuc dévias et rebélles Domínico gregi adjúngit. Sede Epíscopi in ea civitáte, quæ tunc témporis Vétula dicebátur, constitúta, electísque e nova plebe minístris quibúscum pópuli curam partirétur, Ecclésiam juxta formam apostólicam instítuit, quam episcopáli auctoritáte primum administrásse vétera produnt Vellavórum Ecclésiæ dyptica a sancto Geórgio episcopórum suórum sériem ducéntia. Ædículæ a sancto Martiáli, ut aiunt, in monte Aniciénsi in honórem beatíssimæ Vírginis consecrátæ, futúram glóriam prædíxit, pluribúsque illustrándam miráculis. Testántur étiam vetustíssima monuménta eum íterum cum beáto Frontóne convenísse et ad sanctam Lázari sorórem Martham Tarascónem se contulísse. Inde Geórgius cum Veláunos repedásset, imménsis functus labóribus, Christíque fide in his regiónibus stabilíta, in pace migrávit ad Dóminum, sacrúmque ejus corpus in urbe Vétula sepúltum, póstea translátum fuit in ecclésiam Collegiálem ipsius nómine insignítam, quæ nunc est Ecclésia Seminárii.

℟. Omnis pópulus certábat, dicens : Ipse salvávit nos, et nunc fugit : úsquequo solétis et non redúcitis eum? ℣. Sincéra affectióne sollícitus omnes vos desiderábat. Usquequo. Glória. Omnis.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine.

Psalm. 95. Cantáte Dómino.. Cantáte, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 101.

Ant. Cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud non ut verbum hóminum, sed, sicut est vere, verbum Dei.

Psalm. 96. Dóminus regnávit... exúltet, *ibid.*, p. 102.

Ant. Excipiéntes verbum cum gáudio Spíritus sancti, convérsi estis a simulácris servíre Deo vivo et vero.

Psalm. 97. Cantáte... quia mirábilia, *Sabb. ad Matut.*, p. 105.

℣. Confundántur omnes qui adórant sculptília. ℟. Et qui gloriántur in simulácris suis.

LECTIO VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum. *Cap.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædi-

cáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 7. in 1. ad Cor.

OSTENDAMUS fíeri non potuísse ut institúerent et cogitárent Apóstoli prædicáre quæ prædicárunt, nisi Christum secum habuíssent. Non quóniam imbecílli advérsus fortes, nec quóniam pauci advérsus multos; non quóniam páuperes advérsus dívites, nec rudes et ignári advérsus sapiéntes struébant áciem, sed quóniam magna quoque vis est præoccupátæ opiniónis. Quando autem in dogmátibus fúerit consuetúdo, ea effícitur fírmior et stabílior; facílius enim mutáverit ómnia quíspiam quam quæ pértinent ad religiónem.

℟. Debémus semper grátias ágere Deo pro vobis, fratres, quod elégit vos Deus primítias in salútem in fide veritátis, in qua * Vocávit vos per Evangélium nostrum in acquisitióne glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. ℣. Vobis junctus est Dóminus, et elégit vos quia diléxit vos. Vocávit.

LECTIO VIII.

IN Apóstolis autem validius erat hoc impediméntum, quod non solum sic ántequam mutárent consuetúdinem, sed étiam cum perículis fácerent transmutatiónem: oportébat enim eum qui credébat, statim publicári, expélli, a pátria exuláre, extréma mala pérpeti, ab ómnibus ódio habéri, commúnem esse hostem et suis et aliénis. Cum consuetúdine ac perículis hæc quoque præcépta erant gravióra; ea vel a quibus abducébant, facília: a scapris enim vocábant ad temperántiam, a vitæ amóre ad mortem, ab ebrietáte ad sobrietátem, a risu ad lácrymas et compunctiónem, ab avarítia et habéndi cupiditáte ad paupertátem, et suárum facultátum abdicatiónem, a securitáte ad perícula; et per ómnia extrémam exigébant vitæ perfectiónem, præcépta quidem erant hujúsmodi.

℟. State et ténete traditiónes quas didicístis: * Ipse autem qui dedit spem bonam in grátia, corda vestra confírmet in omni ópere bono. ℣. Judícium patris audíte, fílii, et sic fácite ut salvi sitis: Deus enim honorávit patrem in fíliis. Ipse autem. Glória. Ipse autem.

Lect. IX. Homilia in Evang. Dom. occurr.

Te Deum laudámus. *p. 15.*

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Grátia data est mihi in vobis; Evangélii factus sum ego miníster, secúndum operatiónem virtútis Dei.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliq. de Dom.*

Ant. Nonne opus meum vos

estis in Dómino? Nam signáculum apostolátus mei vos estis.

Ant. Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine nostra.

Ant. Testis mihi est Deus quómodo cúpiam vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cháritas vestra magis ac magis abúndet.

Ant. Ut fílios meos charíssimos móneo, nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui : rogo ergo vos, imitatóres mei estóte.

CAPITULUM.

Mittam ex eis qui salváti fúerint ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam géntibus.

HYMNUS.

Nostra gens, præsul, modo christiána
Se tibi debet, tibi cessit error,
Luce lustrásti pópulos sub alta
Nocte jacéntes.

Hic labor magnus; sed enim feróces
Et reluctántes pópulos docéri
Et jugo Christi, tibi pœna major
Súbdere gentes.

Cháritas unget : male contumáces
Increpas audax, hóminem Deúmque
Prædicas Christum, nece qui piávit
Crímina mundi.

Jam tuæ voci dóciles, Geórgi,
Cum suis vertunt simulácra templis :
Jam fit in sacris renováta lymphis
Plebs sibi dispar.

Quæ fuit vivo tibi gens amíca
Illíus nunc te móveant labóres;
Pósthumam vultu plácido precámur,
Réspice prolem.

Summa laus Patri, tibi laus perénnis,
Christe pastórum caput atque princeps,
Par sit ambórum tibi cultus omni
Spíritus, ævo.
Amen.

℣. Annuntiávi et locútus sum. ℟. Multiplicáti sunt supra númerum.

Ad Bened. Ant. Quæ est spes nostra, aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum nostrum Jesum Christum estis in advéntu ejus? Vos estis glória nostra et gáudium.

ORATIO.

Deus qui nos, beáti Geórgii salutáribus documéntis, ad agnitiónem tui nóminis perveníre fecísti : concéde propítius ut; illibáta fide serváta, in bonis opéribus usque ad finem perseverántes, ætérna virtútum præmia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Comm. Dom. occ.

AD PRIMAM.

Ant. Grátia data est mihi.

In ℟. *br*. ℣. Qui eripuísti nos de potestáte tenebrárum.

AD TERTIAM.

Ant. Nonne opus meum.

Capit. de Laud.

℟. *br*. Lingua ejus * Loquétur judícium. Lingua ejus. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. Loquétur. Glória. Lingua ejus.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

AD SEXTAM.

Ant. Evangélium nostrum.

CAPITULUM.

Sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

℟. *br*. Magnificávit Dóminus * Fácere nobíscum. Magnificávit. ℣. Facti sumus lætántes. Fácere. Glória. Magnificávit.

℣. Confundántur omnes qui adórant sculptília. ℟. Et qui gloriántur in simulácris suis.

AD NONAM.

Ant. Ut fílios.

CAPITULUM.

Imitatores mei estóte, fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram.

℟. *br*. Confundántur omnes * Qui adórant sculptília. Confundántur. ℣. Et qui gloriántur in simulácris suis. Qui adórant. Glória. Confundántur.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum. ℟. Quia prospéxit de templo suo.

IN II. VESPERIS.

Ant. Hic est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris, qui accépit verba vitæ dare nobis.

Psalm. Dixit Dóminus, *Dom. ad Vesp.*, p. 121.

Ant. Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis.

Psalm. Confitébor tibi, *ibid*.

Ant. Máximus, in salútem electórum Dei, quam glóriam adéptus est!

Psalm. Beátus vir, *ibid*., p. 122.

Ant. Quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Bonis ómnibus per eum repléti sumus.

Psalm. In converténdo Dóminus, *Fer. III. ad Vesp.*, p. 129.

Ant. Sit memória illíus in benedictióne et nomen ejus permáneat in ætérnum!

Psalm. Lauda Jerúsalem, *Sabb. ad Vesp.*, p. 141.

CAPITULUM.

Mittam ex eis qui salváti fúerint ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt

glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam géntibus.

HYMNUS.

Terris jam satis est, alme pater, datum
Quo divínus amor te rapit, évola;
E duro parta labóre
Cœlo præmia te vocant.
Ergo nunc súperis cœtibus ádditus,
Puro lætítiæ flúmine mérgeris;
Et convíva suprémi
Mensæ príncipis assídes.
Dum te læta poli cúria suscépit;
Dum te tergíminis tollet honóribus;
Tellus æmula certat
Tantæ pláudere glóriæ.
Nomen per pópulos jam résonat tuum:
Urbes prodígiis attónitæ silent:
Huic te quisque patrónum
Supplex ambit et ínvocat.
Vos, cives, mémori vísite péctore
Tanti pontíficis, vísite límina:
Hic orántibus aurem
Cleméntem Deus éxhibet.
Spes o nostra, Pater, tempus in últimum,
Votis dexter ades, cántibus ánnue
Devótam tibi gentem
Blandis subsídiis fove.
Jugis summa trias, sit tibi glória
Quæ solémne tuo præpósitis gregi,
Pro mercéde labóris
Te das pródiga præmium.
Amen.

℣. Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas. ℟. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Ad Magnif. Ant. Hic est fratrum amátor et pópuli: hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.

Comm. Dom. occurr.

Intra Oct. fit Comm. ejus quando non fit de ea.

DOMINICA SEQUENTI.

OCTAVA S. GEORGII.

Duplex.

Omnia ut in Festo, exceptis Lect. quæ in I. Noct. erunt de Script. occurr. cum Comm. Dom. occurr.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi, super Psalmum nonagésimum quintum.

Cœpit fervére per Judæam Ecclésia Christi, ubi ferbúerat oppróbrium Christi, et restitúta est terra ejus; sed quia díxerat ipse: Hábeo álias oves, quæ non sunt de hoc ovíli, opórtet me et eas addúcere, ut sit unus grex et unus pastor, étiam ad gentes, ad quas Prophétæ missi non erant, apóstoli missi sunt. Quæsiti sunt qui non quæsíerant, invénti sunt qui nihil expectábant; quem non tenébant Deum pollicéntem, invenérunt redemptórem. Jam enim Judæi

tenébant Deum pollicéntem, quia ibi Prophétæ Christum prædicáverunt, ibi Christum promíserant. Sed quem promíssum audíerant, præséntem non cognovérunt. Illis autem promíssum nihil erat; sed tamen in Prophétis étiam de fide ipsórum dictum erat: non dictum erat ipsis, sed dictum erat de ipsis. Missum est ad illos, et audístis ex dispensatióne Dei.

LECTIO V.

Sermo sancti Gregórii Nysséni.

Orat. de S. Theodoro.

Huc jam ades, ad nos, o beáte, veni ad nos qui te hónorant, invisíbilis amícus. Cognósce ac vide férias quæ celebrántur. Multórum beneficiórum indigémus, o beáte; intercéde ac deprecáre pro pátria, apud commúnem Regem et Dóminum. Timémus afflictiónes, expectámus perícula. Etiámsi superásti sæculum, at nosti afféctus et usus, necessitatésque humánæ conditiónis. Pete pacem, ut hi públici convéntus non désinant: ne debacchétur atque grassétur advérsus templa altaríave rabiósus et scelerátus bárbarus, ne concúlcet sancta profánus et ímpius.

LECTIO VI.

Nos étiam quod incólumes et íntegri conserváti sumus, tibi benefícium accéptum reférimus; pétimus autem étiam futúri témporis præsídium atque securitátem. Ne hæréses sicut spinæ víneæ succréscant: ne zizánium éditum suffócet tríticum; ne qua petra veri roris pinguédine carens advérsum nos exístat, et sermónis ac verbi fertilitátis vim radícis expértem effíciat; sed virtúte tuæ deprecatiónis, o vir admiránde, christianórum respública campus segétum reddátur, qui campus ad finem usque máneat in pingui fertílique arvo fídei in Christum semper fructum edens ætérnæ vitæ.

IN III. NOCTURNO.

LECTIO VII.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. *Cap.* 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii, Papæ.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent et bene habébunt. Numquid, fratres mei, quia illa signa non fácitis, non créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim fides crésceret, miráculis fúerat nutriénda; quia et nos cum arbústa plantámus, támdiu

eis aquam infúndimus quoúsque ea in terra jam caluísse videámus, et si semel radícem fíxerint, a rigándo cessámus. Hinc est quod Paulus dixit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus. Habémus ítaque de his signis atque virtútibus quæ atténtæ consíderem : sancta quippe Ecclésia quotídie spirituáliter facit quod tunc per Apóstolos corporáliter faciébat. Nam sacerdótes ejus cum per exorcísmi grátiam manum credéntibus impónunt, et habitáre malígnos spíritus in eórum mente, contradícunt, quid áliud fáciunt nisi dæmónia ejíciunt ?

LECTIO VIII.

Et fidéles quique, qui jam vitæ véteris sæculária verba derelínquunt, sancta autem mystéria insónant, conditóris sui laudes et poténtiam, quantum prævalent, narrant; quid áliud fáciunt nisi novis linguis loquúntur? Qui, dum bonis suis exhortatiónibus malítiam de aliénis córdibus áuferunt, serpéntes tollunt; et, dum pestíferas suasiónes áudiunt, sed tamen ad operatiónem pravam mínime pertrahúntur, mortíferum quidem est quod bibunt; sed non eis nocébit. Qui quóties próximos suos in bono ópere infirmári inspíciunt, dum eis tota virtúte concúrrunt, et exémplo suæ operatiónis illórum vitam róborant, qui in própria actióne títubant, quid áliud fáciunt, nisi super ægros manus impónent et bene habébunt? Quæ nimírum mirácula tanto majóra sunt quanto per hæc non córpora, sed ánimæ suscitántur.

Lect. IX. Homilia in Evang. Dom. occurr., cujus fit Comm. in Laud. et in II. Vesp.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ, CONFESSORIS.

Duplex.

De Comm. Conf. non Pont., p. lxxij. *Pridie Vesp. de eo cum Comm. præced.*

ORATIO.

Deus, qui inter cætera sapiéntiæ tuæ mirácula, étiam in ténera ætáte matúræ sanctitátis grátiam contulísti : da, quæsumus; ut beáti Stanislái exémplo, tempus instánter operándo rediméntes, in ætérnam íngredi réquiem festinémus. Per Dóminum.

Lect. I. Noct. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

Stanislaus, Senatória Kostkárum gente ortus in Polónia, quam olim esset milítiam secutúrus, nomen Jesu prænuntiávit, paritúræ matris grémio divínitus inscríptum. Virginitátem adhuc puer ita cóluit, ut patérna in mensa si quid minus pudíce dictum au-

dísset, præ horróre exánimis corrúeret. Ad Viennénse in Austria Seminárium studiórum causa missus, non minus exémplo sodálibus, quam venerationi fuit. Coáctus inde in lutheráni hóspitis ædes migráre, ibíque a Paulo fratre ad liberiórem vitam omni étiam asperitátum génere incitátus, doméstícum bellum toto biénnio constantíssime sustínuit, ad ætérna se, non ad cadúca natum affírmans. Itaque únicum illi erat rerum cœléstium desidérium, perpétua cum Deo consuetúdo, cultus Deíparæ ádeo tener, ut matrem suavíssime appelláret.

LECTIO V.

Quotidianæ fratris vexatióni crebra ipse jejúnia, flagélla, aliósque insóntis corpúsculi cruciátus adjíciens, lethálem in morbum íncidit. Quo ingravescénte, cum dæmonem, horréndi canis spécie insiliéntem, signo crucis ter fugásset, sacrum Viáticum quod in hærética domo decúmbens frustra ab homínibus petébat, ab Angelis accépit. Mox ad púeri Jesu compléxum a beatíssima ejus Matre cómiter admíssus, ac Societáti jussus nomen dare, súbito conváluit. Sed cum áditum ad illam patris timor in Germánia præclúderet, peregríni hábitu solus, pedes, mendícus fugam arrípuit, certus non sístere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei benefício prósperum fuit. Nam præter ália, Pauli prófugum fratrem jam asse-quéntis equi, immísso divínitus torpóre, constitérunt: et Stanisláus Angelórum pane íterum Angélico ministério reféctus, post duodécies centéna pássuum míllia, tandem Romæ in Societátem Jesu a sancto Francísco Bórgia Generáli Præpósito méruit cooptári.

LECTIO VI.

Tyronis emériti virtútes in religiósæ vitæ palæstra splendídius eluxére: cháritas præsértim erga Deum, in quem assídue alienáta a sénsibus mente rapiebátur. Inde illi fácies semper accénsa, nonnúmquam irrádians; perénnes lácrymæ; ardor péctoris tantus, ut média quoque híeme foret ingésta idéntidem gélida temperándus. Itaque amóre vérius quam febri æstuans, die Assúmptæ in cœlum Vírgini sacro, ad ejus triumphálem pompam própius, ut optáverat, spectándam, ab ipsa, beatárum Vírginum choro stipáta, vocátus est ex Quirináli domo probatiónis, anno innocéntis vitæ décimo octávo, óperum plénior quam diérum. Multis post óbitum miráculis in sua præsértim Polónia enítuit; cujus armis contra formidábiles Turcárum exércitus spectábilis e cœlo ádfuit non semel; et civitátes álias peste, álias incéndio liberávit. Quam-

óbrem Clemens Décimus eum inter primários totíus regni Patrónos constítuit: Benedíctus vero Décimus Tértius (quod a Cleménte Undécimo jam pridem fúerat decrétum,) in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni, Epíscopi.

In Psalm. 118. *in* ℣. 129., *in finem.*

Quid párvulus, nisi húmilis? Hæc sunt mirabília testimónia tua, Dómine, quæ scrutáta est ánima párvuli hujus: et ídeo invénit, quia humiliátus est, et párvulus factus est. Quis enim facit mandáta tua, sicut faciénda sunt, id est, ex fide quæ per dilectiónem Dei operátur, nisi ejus in corde per Spíritum sanctum ipsa diléctio diffundátur? Hoc étiam iste párvulus confitétur : Os meum, inquit, apérui, et attráxi spíritum, quia mandáta tua desiderábam. Quid desiderábat, nisi fácere mandáta divína? Sed non erat unde fáceret infírmus fórtia, et párvulus magna. Apéruit os, cónfitens quod per se ipse non fáceret, et attráxit unde fáceret.

LECTIO VIII. *In* ℣. 141.

Junior sum ego, inquit, et contémptus : justificatiónes tuas non sum oblítus. Non sicut inimíci mei, qui oblíti sunt verbórum tuórum. Vidétur autem minor ætáte, non oblítus justificatiónes Dei, dolére pro inimícis suis ætáte majóribus, qui oblíti sunt. Nam quid est: Júnior ego non sum oblítus, nisi, Illi majóres oblíti sunt? Sed contémptum se dicit hic júnior : ídeo factus est major; quia ignobília et contemptibília mundi elégit Deus, et ea quæ non sunt, tamquam sint, ut ea quæ sunt evacuéntur; et ecce sunt novíssimi, qui erant primi, et primi, qui erant novíssimi.

LECTIO IX. *In* ℣. 142.

Iste autem júnior non est oblítus, quia non suam vóluit habére justítiam, sed Dei; de qua étiam nunc dicit : Justítia tua, justítia in ætérnum. Propter hanc passus est persecutiónem júnior a majóre, ut díceret júnior quod séquitur : Tribulátio et necéssitas invenérunt me : mandáta tua meditátio mea est. Sæviant, persequántur ; dum tamen mandáta Dei non relinquántur, et ex ipsis mandátis étiam qui sæviunt diligántur. Intelléctum da mihi, et vivam. Intelléctum poscit iste júnior, quem si non habéret, non super senióres intellígeret. Sed eum poscit in tribulatióne et neces-

sitáte, quo intélligat quam sit contemnéndum, quod ei possunt auférre persquéntes inimíci, a quibus se dicit esse contémptum.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

In II. Vesp. Comm. de seq.

DIE XIV.

SANCTI DIDACI,
CONFESSORIS.

Semiduplex.

(*E die* 13 *hujus.*)

Ut in Brev., hac die, p. 457.

DIE XVI.

S. EVODII
ET OMNIUM SS. EPISCOP.
ECCLESIÆ ANICIENSIS.

Duplex.

Pridie a Capit. de hoc Festo.

HYMNUS.

Rex gloriόse præsulum
Corόna confiténtium
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cœléstia.

Aurem benígnam prόtinus
Appόne nostris vόcibus;
Trophæa sacra pángimus,
Ignόsce quod delíquimus.

Tu vincis in martyribus,
Vincis in confessόribus;
Tu vince nostra crímina
Donáque indulgéntiam.

Deo Patri sit glόria
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári. ℟. Et Sancti ejus exultatióne exultábunt.

Ad Magnif. Ant. Jerúsalem, ponam præpósitos tuos justítiam; non audiétur iníquitas in terra tua et occupábit salus muros tuos.

ORATIO.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos veneratióne multíplici sanctórum tuórum pontíficum Evódii et Sociórum hodiérna die lætári concédis: tríbue, quæsumus; ut qui eórum solémnia celebrámus, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Commem. præced. et Oct. S. Georgii.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum príncipem pastórum, *Veníte, adorémus.

HYMNUS.

Æterna Christi múnera
Et glóriam pontíficum
Laudes canéntes débitas
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cœléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina,

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas
Mundi triúmphat príncipem,

In his patérna glória,
In his volúntas spíritus,
Exúltat in his Fílius.
Cœlum replétur gáudiis

Te nunc, Redémptor, quæsumus,
Ut ipsórum consórtio,
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes : tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Psalm. Beátus vir, *Dom. I. Noct.*, p. 3.

Ant. Deum Israel prædicábunt, et scient errántes spíritu intelléctum.

Psalm. Júdica me, Dómine, *Fer. IV. ad Primam*, p. 30.

Ant. Erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia, et placébit Dómino sacrifícium.

Psalm. Júdica me... Deus, *Fer. III. ad Laud.*, p. 67.

℣. Sacríficent sacrifícium laudis. ℟. Et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Lectiones Laudémus viros glorióses *ut in Communi Confessoris Pontificis secundo loco*, p. lxiv, *cum Responsoriis ut infra.*

℟. I. Isti homines dívites in virtúte, * Pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. ℣. Minístri Dei sunt in hoc ipsum serviéntes. Pulchritúdinis.

℟. II. Memóres Dei in veritáte, in bona vita et in sancta conversatióne, * Accépti erunt tam Deo quam homínibus et cunctis habitántibus in terra. ℣. Providéntes bona non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Accépti erunt.

℟. III. Sacerdótes sine mácula voluntátem habéntes in lege Dei, mundavérunt sancta : * Et adoravérunt et benedixérunt in cœlum eum qui prosperávit eis. ℣. Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis. Et adoravérunt. Glória. Et adoravérunt.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Isti in generatiónibus Gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus.

Psalm. Omnes gentes, *Fer. III. ad Matut.*, p. 64.

Ant. Invocavérunt Deum misericórdem, et expandéntes manus suas, extulérunt ad cœlum.

Psalm. 64. Exáudi Deus, *Fer. IV. ad Matut.*, p. 74.

Ant. Obtulérunt holocáusta cum lætítia, et ornavérunt fáciem templi.

Psalm. Fundaménta ejus, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 97.

℣. Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos. ℟. In colúmna nubis loquebátur ad eos.

LECTIO IV.

Evodius quem apud Arvérnos natum ferunt, Vellavórum Póntifex cum jam a multo témpore suam Ecclésiam indeféssa zelo paternáque charitáte administráret, sedem Episcopálem ab urbe

Vétula tránstulit in montem Anícium quem cultus Beatíssimæ innúmeris commendábat miráculis, et ibi divínitus admónitus, Ecclésiam cathedrálem assúmpta in patrónam beatíssima Vírgine Deípara, condi curávit. Sanctíssimo huic óperi perficiéndo tanta diligéntia incúbuit Evódius, tam ardénti stúdio pia plebs allaborávit, ut intra paucos annos templum fúerit absolútum, quod ita gratum fuit Deo ut per ipsos ángelos, miránte ádmodum Evódio, sibi dedicári volúerit, ut fert tradítio antiquíssima. Omnibus demum ad Dei cultum pertinéntibus rite ordinátis, præcláris ómnium virtútum méritis cumulátus, bonus ille pastor migrávit ad Christum, magnum sui desidérium desoláto gregi relínquens.

℟. Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. * Præcínget se et fáciet illos discúmbere et tránsiens ministrábit illis. ℣. Accípient regnum decóris et diadéma speciéi de manu Dómini. Præcínget se.

LECTIO. V.

Sancto Evódio succéssit Scrutárius, quem ipsíum sócium ac in ædificánda Ecclésia cathedráli coadjutórem fidelíssimum fuísse tradunt. Ob assídua eximíaque erga gregem sibi commíssum offícia, pópuli pater cognominátus est, cultúque religióso post mortem celebrátus. Sedis illíus sicut et sanctitátis hærédes fuérunt Suácrius et Hermentárius, quorum, etsi gesta ad nos usque non pervénerint, hoc saltem nobis compértum est illos procurándæ animárum salúti verbo et exémplo præeúntes invigilásse, et pro sanctis a fidélibus semper hábitos fuísse. Desinénte sexto sæculo, Ecclésiam Aniciénsem regébat sanctus Aurélius, cujus ætáte, ut refert Gregórius Turonénsis, éxtitit quidam sceléstus homo qui se Christum jactitans secúmque ducem meretrícem quam Maríam appellábat, quamdam esse in ea deitátis partem ímpie et stulte asséverans, váriis regiónibus peragrátis, plurimísque viris et muliéribus in errórem indúctis, tandem prope civitátem Vellavórum advénit. Deceptóri óbviam pródiit sanctus Præsul, quid cum tanta multitúdine velit interrógans. Cum vero ímpius præstigiátor respónderit se ab Epíscopo et ipsíus plebe adorári velle, indignátus unus e cívibus, zelo religiónis incénsus, pseudochrístum gládio pérculit. Capta vero merétrix supplíciis torta præstígia declarávit.

℟. Mementóte óperum patrum quæ fecérunt in generatiónibus suis :* Vos ergo, fílii, confortámini et viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis. ℣. Tantam habén-

tes impósitam nubem téstium remíssas manus, et solúta génua erígite. Vos ergo.

LECTIO VI.

Aurelio ad cœlos vocáto, ad illíus cathédram evéctus est Benígnus singulári potíssimum erga páuperes liberalitáte commendábilis. Is prima fertur posuísse fundaménta domus hospitális quam largis deínde munéribus ditátam Summi Pontífices indulgéntiis privilegiísque plúribus insigniérunt. Cum Ecclésiam Aniciénsem sapientíssime gubernásset Benígnus sanctitáte célebris óbiit sepultúsque est in Ecclésia sancti Evódii, ubi cum eódem sancto Evódio requiescébant Scrutárius, Suácrius, Hermentárius et Aurélius; donec sub finem sæculi décimi octávi, in sacriléga Galliárum perturbatióne, evérsa prorsus Ecclésia, ruptísque monuméntis, dispérsa sunt sacra pígnora, quorum tamen rémanent nonnúllæ partículæ in Ecclésia Seminárii pie servátæ.

℟. Mementóte præpositórum vestrórum qui vobis locúti sunt verbum Dei, * Quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fídem. ℣. Sunt quorum non est memória, sed illi viri misericórdiæ sunt quorum pietátes non defuérunt. Quorum intuéntes. Glória. Quorum intúentes.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Non nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum.

Psalm. 93. Cantáte Dómino... Cantáte, *Fer. VI. ad Mat.*, p. 101.

Ant. Facti sumus párvuli, tanquam si nutrix nútriat fílios suos.

Psalm. Dóminus regnávit... exúltet, *p.* 102.

Ant. Semper triúmphat nos Deus in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ maniféstat per nos.

Psalm. 97. Cantáte... quia mirabília, *Sabb. ad Matut.*, p. 105.

℣. Benedícimus vobis de domo Dómini. ℟. Deus Dóminus et illúxit nobis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Cap.* 10.

LECTIO VII.

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 29. in cap. 15. Epist. ad Rom.

Petro dicébat Christus : Si díligis me, pasce oves meas. Christum enim díligens, et gregem illíus útique díliget. Et Móyses tum primum super pópulum Judæórum pósuit, quando qua esset in illum benevoléntia reípsa jam decla-

ráverat. David quoque símili modo regno inaugurátus est, posteáquam apparúerat quam amíco esset in pópulum afféctu. Et Sámuel quoque benígnus erat, et amátor pópuli, unde et dicébat : Absit hoc a me peccátum, ut cessem pro vobis oráre Dóminum. Ita et Paulus, imo non ita, sed multo plus ómnibus ardébat erga súbditos. Et Christus óptimi pastóris régulam prófcrens, dixit : Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis.

℟. Desiderántes vos cúpide, volebámus trádere vobis, non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras : * Quóniam charíssimi nobis facti estis. ℣. Fórtis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Quóniam.

LECTIO VIII.

Et hómines quidem qui pópulis præsunt, si quando de rebus fortúitis consultatúri sunt, diébus non conténti, noctes étiam vigilándo ádhibent : nos vero qui pro ipso cœlo certámen habémus, ipso quoque die dormímus. Quis, quæso, ab eo nos supplício erípiet, quod istis debétur? Si enim corpus trucidándum expónere, si innúmeras mortes ferre oportébat, numquid ad hoc munus, tanquam ad nundínas, curréndum erat? Hæc autem non solum pastóres, sed et oves áudiant; ut alacrióres fáciant pastóres, áliud quidem nihil, verum omnem obediéntiam animúmque, cui persuadéri queat, exhibéntes.

℣. Scitis quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos, deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus ut ambularétis digne Deo. * Qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. ℣. Audíte ergo, fílii, servíte Dómino in veritáte, et inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi. Qui vocávit. Glória. Qui vocávit.

LECTIO IX.

Ita et Paulus præcépit dicens : Obedíte dúcibus vestris, et súbditi estóte : nam ipsi vígilant pro animábus vestris, tanquam ratiónem datúri. Quando vero dicit : Nam ipsi vígilant, innúmeros labóres, curas et perícula compléctitur. Bonus enim pastor, talis qualem Christus vult, innúmeris comparátur martyribus. Propter Christum quippe Martyr semel quidem est mórtuus, hic autem míllies propter gregem; síquidem talis sit Pastor, qualem esse opórtet : talis enim pastor síngulis diébus mori potest. Hæc vero mihi de óptimis pastóribus dicúntur, si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus. Istos ítaque imitémur, et superióres, et súbditi. Licet enim et súbdito pro parte pastórem ágere, nempe domus

suæ, amicórum, domesticórum uxóris, liberórum.

Te Deum laudamus, *p.* 15.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Hæc dicit Dóminus: Multiplicábo semen servi mei et Lévitas minístros meos.

Ant. Erit in loco isto habitáculum pastórum; transíbunt greges ad manum numerántis.

Ant. Dabo vobis pastóres juxta cor meum et pascent vos sciéntia et doctrína.

Ant. Fácient super altáre holocáusta vestra et placátus ero vobis.

Ant. Invocábunt nomen meum super fílios Israel et ego benedícam eis.

CAPITULUM.

FRATRES, mementóte præpositórum vestrórum qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fidem.

HYMNUS.

SALUTIS ætérnæ dator,
Jesu, redémptis súbveni;
Virgo parens cleméntiæ,
Dona salútem sérvulis.

Cohors triúmphans mártyrum,
Almus sacerdótum chorus,
Et virginális cástitas
Nostros reátus ábluant.

Quicúmque in alta síderum
Regnátis aula Príncipes,
Favéte votis súpplicum
Qui dona cœli flágitant.

Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

Ad Bened. Ant. Christus dedit Pastóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

ORATIO.

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, da Spíritum sapiéntiæ suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna Pastórum. Per... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Et fit Com. Oct. S. Georgii.

AD TERTIAM.

Ant. Erit in loco isto. *Capitulum de Laudibus.*

℟. *br.* Sacríficent * Sacrifícium laudis. Sacríficent. ℣. Et annúntient ópera ejus in exultatióne. Sacrifícium. Glória. Sacríficent.

℣. Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos. ℟. In colúmna nubis loquebátur ad eos.

AD SEXTAM.

Ant. Dabo vobis.

CAPITULUM.

VOS testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine queréla, vobis qui credidistis fúimus.

℟. *br.* Invocábant Dóminum, * Et ipse exaudiébat eos.

Invocábant. ℣. In colúmna nubis loquebátur ad eos. Et ipse. Glória. Invocábant.

℣. Benedíximus vobis de domo Dómini. ℟. Deus Dóminus et illúxit nobis.

AD NONAM.

Ant. Invocábunt.

CAPITULUM.

Gloria nostra hæc est testimónium consciéntiæ nostræ, quod in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti fúimus in hoc mundo, abundántius autem ad vos.

℟. *br.* Benedíximus vobis. * De domo Dómini. Benedíximus. ℣. Deus Dóminus et illúxit nobis. De domo. Glória. Benedíximus.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

AD II VESPERAS.

Psalmi. de Com. Pont. Ant. et Cap. de Laud.; alia ut in primis.

Comm. S. *Gregorii Thaum., Episc. et Conf., et Oct.* S. *Georgii. (Ac Calmeliaci, Translat. reliquiarum* S. *Theofredi, Abb. et Mart.)*

DIE XVII.

Calmeliaci tantum.

IN FESTO

S. GREGORII THAUMATURGI.

COMMEM. TRANSLAT. RELIQ.

S. THEOFREDI

ABB. ET MART.

ORATIO.

Deus, qui beáto Theofrédo non tantum propter te ómnia derelínquere, sed et sánguinem suum fúndere tribuísti : éxcita in Translatióne córporis ejus quam adhuc spirant sacri cíneres pietátem ejúsque précibus ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

LECTIO IX.

Sanctissimo Agóne consummáto Theofrédus sepúltus est, in monastérii sui Ecclésia beáto Petro dicáta, et ibi quiévit ducéntis et quadragínta duóbus annis. Donec médio círciter sæculo décimo Golfáldus Abbas templum exímii óperis eo in loco, ubi prius erat sancti Martíni oratórium, extrúxit, et in illud córpora santórum Theofrédi et Eudónis solémniter tránstulit, décimo quinto Kaléndas Decémbris. In Gállica autem sæculi décimi octávi perturbatióne, sanctórum ossa a piis fidélibus serváta, tandem rursus públicæ devotiónis expósita sunt, et nunc in sacéllo ad sinístram partem Ecclésiæ recondúntur, in quinque thecis lígneis quarum una sancti Theofrédi, áltera mole minor sancti Eudónis caput, áliæ autem cætera eorúmdem ossa cóntinent, et máxima veneratióne colúntur. Thecæ autem omnes sigíllo Epíscopi Aniciénsis munítæ ab anno supra millésimum et octingentésimum vigésimo secúndo, rei gestæ authéntica instruménta intro custódiunt.

DIE XVIII.

IN DEDICATIONE BASILICÆ SS. PETRI ET PAULI.

COMMEMORATIO

SANCTI ODONIS.

In I. Vesp. et Laud. e Comm. Conf. non Pónt., p. lxxiij.

Orat. Intercéssio.

LECTIO IX.

Odo ex Abbóne viro nóbili Aquitáno, qui diu líberis carúerat, fructus precum et bonórum óperum, ipsa Nativitátis Dómini nocte natus est. A pueritia ita fuit oratióni déditus ut quidquid veneratióni et áliis exercitatiónibus corporálibus impéndere cogebátur, pérditum tempus réputans. Annum décimum nonum assecútus et clericáli tonsúra insignítus a lectiónibus profanórum cœpit abstinére et uni Scriptúræ totum se dedit, ut ibi spíritum compunctiónis et férvidæ charitátis in suo fonte hauríret. Eménso Parísiis quátuor annórum cursu theológico, Turónes revérsus, in céllulam se recépit, oratióni et Scripturárum meditatióni innixe vacatúrus. Cum autem lectióne régulæ sancti Benedícti vitam ambíret monásticam, a Bernóne Abbáte hábitu religiónis indútus est. Mox ad Cluniacénsis monastérii régimen vocátus, uno excommunicatiónis metu addúctus est ut Abbas fíeret. Hoc múnere tanta laude functus est ut regulárem disciplínam ubique pene collápsam restauráverit, et cuncta monastéria sibi súbdita cœléstium domórum fécerit imágines. Ad eum summi Pontífices et príncipes non semel confugérunt ut lites públicas compóneret, neque spe sua fraudáti sunt. Tandem præ amóre sancti Martíni Turónes revérsus dénuo ibi plenus méritis ad Deum evolávit. Cum esset Dei genitrícis amantíssimus quam matrem misericórdiæ solébat appelláre, fuit illíus precum fœderis auctor quo Ecclésia beátæ Maríæ Aniciénsis órdini Cluniacénsi uníta est.

DIE XX.

IN FESTO S. FELICIS DE VALOIS.

COMMEMORATIO

S. EUDONIS, ABBATIS.

In I. Vesperis et Laud. e Commun. Conf. non Pont. Orat. Intercessio.

LECTIO IX.

Eudo, Arausícæ, nóbili génere ortus, in monastério Lirinénsi vitæ monásticæ nomen dedit et máxima laude plúribus annis militávit. Cum autem tunc témporis Calmílius, dux Aquitániæ ad radíces montis Mezéntiæ apud Veláunos, in honórem príncipis Apostolórum, cujus non semel límina adíerat, monastérium ædificásset, et ex Abbáte Lirinénsi virum expósceret qui

huic monastério præficerétur, Eudo ad id múneris eléctus est, ut pone virtútibus probatíssimus et omni meritórum génere decorátus. Proféctus ítaque et occupáto cœnóbio, disciplínam regulárem summo stúdio instítuit, divínis indesinénter vacans exercítiis, carnem spirítui subjíciens, jejúniis et siléntio ac omni indústria lupum óvibus arcens. Hinc fama sanctitátis longe latéque diffúsa, plúrimi ad eum concurrérunt discípuli, inter quos unus ex fratre nepos, quem hábuit successórem, Theofrédus et Menéleus Andegavénsis qui fuit póstea apud Arvérnos monastérii Menaténsis restaurátor et abbas. Tandem novíssimo corréptus morbo, fratres adhortátus sermóne benigníssimo, cum sacraménta rite percepísset, plenus méritis migrávit ad Christum, die décima nona Novémbris anno a partu vírgineo círciter septingentésimo.

¶ *Quando Festum Liberationis urbis Aniciensis ab hæreticis occurret ante Adventum, sumetur Officium in parte Hiemali absque Commem. Feriæ.*

FESTA MOBILIA

DOMINICA II. OCTOBRIS.

MATERNITATIS B. M. V.

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. et Capit. de Laudibus, Psalmi et alia, hic non propria, ut in Festis B. M. V. p. cxlvij.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnificat. Ant. Cum jucunditáte Maternitátem beátæ Maríæ semper Vírginis celebrémus.

Oratio ut in Laudibus.

Et fit Comm. Dom. occurr.

AD MATUTINUM.

Invit. Maternitátem beátæ Maríæ Vírginis celebrémus : * Christum, ejus Fílium, adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte. *p.* 2.

HYMNUS.

Cœlo Redémptor prætulit
Felícis alvum Vírginis,
Ubi futúra víctima
Mortále corpus índuit.

Hæc Virgo nobis édidit
Nostræ salútis áuspicem,
Qui nos redémit sánguine
Pœnas Crucémque pértulit.

Spes læta nostro e péctore
Pellat timóres ánxios;
Hæc quippe nostras lácrymas
Precésque defert Fílio.

Voces paréntis éxcipit,
Votísque Natus ánnuit :
Hanc quisque semper díligat,
Rebúsque in arctis ínvocet.

Sit Trinitáti glória,
Quæ Matris intáctum sinum
Ditávit alvo gérmine,
Laus sit per omne sæculum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

LECTIO I. *Cap.* 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi : in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor.

℟. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Ex qua ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster : per quem salváti et redémpti sumus. ℣. Maternitátem beátæ Maríæ Vírginis cum gáudio celebrémus. Ex qua.

LECTIO II.

Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris : * Qui cœlum terrámque regit, in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Qui.

LECTIO III.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris : et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris.

℟. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas : * Speciósa facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. ℣. Séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Maternitátem. Speciósa. Glória Patri. Speciósa.

IN II. NOCTURNO.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ex sermóne sancti Leónis, Papæ.

Serm. 1. de Nativ. Domini.

LECTIO IV.

Virgo régia Davídicæ stirpis elígitur, quæ sacro gravidánda fœtu, divínam humanámque prolem prius concíperet mente quam córpore : et ne supérni ignára consílii ad inusitátos pavéret affátus, quod

in ea operándum erat a Spíritu sancto, collóquio dídicit Angélico, nec damnum crédidit pudóris Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fides étiam præeúntis attestatióne miráculi, donatúrque Elísabeth inopináta fœcúnditas, ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur et Vírgini. Verbum ígitur Dei Deus, Fílius Dei, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil, propter liberándum hóminem ab ætérna morte, factus est homo.

℟. Gloriósæ Vírginis Maríæ Maternitátem digníssimam recolámus: * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ, Angelo nuntiánte, concépit Salvatórem mundi. ℣. Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte mirábilis Genitrícis Dei. Cujus.

Serm. 2. de Nativ. Domini.

LECTIO V.

INGREDITUR hæc íntima Jesus Christus Dóminus noster de cœli sede descéndens, et a patérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris: incomprehensíbilis vóluit comprehéndi: ante témpora manens, esse cœpit in témpore. Nova autem nativitáte génitus est: concéptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnæ carnis concupiscéntia, sine matérnæ integritátis injúria, quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui et in se habéret humánæ substántiæ natúram, et humánæ carnis inquinaménta nescíret. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis: humáno usu et consuetúdine, quod crédimus, caret; sed divína potestáte subníxum est, quod Virgo concéperit, Virgo pepérerit, Virgo permánserit.

℟. Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitæ communicávimus. * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, et a perículis cunctis líbera nos, sancta Dei Génitrix. Sola.

LECTIO VI.

OPORTUIT, ut primam Genitrícis integritátem nascéntis incorrúptio custodíret, et complácitum sibi claustrum pudóris et sanctitátis hospítium divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quæ statúerat dejécta erígere, confrácta solidáre, et superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiæ donáre virtútem; ut virgínitas, quæ in áliis non póterat salva esse generándo, fíeret áliis imitábilis renascéndo. Hoc ipsum autem, quod Christus

nasci éligit ex Vírgine, nonne appáret altíssimæ fuísse ratiónis, ut scílicet humáno géneri natam salútem diábolus ignoráret, et spirituáli laténte concéptu, quem non álium vidéret quam álios, non áliter créderet natum esse quam cæteros? Quod ut fíeret, éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus sanctus fœcundávit, et cum in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, hæc inde purgatiónem traxit, unde concépit.

℟. Benedicta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui : * Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? ℣. Respéxit humilitátem ancíllæ suæ, et fecit mihi magna, qui potens est. Unde. Glória Patri. Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Fecit mihi magna, quí potens est. ℟. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

In illo témpore : Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi, Abbátis.

Hom. 1. *de Laud. Virg. Matr.*

Deum et Dóminum Angelórum María suum Fílium appéllat, dicens : Fili, quid fecísti nobis sic? Quis hoc áudeat Angelórum? Súfficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sunt et vocáti Angeli testánte David : Qui facit Angelos suos spíritus. María vero Matrem se agnóscens, majestátem illam, cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat Fílium : nec dedignátur nuncupári Deus quod esse dignátus est. Nam paulo post subdit Evangelísta : Et erat súbditus illis. Quis? Quibus? Deus homínibus, Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus et Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te, quæ dicta sunt tibi : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Proptérea.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

LECTIO VIII.

Mirare utrúmlibet, et élige quid ámplius miréris, sive Fílii benigníssimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrínque stupor, utrínque miráculum. Et quod Deus fœminæ obtémperet, humílitas absque exémplo : et quod Deo fœmina

principipétur, sublímitas sine sócio. In láudibus Vírginum singuláriter cánitur quod sequúntur Agnum quocúmque íerit. Quibus ergo láudibus júdicas dignam, quæ étiam præit? Disce, homo, obedíre: disce, terra, subdi: disce, pulvis, obtemperáre. De Auctóre tuo loquens Evangelísta: Et erat, inquit, súbditus illis. Erubésce, supérbe cinis: Deus se humíliat, et tu te exáltas! Deus se homínibus subdit, et tu dominári géstiens homínibus, tuo te præpónis Auctóri! ¶ Felix María, cui nec humílitas défuit, nec virgínitas! Et quidem singuláris virgínitas, quam non temerávit, sed honorávit fœcúnditas. Et nihilóminus speciális humílitas, quam non ábstulit, sed éxtulit fœcúnda virgínitas: et incomparábilis prosus fœcúnditas, quam virgínitas simul comitátur et humílitas. Quid horum non mirábile? Quid non incomparábile? Quid non singuláre? Mirum vero, si non hæsitas, in horum ponderatióne, quid tua júdices dígnius admiratióne, utrum vidélicet pótius stupénda sit fœcúnditas in Vírgine, an in Matre intégritas, sublímitas in prole, an cum tanta sublimitáte humílitas? Nisi quod indubitánter horum síngulis præferénda sunt simul cuncta, et incomparabíliter excelléntius est atque felícius ómnia percepísse quam áliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirábilis cérnitur et légitur in Sanctis suis, mirábilem se exhíbuit in Matre sua? Venerámini ergo, cónjuges, in carne corruptíbili carnis integritátem: mirámini étiam vos, sacræ vírgines, in Vírgine fœcunditátem: imitámini, omnes hómines, Dei Matris humilitátem.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et. Glória Patri. Et.

Lectio IX. de Homilia Dominicæ occurrentis.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Beáta es,* Virgo María, quæ ómnium portásti creatórem.

Psalm. Dóminus regnávit, *Dom. ad Laud., cum reliquis,* p. 16.

Ant. Genuísti * qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

Ant. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Dóminus.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Vidérunt eam * fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

HYMNUS.

Te, Mater alma Núminis,
Orámus omnes súpplices,
A fraude nos ut dæmonis
Tua sub umbra prótegas.

Ob pérditum nostrum genus
Primi paréntis crímine,
Ad ínclytum Matris decus
Te Rex suprémus éxtulit.

Cleménter ergo próspice
Lapsis Adámi pósteris :
A te rogátus Fílius
Depónat iram víndicem.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Germinávit radix Jesse : orta est stella ex Jacob. ℟. Virgo péperit Salvatórem. Te laudámus, Deus noster.

Ad Bened. Ant. Sancta María, succúrre míseris : juva pusillánimes : réfove flébiles : ora pro pópulo : intérveni pro clero : intercéde pro devóto fœmíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam admirábilem Maternitátem.

ORATIO.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis : ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem.

Et fit Comm. Dom. occ.

AD HORAS.

Ant. de Laud., Capit. et ℟℟. *br. ut in Festis B. M. V., excepto Capitulo de Tertia, quod est Capit. de Laudibus.*

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter.

Ad Magnif. Ant. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster.

Et fit Comm. Dom. occ.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Omnia, hic non propria, ut in Festis B. M. V., p. cxlvij.

In fine Ant. ad Magníf. in I. Vesperis et in ℟. VII. *ad Matutinum, loco* : Tuam sanctam Festivitátem, *dicitur* : Tuum sanctum Patrocínium.

Comm. Dom. occurr. in utrisque Vesp. et Laud.

In III. Noct. Lectio IX. de Homilia Dom. occurr.

Quoties hoc Officium, ob occursum alterius, transferri contingat, nec reponi possit nisi in Adventu, tunc ex Decr. S. R. C. diei 25. *Aug.* 1818., *nihil immutari debet præter nonam Matutini Antiphonam, quæ erit*

Ant. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu sancto.

OFFICIA VOTIVA
DIŒCESI ANICIENSI
A SANCTA SEDE CONCESSA.

¶ *Extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora, Octavas et Vigilias* PRIVILEGIATAS, *fit, ritu semiduplici, singulis Feriis* V, *Officium votivum* DE SS. SACRAMENTO, *et, singulis Sabbatis,* DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. M. V., *modo non obstet his diebus, occurrens aut translatum, Officium novem Lectionum.*

Præcedente autem aut subsequente Officio novem Lectionum, ordinandæ erunt Vesperæ juxta Rubricas de concurrentia Officii. Quoad Officium simplex occurrens, Lectio IX, si propria habeatur, legitur de eo, cum Commemoratione ejusdem in I. Vesperis et Laudibus.

Fit Comm. de Cruce, ut in tempore Paschali, et preces dicuntur ad Completorium et ad Primam.

Notandum quod ad Completorium Feriæ IV. et VI. in fine Hymni, dicitur : Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, *etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commem. de SS. Sacramento aut de B. M. V.*

OFFICIUM VOTIVUM
DE SS. SACRAMENTO
IN FER. V. NON IMPEDITIS.

Semiduplex.

AD VESPERAS.

Ant. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Psalm. Dixit Dóminus, *in Dom. ad Vesp.*, p. 123.

Ant. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Psalm. Confitébor., *ibid.*, p. 123.

Ant. Cálicem salutáris accí-

piam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Psalm. Crédidi, *Fer. II. ad Vesp.*, p. 127.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Psalm. Beáti omnes, *Fer. IV. ad Vesp.*, p. 132.

Ant. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Psalm. Lauda, Jerúsalem, *Sabb. ad Vesp.*, p. 143.

CAPITULUM. I. *Cor.* 11.

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens, fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

PANGE, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit Géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui,
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui;
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum deféctui.

Genitóri Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnif. Ant. O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstíto, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes!

ORATIO.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui Sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Completorium et per Horas, in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Regem adorémus, dominántem Géntibus, * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Psalm. Veníte, exultémus. *p.* 2.

HYMNUS.

Sacris solémniis
Juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis
Sonent præcónia :
Recédant vétera,
Nova sint ómnia,
Corda, voces et ópera.
  Noctis recólitur
Cœna novíssima,
Qua Christus créditur
Agnum et ázyma
Dedísse frátribus,
Juxta legítima,
Priscis indúlta pátribus.
  Post agnum typicum,
Explétis épulis,
Corpus Domínicum
Datum discípulis,
Sic totum ómnibus,
Quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
  Dedit fragílibus
Córporis férculum,
Dedit et trístibus
Sánguinis póculum,
Dicens : Accípite
Quod trado vásculum :
Omnes ex eo bíbite.
  Sic sacrifícium
Istud instítuit,
Cujus offícium
Commítti vóluit
Solis Presbyteris,
Quibus sic cóngruit
Ut sumant, et dent cæteris.
  Panis Angélicus
Fit panis hóminum :
Dat panis cœlicus
Figúris términum :
O res mirábilis !
Mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
  Te, trina Déitas
Unaque, póscimus,
Sic nos tu vísita,
Sicut te cólimus :
Per tuas sémitas
Duc nos quo téndimus,
Ad lucem quam inhábitas.
    Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Ps. Beátus vir, *in I. Noct. Dom.*, p. 3.

Ant. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Psalm. Cum invocárem, *ad Complet.*, p. 146.

Ant. Communióne cálicis quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

Psalm. Consérva me, *in II. Noct. Dom.*, p. 10.

℣. Panem cœli dedit eis.
℟. Panem Angelórum manducávit homo.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. I. Immolábit hœdum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ, * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pas-

cha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. Et edent.

℟. II. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Iste.

℟. III. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit, et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et. Glória. Et.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri, et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalm. Exáudiat, *in III. Noct. Dom.*, p. 14.

Ant. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes qui tríbulant nos.

Psalm. Dóminus regit me, *Fer. V. ad Primam.*, p. 31.

Ant. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

Psalm. Quemádmodum, *Feria III. ad Matut.*, p. 63.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

MENSIBUS

SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Ex libro sancti Ambrósii, Epíscopi, de Sacraméntis. *Lib. 4. Cap. 4.*

LECTIO IV.

Auctor Sacramentórum quis est, nisi Dóminus Jesus? De cœlo ista Sacraménta venérunt. Consílium enim omne de cœlo est. Vere autem magnum est et divínum miráculum, quod pópulo pluit Deus manna de cœlo : et non laborábat pópulus, et manducábat. Tu forte dicis : Meus panis est usitátus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentórum : ubi accésserit consecrátio, de pane fit caro Christi. Hoc ígitur adstruámus : Quómodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratióne. Consecrátio ígitur quibus verbis est, et cujus sermónibus? Dómini Jesu. Nam réliqua ómnia, quæ dicúntur, laudem Deo déferunt : orátio præmíttitur pro pópulo, pro régibus, pro cæteris : ubi venítur ut conficiátur venerábile Sacraméntum, jam non suis sermónibus Sacérdos, sed útitur sermónibus Christi.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur. Accípite.

LECTIO V.

Ergo sermo Christi hoc cónficit Sacraméntum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt ómnia. Jussit Dóminus, et factum est cœlum : jussit Dóminus, et facta est terra : jussit Dóminus, et facta sunt mária : jussit Dóminus, et omnis creatúra generáta est. Vides ergo quam operatórius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermóne Dómini Jesu, ut incíperent esse quæ non erant, quanto magis operatórius est, ut quæ erant, in áliud commuténtur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicéntem : Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandávit, et creáta sunt. Ergo tibi ut respóndeam, non erat corpus Christi ante consecratiónem, sed post consecratiónem, dico tibi quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est : ipse mandávit, et creátum est.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VII. *Cap.* 5.

Jam redi mecum ad propositiónem meam. Magnum quidem et venerábile, quod manna Judæis pluit e cœlo. Sed intéllige quid est ámplius, manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi útique, qui auctor est cœli. Deínde manna qui manducávit, mórtuus est : qui manducáverit hoc corpus, fiet ei remíssio peccatórum, et non moriétur in ætérnum. Ergo non otióse, cum áccipis, tu dicis, Amen, jam in spíritu cónfitens quod accípias corpus Christi. Dicit tibi Sacérdos, Corpus Christi, et tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitétur lingua, téneat afféctus.

℟. Ego sum panis vitæ : patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

MENSE NOVEMBRI.

Sermo sancti Cyrílli, Epíscopi Hierosolymitáni.

Catechesi mystagog. 4.

LECTIO IV.

Ipsa beáti Pauli doctrína abúnde sufficere vidétur, ut certam vobis de divínis mystériis fidem fáciat : quibus digni rédditi, concorpórei, ut ita dicam, et consanguínei Christi facti estis. Ipse enim modo clamábat, quod in nocte, qua tradebátur Dóminus noster Jesus Christus, accípiens panem,

et grátias agens, fregit, et dedit discípulis suis, dicens : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, et grátias agens, dixit : Accípite, et bíbite : hic est sanguis meus. Cum ígitur ipse de pane pronuntiáverit ac díxerit : Hoc est corpus meum, quis audébit deínceps ambígere? Et cum idem ipse tam asseveránter díxerit : Hic est sanguis meus, quis umquam dubitáverit, ut dicat non esse ejus sánguinem?

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur. Accípite.

LECTIO V.

AQUAM olim in vinum convértit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum sánguine propinquitátem, et eum parum dignum existimábimus, cui credámus quod vinum in sánguinem transmutárit? Ad eas núptias, quibus córpora copulántur, vocátus, præter opiniónem ómnium hoc fecit miráculum, et non multo magis sic eum corpus et sánguinem suum fruénda nobis donásse persuásum fírmiter habébimus, ut ea cum omni certitúdine tamquam corpus ipsíus et sánguinem sumámus? Nam in spécie panis dat nobis corpus, et in spécie vini dat nobis sánguinem, ut, cum súmpseris, gustes corpus et sánguinem Christi, factus ejúsdem córporis et sánguinis párticeps. Sic enim effícimur Christíferi, hoc est, Christum in corpóribus nostris feréntes, cum corpus ejus et sánguinem in membra nostra recípimus : sic secúndum beátum Petrum, divínæ natúræ consórtes réddimur.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. Hoc.

LECTIO VI.

OLIM cum Judæis Christus dísserens : Nisi manducavéritis, inquit, carnem meam, et bibéritis meum sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Cum autem illi, quæ dicta fúerant, non spirituáliter accepíssent, offénsi abiérunt retro; putábant enim quod eos ad manducándas carnes hortarétur. Erant et in véteri Testaménto panes propositiónis : verum illi cum fúerint véteris Testaménti, finem jam accepérunt. In novo vero Testaménto, panis est cœléstis, et calix salutáris, qui et ánimam et corpus sanctíficant. Quamóbrem non sic hæc atténdas velim, tamquam sint nudus et sim-

plex panis, nudum et simplex vinum; corpus enim sunt et sanguis Christi. Nam etiámsi sensus illud tibi renúntiat, fides tamen te confírmet. Ne júdices rem ex gustu, sed te citra ullam dubitatiónem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui córporis et sánguinis Christi párticeps fíeres.

℟. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in déserto, et mórtui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Hic. Glória Patri. Hic.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Introíbo ad altáre Dei: sumam Christum qui rénovat juventútem meam.

Psalm. Júdica me, *Fer. III. ad Laud.*, p. 69.

Ant. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti, et de petra, melle saturávit nos.

Ps. Exultáte Deo, *Fer. VI. ad Matut.*, p. 94.

Ant. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus, in quem cor et caro nostra exúltant.

Psalm. Quam diléctа tabernácula, *ibid.*, *p.* 96.

℣. Edúcas panem de terra.
℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

MENSIBUS

SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 5.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilía sancti Hilárii, Epíscopi.

Lib. 8. *de Trinit.*, *ante med.*

Non est humáno aut sæculi sensu in Dei rebus loquéndum. Quæ scripta sunt, legámus, et quæ legérimus, intelligámus, et tunc perféctæ fídei offício fungémur. De naturáli enim in nobis Christi veritáte quæ dícimus, nisi ab eo díscimus, stulte atque ímpie dícimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritáte carnis et sánguinis non relíctus est ambigéndi locus.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

LECTIO VIII.

Nunc enim et ipsíus Dómini professióne, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis

est. Et hæc accépta atque hausta id effíciunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc véritas non est? Contíngat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc, quod non sumus, in Deo est. Quod autem in eo per Sacraméntum communicátæ carnis et sánguinis simus, ipse testátur, dicens : Et hic mundus jam me non videt; vos autem me vidébitis, quóniam ego vivo, et vos vivétis : quóniam ego in patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et. Glória Patri. Et.

IX. Lectio de S. Simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

Quod autem in nobis naturális hæc únitas sit, ipse ita testátus est : Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fúerit, ejus tantum in se assúmptam habens carnem, qui suam súmpserit. Perféctæ autem hujus unitátis Sacraméntum supérius jam docúerat, dicens : Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo per Patrem, et qui mandúcat meam carnem, et ipse vivet per me. Vivit ergo per Patrem, et quo modo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vivémus.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

MENSE NOVEMBRI.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 6.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilía sancti Cyrílli, Epíscopi Alexandríni.

Lib. 4. in Joannem. Cap. 17.

Qui mandúcat, inquit, carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Sícuti enim si quis liquefáctæ ceræ áliam ceram infúderit, álteram cum áltera per totum commísceat necésse est; sic qui carnem et sánguinem Dómini récipit, cum ipso ita conjúngitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniátur. Símili quodam modo apud Matthæum compéries. Símile est, inquit, regnum cœlórum ferménto, quod accéptum abscóndit múlier in farínæ satis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, ferménti totam massam ferméntat; sic párvula benedíctio totum hóminem in seípsam áttrahit, et sua grátia replet, et

hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In.

LECTIO VIII.

Nos vero, si vitam ætérnam cónsequi vólumus, si largitórem immortalitátis habére in nobis desiderámus, ad recipiéndam benedictiónem libénter concurrámus, caveamúsque ne loco láquei damnósam religiónem diábolus nobis prætendat. Recte (inquit,) dicis : scriptum tamen esse non ignorámus, judícium sibi comédere atque bíbere, illum qui de pane cómedit et de cálice bibit indígne. Ego ígitur probo meípsum, et indígnum invénio. Quando ígitur, quicúmque tu es, qui ista dicis, dignus eris? Quando Christo teípsum ófferes? Nam si peccándo indígnus es, et peccáre non désinis, (quis enim delícta intélligit, secúndum Psalmístam?) expers omníno eris vivíficæ hujus sanctificatiónis.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. Et. Glória Patri. Et.

IX. Lectio de S. Simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

Quare pias, quæso, cogitatiónes suscípias, studióse sanctéque vivas, et benedictiónem partícipes : quæ (mihi crede,) non mortem solum, verum étiam morbos omnes depéllit. Sedat enim, cum in nobis máneat Christus, sæviéntem membrórum nostrórum legem, pietátem corróborat, perturbatiónes ánimi extínguit, ægrótos curat, collísos redíntegrat, et sicut Pastor bonus, qui ánimam suam pro óvibus pósuit, ab omni nos érigit casu.

Te Deum laudámus. *p.* 15.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam.

Psalm. Dóminus regnávit., *cum reliquis de Dom.*, p. 16.

Ant. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de cœlo præstitísti eis.

Ant. Pinguis est panis * Christi, et præbébit delícias régibus.

Ant. Sacerdótes sancti incénsum et panes ófferunt Deo.

Ant. Vincénti * dabo manna abscónditum, et nomen novum.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Fratres, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, acce-

pit panem, et grátias agens, fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

HYMNUS.

Verbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.
In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.
Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem,
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.
Se nascens dedit sócium,
Convéscens in édúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.
O salutáris Hóstia,
Quæ cœli pandis óstium,
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium!
Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória,
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Bened. Ant. Ego sum panis vivis, qui de cœlo descéndi : Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári ; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Et dicuntur Preces.

AD TERTIAM.

Ant. Angelórum esca.

Capit. Fratres, Ego enim.

℟. *br.* Panem cœli * Dedit eis. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit. Glória Patri. Panem.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

AD SEXTAM.

Ant. Pinguis est panis.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. *br.* Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

AD NONAM.

Ant. Vincénti.

CAPITULUM. *I. Cor.* 11.

Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus

erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. *br.* Edúcas panem * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter Ad Magnif. Ant. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur, recólitur memória Passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur!

OFFICIUM VOTIVUM

DE IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

IN SINGULIS SABB. NON IMPEDITIS DE QUIBUS SUPRA, *p.* 59*.

Semiduplex.

AD VESPERAS.

Ant. et Capit. de Laud., Psalmi ut in Festis B. M. V. p. cxlvij.

Hymn. Ave, maris, *p.* cxlix.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ant. Beáta Dei Génitrix, María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo, allelúia.

Oratio ut in Laudibus.

Commem. communes de Apostolis, de Patrono, et de Pace, p. 143.

AD MATUTINUM.

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum, ejus Fílium, adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte, *p.* 2.

Hymn. Quem terra, *p.* cxlix.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas.

Psalmi de B. M. V., p. cl.

Ant. Manus Dómini confortávit te; et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ant. Nóli metúere, non moriéris : non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

℣. Deus præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Lect. de Script. occurr.

℟. 1. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut

sol? ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis. Pulchra.

℟. II. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, * Cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum. Cujus.

℟. III. Congratulámini mihi, omnes qui diligitis Dóminum, * Quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quia. Glória Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et factus est Dóminus protéctor meus.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Fundátur mons Sion exultatióne univérsæ terræ, látera aquilónis, cívitas Regis magni.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

MENSIBUS
SEPTEMBRI ET OCTOBRI
Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Serm. 2. in Nativ. B. M. V.

LECTIO IV.

Cum homo per imménsam Dei bonitátem in rerum natúram edéndus esset, in primis cœlum exténditur, substérnitur terra, suis mare términis cláuditur, cætéraque ómnia, quibus útraque compléndа essent, in univérsi ornátu una prodúcta sunt. Tum postrémum homo, régio cultu in paradíso, velut in virtútis schola, pónitur, ac nisi violásset præcéptum, a vitáli illo loco numquam exulásset : cumque expers induménti esset, nisi divínis consíliis obstitísset, haudquáquam in multis variísque affectiónibus obnóxiam mutatiónem cecidísset, ut Dei monárchæ loco plura númina cóleret. Cunctis ítaque, ut verbo expédiam, interitióni déditis, miseránte Deo, ne quem suis ipse mánibus formásset, in níhilum céderet penitúsque abolerétur, cœlum áliud novum, terrámque ac mare fábricat, in quibus propensióri consílio humánum genus reformatúrus ipse caperétur, qui capi nusquam potest. Isthæc porro est beáta multiplicitérque celebránda Virgo.

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

O rem miram! Cœlum quidem est, cum velut ex penitíssimis virginitátis thesáuris

Solem justítiæ próferat : terra vero, ceu quæ ex intemerátis lumbis vitæ spicam edat : mare tandem, útpote quæ ex úteri sui sinu spirituálem margarítam prodit. Nunc ítaque nova ejus, qui capi nequit, creatúra elúxit : universórum Regis regális aula paráta est : ejus, qui incomprehensíbilis est, ratióne utens diversórium instrúctum. Quam mundus iste magníficus est! Quam stupénda creátio, quæ virtútum arbóribus venustátem habet, castitátis odóre fragrat, sensórum splendóribus claret, cunctísque bonis áliis nulla penúria frúitur : digna dénique prorsus est, in qua Deus ad hómines véniens inhábitet! Quinímo, inquit, mundus antérior quam máxime est admirábilis. Tum enim, cum creáta sunt sídera, laudavérunt me voce magna Angeli mei, et prædicavérunt : nihil vero sic Deo decens gratúmque fuit, uti sancta omnibúsque modis miránda Virgo.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula. ℣. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

O INDULGENTIÆ demissiónem! Qui exímie bonus est, próprii figménti proles audíre non rénuit, amóre captus illíus, quæ creátis ómnibus speciósior est, illam ampléxus, quæ cœléstibus Virtútibus dignitáte præit. De hac ítaque summe admirábilis Zachárias ait : Gaude et lætáre, fília Sion, quia ecce vénio, et habitábo in médio tui, dicit Dóminus. Sed et beatíssimus Joel de eádem, ut quidem exístimo, ita propémodum nóscitur clamáre : Confíde, terra, gaude et lætáre, quia magnificávit Dóminus ut fáceret tibi. Terra namque est, in qua sacratíssimus Móyses umbráticæ legis calceaméntum sólvere ob grátiæ commendatiónem jussus est. Terra est, in qua ille carne fundátus a spíritu cánitur, qui fundat terram super stabilitátem suam. Terra est, in qua nulla peccáta e nata spina; secus vero per cujus germen illud pótius evúlsum est. Terra est, non uti prior maledícta, ac cujus fructus spinis ac tríbulis horréscant, sed super quam benedíctio Dóminus fuit, et cujus fructus ventris benedíctus, ut sacro dictum est oráculo.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. ℣. Ornátam monílibus, fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. Quia. Glória Patri. Quia.

MENSE NOVEMBRI.

De Sermóne sancti Bernárdi, Abbátis.

Ex Hom. 2., *super* Missus est.

LECTIO IV.

LÆTARE, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater,

exúlta, qui sicut ómnium paréntes, ita ómnium fuístis peremptóres; et quod infelícius est, prius peremptóres quam paréntes. Ambo, inquam, consolámini super fília, et tali fília; sed illa ámplius de qua malum ortum est prius, cujus oppróbrium in omnes pertransívit mulíeres. Instat namque tempus, quo jam tollátur oppróbrium, nec hábeat vir quid causétur advérsus fœminam; qui útique, dum se imprudénter excusáre conarétur, crudéliter illam accusáre non cunctátus est, dicens : Múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Proptérea curra, Eva, ad Maríam : curre, mater, ad filiam : fília pro matre respóndeat : ipsa matris oppróbrium áuferat : ipsa patri pro matre satisfáciat : quia ecce si vir cécidit per fœminam, jam non erígitur nisi per fœminam.

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei. Díligit.

LECTIO V.

Quid dicébas, o Adam? Múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malítiæ sunt hæc, quibus magis áugeas quam déleas culpam. Verúmtamen sapiéntia vicit malítiam, cum occasiónem véniæ, quam a te Deus interrogándo elícere tentávit, sed non pótuit, in thesáuro indeficiéntis suæ pietátis invénit. Rédditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fátua, húmilis pro supérba; quæ pro ligno mortis gustum tibi pórrigat vitæ, et pro venenóso cibo illo amaritúdinis, dulcédinem páriat fructus ætérni. Muta ergo iníquæ excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiónis, et dic : Dómine, múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comédi : et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificásti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Vírginem. O fœminam singuláriter venerándam, super omnes fœminas admirábilem, paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem?

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ, spéculum sine mácula. ℣. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

LECTIO VI.

Quam tibi áliam prædixísse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait : Inimicítias ponam inter te et mulíerem? Et si adhuc dúbitas, quod de María díxerit, audi quod séquitur : Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ? Ipsa procul dúbio caput contrívit ve

nenátum, quæ omnímodam suggestiónem tam de carnis illécebra, quam de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam vero áliam Sálomon requirébat, cum dicébat : Mulíerem fortem quis invéniet? Nóverat quippe vir sápiens hujus sexus infirmitátem, frágile corpus, lúbricam mentem. Quia tamen et Deum légerat promisísse, et ita vidébat congrúere, ut qui vícerat per fœminam, vincerétur per ipsam, veheménter admírans aiébat : Mulíerem fortem quis invéniet? Quod est dícere : Si ita de manu fœminæ pendet et nostra ómnium salus, et innocéntiæ restitútio, et de hoste victória, fortis omníno necésse est ut provideátur, quæ ad tantum opus possit esse idónea.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia ancíllam húmilem respéxit Deus. ℣. Ornátam monílibus, fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit. Quia. Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ave, grátia plena : Dóminus tecum.

Ant. Veníte, et vidéte, et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ.

Ant. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear : propter hoc dilatátum est cor meum.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

MENSIBUS
SEPTEMBRI ET OCTOBRI.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysostómi.

Ex Homilia 2. in Matth., post initium.

Cujus vero rei grátia librum ipsum generatiónis Christi vocat, ubi non sola útique generátio, sed tota prorsus ipsíus mystérii dispensátio continétur? Quia totíus scílicet dispensatiónis caput, radix atque princípium ómnium nobis in hoc consístit bonórum. Ut enim Móyses librum cœli appellávit ac terræ, cum certe non de cœlo solum terráque loquerétur, sed de cunctis quæ inter ista subsístant; ita étiam Evangelísta ab ipso ómnium fonte et cápite bonórum librum vocávit.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et.

LECTIO VIII.

Qua vero de causa non eum ante fílium Abrahæ, et

póstea fílium David nuncupávit? Non, sicut opinántur áliqui, ab inferióribus volens ad superióra conscéndere. Cæterum fecísset quod fecit et Lucas; nunc autem e contrário facit. Cur ergo commemorávit priórem David? Quia ipse procul dúbio in ómnium versabátur ore, ob insígne honóris et glóriæ, ob ipsíus quoque témporis spátia junctióra. Etsi enim utríque promíserat Deus, sed tamen illud quasi antíquum reticebátur, hoc vero, quasi novum et recens, ab ómnibus celebrabátur.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia. Glória. Quia.

IX. Lectio de S. Simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

Ipsi namque Judæi dicunt: Nonne ex sémine David, et Béthlehem castéllo, unde erat David, venit Christus? Nemo ígitur illum fílium Abrahæ, sed omnes fílium David nominábant: qui étiam honorabilióres quosque de sanctitáte reges, qui post David fuísse referúntur, ab illo omnes vocábant. Nec ipsi solum, verum étiam Deus; nam et Ezéchiel et álii Prophétæ dicunt David surrectúrum esse eis atque ventúrum, non de illo útique mórtuo jam loquéntes, sed de iis qui illíus virtútem erant imitatúri. Proptérea ígitur a notióre ínterim et celebratióre persóna sumit exórdium, et tum demum ad antiquiórem recúrrit paréntem.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

MENSE NOVEMBRI.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysostómi.

Unde supra, paulo post.

Duo sunt quæ páriunt quæstiónem. Unum, quæ causa sit, ut in generatiónum catálogo Virgo sileátur; álterum vero, qua ratióne Joseph memorétur, cui certe nihil cum Christi generatióne est commúne. Vidétur enim et unum abundáre, et álterum deésse. Quid ergo dicémus? Quod útique primum illud necésse fúerit memorári, quemádmodum ex David Virgo descendérit. Unde hoc ítaque discémus? Audi ad Gábriel loquéntem Dóminum: Vade ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen Joseph, ex domo et família David. Quid vis audíre maniféstius, cum ex domo et famí-

lia David illam Vírginem esse cognóscas?

℟. Signum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et.

LECTIO VIII.

Non erat mos apud Hebræos generatiónum catálogum per fœminas téxere. Ut ergo et morem custodíret, neve in ipso statim princípio viderétur antíqua destrúere, et nobis Vírginem cértius indicáret, paréntes ejus réticens atque majóres, de Joseph generatióne non tácuit. Sive enim hæc fecísset in Vírgine novitátis non effugísset invídiam; sive Joseph reticuísset, non agnoscerémus ex qua tribu Virgo subsísteret. Ut ergo et nos discernerémus quæ esset María, vel unde, et consuetúdo legis permanéret immóbilis, generatiónum catálogum usque ad sponsum ejus perdúxit, ac de domo illum David esse monstrávit.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. ℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia. Glória Patri. Quia.

IX. Lectio de S. Simplici, si occurrat; alias

LECTIO IX.

Hoc enim declaráto, illud quoque páriter osténdit, quod scílicet inde esset et Virgo; quia útique nequáquam justus iste paterétur uxórem sibi aliúnde quam unde lex præcipiébat, elígere. Póssumus vero áliam quoque et altiórem quidem proférre ratiónem, ob quam paréntes Vírginis prætermíssi sunt. Sed quæ ea est? Nóluit Evangelísta recénti adhuc témpore novi illíus admirandíque partus, Judæis esse maniféstum quod Christus natus fuísset ex Vírgine. Neque próprius noster hic sermo est, sed a nobis de Patrum atque insígnium virórum traditióne suscéptus.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Ant. Sicut lilíum * inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum relíquis*, p. 16.

Ant. Diléctus meus * mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Ant. Tota pulchra es, * amíca mea, et mácula non est in te.

Ant. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

Ant. Tu glória * Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

DOMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymn. O gloriósa, *p.* clviij.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Bened. Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem : Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus : ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

ORATIO.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : ejus nobis intercessióne concéde; ut cor et corpus nostrum immaculátum Tibi, qui eam ab omni labe præservásti, fidéliter custodiámus. Per eúmdem Dóminum.

Commem. communes de Apostolis, etc., p. 143.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*, ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Diléctus meus.

Capit. Dóminus, *ut supra.*

℟. *br.* Deus * Præcínxit me virtúte. Deus. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Præcínxit. Glória Patri. Deus.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

AD SEXTAM.

Ant. Tota pulchra es.

CAPITULUM. *Ezech.* 44.

PORTA hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam, erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. *br.* In hoc cognóvi * Quóniam voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam. Glória Patri. In hoc.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ant. Tu glória.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

℟. *br.* Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In Vesp. a Capit. de Sabb.; fit Comm. de Immaculata Concept. B. M. V. ut sequitur :

Ant. Concéptio tua, Dei Genítrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam, allelúia.

℣. Immaculáta Concéptio sanctæ Maríæ Virgínis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio Deus, qui per Immaculátam, *ut supra.*

INDULGENTIÆ UNIVERSO

CLERO ANICIENSI

PRO SINGULIS UNIUSCUJUSQUE ORDINATIONUM ANNIVERSARIIS

A SS. DD. PIO, PAPA, IX

CONCESSÆ IN PERPETUUM.

Beatissime Pater,

Episcopus Aniciensis, in Galliis, ad Sanctitatis Vestræ pedes humiliter provolutus, eique gratias agens humillimas pro Brevi Apostolico diei 3 Mai 1857 et pro Rescripto die 22 Aprilis 1857, quibus alumnis Seminarii Aniciensis concessit indulgentiam plenariam, singulis anniversariis suarum Ordinationum lucrandam, sub conditione tridui præparatorii, simul enixe rogat quatenus ad omnes ejusdem Seminarii alumnos in posterum futuros eamdem gratiam elargiri dignetur, in memoriam restaurationis Liturgiæ Romanæ in hacce Diœcesi, quæ in hoc Seminario Beatæ Mariæ Aniciensis præparata fuit ac elaborata ; immo et velit etiam extendere ad singulos sacerdotes ejusdem Diœcesis, ne quis in Clero Aniciensi expers sit lætitiæ in his diebus beatissimis.

Anicii, die quinta Octobris 1857.

Loco † Sigilli.

† AUGUSTUS, *Epis. Anic.*

Die 18 Februarii 1858 benigne annuimus pro gratia ad formam primæ concessionis.

PIUS PP. IX.

OFFICIA PROPRIA
SUPPLEMENTI ANICIENSIS.

—

PARS AUTUMNALIS.

—

FESTA DOMINI.

FESTA B. M. V.

FESTA SS. ANGELORUM.

FESTA SANCTORUM.

COMMEMORATIONES.

OFFICIA VOTIVA.

INDEX GENERALIS

AD USUM TUM BREVIARII TUM SUPPLEMENTI ANICIENSIS.

PRÆVIA.

PSALMI.

HYMNI.

CANTICA.

FESTA DOMINI.

FESTA B. MARIÆ.

FESTA SANCTORUM.

VARIA.

BENEDICTIONES.

AD CALCEM.

PARISIIS. — Typis ADRIANI LE CLERE, via dicta Cassette, 29.

PROPRIUM OFFICIORUM
DIŒCESIS CATALAUNENSIS.

FESTA MOBILIA.

FERIA III POST DOM. SEXAG.
ORATIONIS D. N. J. C.
IN MONTE OLIVETI.
Duplex majus.
Offic. ut in Suppl., p. ccxj.

FERIA VI POST CINERES.
COMMEM. PASSIONIS D. N. J. C.
Duplex majus.
Offic. ut in Suppl., p. ccxviij.

¶ *Si quod ex Officiis supra dictis occurrat die Festo superioris ritus, transferendum est ad primam diem non impeditam, modo adveniat dies ista ante Dominicam primam Quadragesimæ; si secus, omittitur hoc anno.*

OFFICIA VOTIVA.

Ab Epiphania usque ad Quinquagesimæ Dominicam, extra Octavas privileg., modo non occurrat Festum Duplex aut Semiduplex, etiam translatum, vel Off. Dominicæ anticipandum, fit, more votivo et sub ritu Semiduplici :

1° *Singulis Feriis Quintis, de Sanctissimo Sacramento, ut in Supplemento Breviarii,* p. ccxxxiij.

2° *Singulis Sabbatis, de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis Deiparæ, ut in Suppl.*, p. ccxlvij.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA NOVEMBRIS
DIE XXVIII.
S. GREGORII III, PAPÆ
ET CONFESSORIS.
Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Da quæsumus, *p.* l.

Fit Commemoratio Adventus.

IN I NOCTURNO.
Lect. de Script. occurr.
IN II NOCTURNO.
LECTIO IV.

Gregorius hujus nóminis Tértius, natióne Syrus, patre Joánne, Gregório Secúndo vita functo, unánimi Cleri, et pópuli consénsu, nec non divíno quodam instínctu, cum

digníssimus ómnium esset, subrogátus est, anno Christi septingentésimo trigésimo primo. Vir singulári doctrína et virtúte, latína et græca lingua erudítus, mirábili dicéndi facúndia atque ádeo felíci memória, ut totum Psaltérium memóriter recitáret, is demum, quem prædecessóri suo Gregório, doctrína et prudéntia sapientíssimi hómines æquiparándum esse duxérunt.

LECTIO V.

CATHOLICÆ fídei propugnátor acérrimus, Leónem Isáurum Imperatórem Iconoclástam patérnis mónitis et lítteris ad saniórem mentem redúcere conátus est. Sed cum nihil proficeret, convocáto Romæ nonagínta quinque Episcopórum Concílio, sacrárum Imáginum cultum Apostólico decréto firmávit, et diro anathémate fériit Iconomáchos. Quæ cum ad Leónis aures pervenissent, áltius rugíre cœpit, misítque advérsus Gregórium florentíssimam classem cum potentíssimo exércitu; sed hæc, volénte ac víndice Deo, in Hadriático sæva tempestáte agitáta, fœdo naufrágio périit.

LECTIO VI.

MULTA quoque a Luitprándo Longobardórum Rege iníque passus est, qui et Urbem longa obsidióne cinxit, et sancti Petri Basílicam sacrílega manu diripuit. In his angústiis sanctíssimus Póntifex ad Cárolum Martéllum, antecessóris exémplo, Legátos cum sacris munéribus destinávit. Munívit Urbis mœnia, largas in egénos eleemósynas erogávit, novas Basílicas a fundaméntis extrúxit, antíquas ornávit, ac restaurávit, Vaticánam præsértim, intra quam Oratórium auro, argénto, gemmis omníque pretiósi óperis génere ditátum eréxit, in quo sanctórum Apostolórum, et Mártyrum relíquias, summa cura, et diligéntia toto Christiáni orbis ámbitu conquisítas repósuit, et coléndas expósuit, eo máxime témpore, quo illas hagiómachi diabólico furóre proculcábant. Multa monastéria restítuit, et sanctis légibus instrúxit statuítque, ut Presbyteri, et Mónachi altérnis noctu, diúque divínas laudes celebrárent. Fractus demum labóribus, méritis licet, atque virtútibus ínclytus, anno sui Pontificátus undécimo nondum perácto, quarto Kaléndas Decémbris pie óbiit in Dómino, et in prædícto Oratório Vaticáno sepúltus est.

IN III NOCTURNO.

Hom. in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lvij.

In Laudibus, fit Comm. de Adventu.

In II Vesp., Comm. de Adventu et de seq. S. Saturnino.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

S. ELIGII, EP. ET CONF.

Duplex.

Omnia ut in Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Exáudi, *p.* l.

Pridie, in II Vesperis S. Andreæ, Comm. de S. Eligio et de Adventu.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex vita S. Eligii, auctore S. Audoeno, et aliis.

Eligius Lémovix, aurifaber indústrius, relícta pátria, in Fránciam se cóntulit; ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram Sacerdóte, et gravem pœniténtiam perégit. Ex eo témpore, in ópera pietátis omni stúdio incúbuit: nam étiam cum artem exercébat, subínde in Sacros códices intendébat óculos, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébat humánis. Quidquid vero arte sua comparábat, illud totum fovéndis egénis, et captívis rediméndis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, erogábat. Oratióni vacábat cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera Canónicum cursum solémniter adimplébant.

LECTIO V.

Varia ejus hortátu et impénsis extrúcta sunt Templa et Monastéria. Plúrimas étiam, auro, argénto et gemmis, Sanctórum capsas et túmulos miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia égerat radíces, junctis cum sancto Audoéno stúdiis, extirpávit: et utérque perfécit, ut nullus Epíscopus deínceps eligerétur, nisi qui integritáte morum cæteris præfulgéret. Multis in Ecclésiam méritis clarus, mórtuo Achário, Diœcési Novioménsi præpósitus est. Cavit tamen ex usu Cánonum, ne sibi prius manus imponeréntur, quam sub norma Clericátus áliquod tempus exegísset. Quo transácto, Presbyteris ascríptus est a Deodáto Matisconénsi.

LECTIO VI.

Tum Rotómagi una cum sancto Audoéno, Domínica ante Litánias, mensis Máii vigésima prima, in Epíscopum consecrátus est. In eo Ordine, non modo salúti gregis sibi commíssi consúluit; sed et Flandros ac Frísios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre et vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in Concílio Cabillonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitus prædíxit, aliísque miráculis clarus,

Noviómi óbiit septuagenárius, anno salútis sexcentésimo quinquagésimo nono. Ejus funus regína Bathildis pedes, nec sine lácrymis, cum líberis et tota família prosecúta est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *secundo loco*, p. lxiij.

Ad II Vesperas, Comm. de seq. S. Bibiana, et de Adventu.

DIE VIII.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. M. V.

Duplex II classis cum Octava.

Off. ut in Supplem., p. ccl, *præter seq.*

Pridie, in I Vesperis, Com. de præced. S. Ambrosio et de Adventu.

In Laudibus et Vesperis, Comm. fit de Adventu.

DIE IX.

DE OCTAVA IMM. CONCEP.

Semiduplex.

Off. ut in Supplem., p. cclv.

DIE X.

TRANSLATIONIS ALMÆ DOMUS LAURETANÆ.

Duplex majus.

Off. ut in Supplem., p. cclx, *præter seq.*

Pridie, in I Vesp., Comm. de Adventu et de S. Melchiade, p. 427.

In Laudibus, Comm. fit de eisdem.

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Damaso, p. 429, *et de Adventu*

DIE XI.

S. DAMASI I, PAP. ET CONF.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 429.

In Laudibus et II Vesperis, Comm. de Oct. et de Adventu.

DIE XII.

DE OCTAVA IMM. CONCEP.

Semiduplex.

Off. ut in Supplem., p. cclxvij.

DIE XIV.

SS. NICASII, REM. EPISCOPI ET SOCIORUM EJUS, MART.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., p. xxxv, *præter seq.*

Orat., Deus, qui nos concédis, *p.* xxxvj.

Pridie, Vesperæ a Capit. de SS. Nicasio, etc.; Comm. præc. S. Luciæ, Oct. et Adventus.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quatuor Temporibus, Lect. Fratres, Debitóres sumus, *de Com.*, p. xxxviij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Flodoardo et aliis.

Quo témpore Vándali pátriis e fínibus várias in regiónes effúsi, ferro et sánguine cuncta depopulabántur, Nicásius magnæ vir charitátis, magnæque constántiæ, Epíscopus Reménsi Ecclésiæ præerat. Bárbaros esse ventúros, urbíque Remórum cladem cruéntam illatúros, longe ante divína præmonitióne præscísse dícitur. Hinc instántibus stúdiis, continuísque doctrínis ac précibus, pópulum sibi commis-

sum ad mores emendándos et pœniténtiam agéndam provocábat. Séminis vero Evangélici pars major secus viam et inter spinas cécidit : nec multi repérti sunt, qui salutáribus Nicásii ménitis et præcéptis obtemperárent.

LECTIO V.

INTEREA Vándali non minus Religióni Christiánæ inféusi, quam opum compilandárum ávidi, post devastátam Germániam, proficiscúntur in Belgas : cædibus et rapínis ómnia explent. Inde pagis et civitátibus óbviis, partim subvérsis, partim diréptis, Remórum urbem appéllunt et óbsident. Fugam Nicásius abhórruit, nec lupum mœnibus astántem expávit, cum plebe sua vívere ac mori constánter parátus. Per totum obsidiónis, quæ diutúrna fuit, tempus, cives suis in calamitátibus patiénter et ánimo vere pœniténti tolerándis, verbo, exémplo, ópera indeféssus et ubíque præsens juvat et confírmat.

LECTIO VI.

EXPUGNATA tandem urbe, Bárbari ad óstium Basílicæ sanctæ Maríæ undequáque cónfluunt. Eis óbviam occúrrit præsul intrépidus ; alloquéntem feróces hostes audíre rénuunt, oránti cervícem abscíndunt : ita glorióso et felíci Martyrio Nicásius coronátur. Illíus germána soror Eutrópia pro fídei simul atque virginitátis servándæ zelo, quo exæstuábat, ab ímpiis ibidem gládio juguláta est : multíque álii tam ex Clero, quam ex laicáli cœtu, Martyrii palmam assecúti sunt : inter quos Floréntius Diáconus et beátus Jocúndus extitérunt clarióres. Nicásii ac Eutrópiæ córpora sepúlta sunt in cœmetério sancti Agrícolæ, ubi Nicásii nómine insígnis constrúcta fuit Basílica, quæ, sæculo décimo octávo exeúnte, solo adæquáta est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Descéndens, *secundo loco*, p. xlviij.

In Quatuor Temporibus, *Lectio* IX *Homil. Feriæ.*

In Laudibus, fit Comm. Oct. et Adventus.

Vesp. de seq. Die Octava Imm. Concept.; Comm. de SS. Nicasio, etc. et de Adventu.

DIE XVI.

INVENTIONIS ET TRANSLATIONIS S. MEMMII, I CATAL. EP. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

In Hymno, Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

DEUS, qui beátum Mémmium, Confessórem tuum atque Pontíficem, nobis fídei præcónem tribuísti : concéde propítius, ut qui festíva ejus Inventióne et Translatióne lætámur; ejus quoque protectiónis auxílium semper sentiámus. Per Dóminum.

Pridie, in II Vesperis Diei

Octavæ, Comm. fit de Invent. et Transl. S. Memmii et de Adventu.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quatuor Temporibus, Lect., Laudémus, *secundo loco*, p. lxj.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex veteribus Eccl. Catalaun. Monumentis, et Actis in hujus S. Pontificis et S. Pomæ Capsis nuper repertis.

CORPUS sancti Mémmii sepúltum fúerat prope Urbem, in ædícula quam ipse constrúxerat in loco qui Buxérra dicebátur. Ædificáta paulo post fuit super illíus túmulum Basílica, quam plúrima mirácula sancti Pontíficis intercessióne impetráta, percélebrem brevi reddidérunt. Quod firmátur testimónio beáti Gregórii Turonénsis, qui tractans de glória Confessórum, narrat seípsum non tantum vidísse ad hunc túmulum sæpius confráctas miserórum caténas atque cómpedes, sed étiam sancti Præsulis expértum fuísse virtútem.

LECTIO V.

CUM ad annum usque círciter sexcentésimum septuagésimum quartum sancti Mémmii Corpus latuísset, regnánte Dagobérto secúndo, Austrasiórum príncipe, íntegrum invéntum est : et plúmbeo lóculo inclúsum, eódem in loco repósitum fuit. Subinde jussu regis Cároli Calvi apérta quadrángula et cæmentária fossa, in qua requiescébat, lóculus ille, ut refert Theudoínus Præpósitus Catalaunénsis qui testis oculátus tum áderat, visus est nulla ex parte hærére ad terram : quod miráculum majórem adhuc beáto Antístiti, in áliud monuméntum ornátius transláto, devotiónem conciliávit.

LECTIO VI.

SED longe illústrior fuit áltera Translátio, anno supra millésimum trecentésimo décimo octávo perácta, cum sacra Mémmii Pígnora una cum óssibus beátæ Vírginis Pomæ, nostri Apóstoli soróris, in Capsam argénteam, auro et gemmis ornátam, recóndita sunt a Guidóne Helenénsi Epíscopo. Hanc reserávit Epíscopus Aurénsis Henrícus Claussæus, Cosmæ ejúsdem nóminis avúnculi sui Catalaunénsis Epíscopi Coadjútor : pretiósaque Ossa, recógnitis et probátis eórum authénticis, in nova invólucra sérica compósuit, anno millésimo sexcentésimo vigésimo quarto. Sic in eádem theca sancti Mémmii et ejus beátæ soróris córpora, per várias Gálliæ tempestátes vigilántius serváta et a fidélibus honorífice hábita, simul mansérunt usque ad inítium sæculi décimi noni, cum in peculiári capsa seórsim recóndita fuérunt.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, *de Comm. Abb.*, p. lxxxij.

In Quatuor Temporibus, Lectio IX, *Homil. Feriæ.*

In Laudibus, Comm. de Adventu.

Vesperæ a Cap. de sequenti, S. Lazaro; Comm. de Invent. et Transl. S. Memmii et de Adventu.

DIE XVII.

S. LAZARI, DISCIP. DOMINI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Ad Magnif. Ant. t. 1. Lázarus amícus noster dormit: eámus, et a somno excitémus eum.

Orat. Exáudi, p. l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quatuor Temporibus, Lect. Fidélis sermo, *primo loco*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

Lect. Beáti Patris Lázari, *secundo loco*, p. lxij.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 2.

IN illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ, et Marthæ sorória ejus. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi.

Tract. 49 *in Joan.*

IN superióre lectióne meminístis quod Dóminus éxiit de mánibus eórum qui lapidáre illum volébant, et discéssit trans Jordánem, ubi Joánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur Lázarus, in Bethánia: quod castéllum erat próximum Jerosólymis. María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto et extérsit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo sorores ejus ad eum. Jam intellígimus quo misérunt: ubi erat Jesus; quóniam absens erat, trans Jordánem scílicet. Misérunt ad Dóminum, nuntiántes quod ægrotáret frater eárum, ut, si dignarétur, veníret, et eum ab ægritúdine liberáret. Ille distulit sanáre, ut posset resuscitáre.

LECTIO VIII.

QUID ergo nuntiavérunt soróres ejus? Dómine, ecce quem amas, infirmátur. Non dixérunt: Veni. Amánti enim tantúmmodo nuntiándum fuit. Non ausæ sunt dícere: Veni, et sana: non ausæ sunt dícere: Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illíus Centuriónis inde laudátur? Ait enim: Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantúmmodo: Dómine, ecce quem amas infirmátur. Súfficit ut nóveris: non enim amas, et déseris.

LECTIO IX.

DICET áliquis: Quómodo per Lázarum peccátor signifi-

cabátur, et a Dómino sic amabátur? Audiat eum dicéntem: Non veni vocáre justos, sed peccatóres. Si enim peccatóres Deus non amáret, de cœlo ad terram non descénderet. Audiens autem Jesus dixit eis: Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei. Talis glorificátio ipsíus non ipsum auxit, sed nobis prófuit. Hoc est ergo quod ait, non est ad mortem: quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed pótius ad miráculum, quo facto créderent hómines in Christum, et vitárent veram mortem. Sane vidéte quemádmodum tanquam ex oblíquo Dóminus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Fílium Deum esse.

In Laudibus, ad Bened., Ant. ut I Vesperis; Comm. de Adventu.

Vesperæ de sequenti; Comm. de S. Lazaro, per Ant. Amávit, *et* ℣. Justum, *de Communi*, p. lxj.; *deinde Commem. de Adventu.*

DIE XVIII.

EXPECTATIO PARTUS B. M. V.

Duplex majus.

Off. ut in Suppl., p. cclxxiij.

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Eusebio, Ep. et Mart., et de Adventu.

DIE XIX.

(*In Brev.* 16 *hujus.*)

S. EUSEBII, EP. ET MART.

Semiduplex.

Off. ut in Brev., p. 440.

DIE XXVI.

S. STEPHANI, PROTOMART.

Duplex I classis.

Off. ut in Brev., p. 223.

In utrisque Vesperis et Laudibus, post Orat. de S. Stephano, fit Commem. omnium SS. Mart., ut in Supplem., p. cclxxix.

FESTA JANUARII.

DIE XIV.

S. HILARII, EPISC., CONF. ET DOCTORIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 452, *præter seq.*

Pridie, in II Vesp. Diei Octavæ, fit Comm. de S. Hilario, per Ant. O Doctor óptime, *p.* l, *et de S. Felice, Mart.*

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Paulo; Comm. de S. Hilario, per eamdem Ant. O Doctor óptime.

DIE XVI.

S. MARCELLI I, PAP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 459, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Marcello; Comm. de præced. S. Paulo.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Antonio; Commem. de S. Marcello.

DIE XXII.

S. VINCENTII, DIAC., MART.

Duplex majus.

In Eccl. Cath. Duplex II cl.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Orat. Præsta quæsumus... ut intercedénte, *p.* xxj.

Pridie, I Vesperæ de S. Vincentio; Comm. de præcedenti S. Agnete.

IN I NOCTURNO.

Lect. A Miléto, *de Comm.*, p. xxij.

IN II NOCTURNO.

Lect. IV *et* V, Vincéntius, *p.* 477, *divisione facta ad hæc verba*, Ubi verbéribus.

Lect. vj, Verum, *ibid.*

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 277. *in Festo Martyris Vincentii*, 4. *Cap.* 1. *Alias Serm.* 102. *de Diversis.*

PRÆSTITIT Deus sanctórum Mártyrum córpora Ecclésiis suis ad memórias oratiónum, non ad glórias Mártyrum. Illi enim habent íntegram glóriam suam apud Creatórem suum. Nec ipsi córpori áliquid timent, quóniam non est quod tímeant. Magis si parcant córpori, nocent et córpori. Si autem per fidem non parcant córpori, præstant et córpori.

LECTIO VIII. *Cap.* 2.

ECCE hoc atténdite, et fidem vestram interrogáte. Sanctus Vincéntius si formídine tormentórum negáret Christum, viderétur córpori pepercísse : quadam autem conditióne mortáli, córpore solverétur. Quid ágeret in resurrectióne, cum in ætérnum ignem præcipitarétur? Negans Christum, negátur a Christo. Qui negáverit me, inquit, coram homínibus, negábo eum coram Patre meo qui est in cœlis. Ecce negáret, quiéscerent illi tortóres, et vulneráto ánimo, sanum esset corpus; imo occíso ánimo, víveret corpus: quid prodésset in ætérnum mórtuo brevis córporis vita?

LECTIO IX. *Cap.* 3.

DEUS autem noster et corpus fecit et spíritum; et utriúsque creátor est, et utriúsque recreátor; utriúsque institútor, utriúsque étiam restitútor. Non ergo carnem tanquam inimícam, vel contempsérunt, vel persecúti sunt Mártyres. Nemo enim unquam carnem suam ódio hábuit. Magis ei consuluérunt, quando eam neglígere videbántur : quando in ea fidéliter persisténtes, temporália torménta tolerábant, ætérnam étiam ipsi carni glóriam comparábant.

In Eccl. Cath., fit in Vesperis Comm. de seq. Desponsat. B. M. V., de S. Joseph et de S. Emerentiana.

Extra Cathed., Vesperæ de seq.; Com. de S. Joseph, de S. Vincentio et de S. Emerentiana.

DIE XXIII.

DESPONSATIONIS B. M. V. CUM S. JOSEPH.

Duplex majus.

Offi. ut in Suppl., p. cclxxx.

In II Vesperis, post Comm. S. Joseph, fit Comm. de seq. S. Timotheo.

DIE XXIV.

S. TIMOTHEI, EP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 481.

DIE XXVI.

S. POLYCARPI, EP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 488, *præter seq.*

Pridie, in II Vesperis Conversionis S. Pauli, post Comm. S. Polycarpi, fit Comm. S. Bathildis, Viduæ, per Ant. Símile erit, ℣. Spécie, *et Orat.* Exáudi, *de Comm. non Virginum*, p. cj.

In III Noct., pro S. Bathilde, Franc. Regina, Vidua.

LECTIO IX.

Ex Bolland. et Mabill.

BATHILDIS, in Anglia, Sáxonum génere orta, a prædónibus Ercumváldo, Majóri domus Régiæ, véndita, ob exímias córporis et ánimi dotes, ad Clodovéi secúndi conjúgium insperáto pertráhitur. Tum paupéribus et Ecclésiis adjuvándis, cónjuge lubénter consentiénte, totam se dedit. Quo mórtuo, trium filiórum, Clotárii, Childérici et Theodórici, quorum natu major vix quintum annum attígerat, tutélam gessit; regnúmque ac palátium sapientíssime moderáta est. Multa præcláre sanxit plurimámque corruptélam emendávit. Calæ ad Matrónam, cœnóbium exstrúxit, in quo, relícta Clotário jam adúlto regni administratióne, ipsa, suscépto Religiónis hábitu, sub obediéntia Bertíllæ Abbatíssæ, ómnibus exémplo et admiratióni fuit: ibíque mórtua est ætátis suæ anno quinquagésimo quinto.

In Laudibus, fit Commem. S. Bathildis, per Ant. Date ei, ℣. Diffúsa est, *et Orat.* Exáudi, *p.* cxij.

Vesperæ a Cap. de sequenti S. Joanne Chrysostomo; Comm. de præc. S. Polycarpo.

FESTA FEBRUARII.

DIE I.

S. IGNATII, EP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 500, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Ignatio; Comm. de præc. S. Petro.

Hodie, in I Vesperis Purificationis, fit Comm. S. Ignatii.

DIE III.

(*In Martyr.* 3 *Januarii.*)

S. GENOVEFÆ, VIRGINIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Virginum, p. lxxxiv, *præter seq.*

Orat. Exáudi nos, *p.* lxxxvj.

Pridie, in II Vesperis Purificationis, fit Comm. de S. Genovefa et de S. Blasio.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. De Virgi-

nibus, *primo loco*, p. lxxxix.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GENOVEFA, Nemptodúri in agro Parisiénsi nata, inaudíto virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Sanctus Germánus Autissiodorénsis in Británniam iter fáciens cum sancto Lupo Trecénsi, puéllam Deo acceptíssimam ac vitæ sanctitáte claríssimam fore prædixit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo consecráre vellet, Genovéfa statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque Ecclésiam ingréssus, puéllæ manus impósuit, et, inter crebros psalmórum concéntus prolixásque oratiónes, Vírginem consecrávit.

LECTIO V.

MIRACULORUM dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque in primis accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est, ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitiónibus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus, idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ charitáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit, quin malevolórum ódio et contuméliis premerétur. Germánus, in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum, in quo preces illa fundébat, lácrymis ejus madefáctum osténdit.

LECTIO VI.

AB anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo, ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est. Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille stylites, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. Sancta Genovéfa, quæ teste beáto Gregório Turonénsi, adhuc in córpore pósita, tanta virtúte præváluit ut mórtuum suscitáverit, post mortem plúribus miráculis celébrior evásit. Lutétiæ sepúlta est in Basílica sanctórum Apo-

stolórum Petri et Pauli, quæ subínde ipsíus Genovéfæ nomen accépit.

IN III NOCTURNO.

Hom. in Evang. Símile erit... decem virgínibus, *primo loco*, p. xcv.

Pro S. Blasio, Ep. et Mart.

Lect. IX, Blásius, *p.* 509, *de quo fit Comm. in Laud.*

Vesperæ a Capit. de seq. S. Joannæ Valesiæ; Comm. de S. Genovefa.

DIE IV.

S. JOANNÆ VALESIÆ,

FRANCORUM REGINÆ,

NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

Duplex.

Offic. ut in Supplemento, p. cclxxviv.

DIE VI.

(*In Brev.*, *4 hujus.*)

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

Offic. ut in Brev., 509, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Cap. de S. Andrea; Comm. de præced. S. Agatha et de S. Dorothea, ut in Brev., p. 517.

¶ *In Quadrag., fit Comm. de Feria in Vesperis et in Laudibus Festorum, et ponitur ante Commemorationem Simplicis.*

In III Noct., pro S. Dorothea, Virg. et Mart.

Lect. IX, Dorothea Virgo, *p.* 517, *cui tamen præfertur, in Quadrag., Homil. Feriæ.*

In Laudibus, Comm. de S. Dorothea.

Vesperæ a Cap. de sequenti S. Romualdo; Comm. de præc. S. Andrea.

DIE IX.

(*In Brev.*, *22 Januarii.*)

S. ANASTASII, MART.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart., p. xxij, *præter seq.*

Orat. Præsta quæsumus,... ut intercedénte, *p.* xxj.

Pridie, in II Vesperis S. Joannis de Matha, Comm. S. Anastasii et S. Apolloniæ.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. Fratres, Debitóres, *de Comm.*, p. xxxviij.

IN II NOCTURNO.

Lectio IV, Anastásius, *ut in Brev.*, 478.

Lect. V *et* VI, Príncipes, *de Comm., secundo loco*, p. xxxij.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 10. *c*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur ; et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. Cap. 10, *post medium.*

Dominus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet ; et ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse

metuéndas : quia dies judícii nulla hæc fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

LECTIO VIII.

ITAQUE id quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine : ut quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ reveländum : non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est : sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

Pro S. Apollonia, Virg. et Martyre.

Lect. IX, Apollónia, *p.* 521, *cujus loco, in Quadrag., legitur Homilia Feriæ.*

In Laudibus, fit Commem. S. Apolloniæ.

Vesperæ de seq. S. Scholastica ; Comm. de S. Anastasio.

Catal. *Hiemalis.*

DIE XI.

(*In Brev.*, 23 *Januarii.*)

S. RAYMUNDI DE PENN., CONF.

Semiduplex.

Off. ut in Brev., p. 478, *exceptis seq.*

Pridie, in II Vesp. S. Scholasticæ, Comm. de S. Raymundo, omissis aliis Comm.

DIE XIII.

S. GREGORII II, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pontif., p. xlix, *præter seq.*

Oratio, Da quæsumus, *p.* l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. Fidélis sermo, *de Communi*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS hujus nóminis Secúndus, natióne Románus, patre Marcéllo, anno Christi septingentésimo décimo quarto, mirábili totíus Cleri et pópuli concórdia, ad suprémum Ecclésiæ Cathólicæ Pontificátum evéctus est. Hic a puerítia divíno cúltui addíctus in Lateranénsi Patriárchio, sub beáti Sérgii óculis et disciplína víxerat, Subdiáconi primum, tum Sacellárii múnere functus. Mox Bibliothécæ cura illi crédita. Ad Diaconátus tandem Ordinem promótus, in régiam Urbem, una cum sanctíssimo Papa Constantíno proféctus est. Ibi ab Imperatóre de nonnúllis capítibus interrogátus, cum sacrárum lit-

terárum peritíssimus esset, et constantíssimus rerum Ecclesiasticárum defénsor, óptima et cathólica responsióne Príncipi satisfécit.

LECTIO V.

URBIS mœnia contra Longobardórum excursiónes, áliqua ex parte reparávit. Aliquot Basílicas témporum injúria collápsas restítuit. Urbána Monastéria fere desérta, et Mónachos in prístinam formam, et disciplínam redégit. Imo post mortem Honéstæ matris, patérnam domum in Ecclésiam et Monastérium commutávit, quod multis prædiis instrúctum relíquit. Corbiniánum et Bonifácium viros apostólico spíritu plenos, in Germániam misit, ad prædicándum Gentílibus Christi Evangélium, eósque sacris Episcopátus ínfulis decorávit, postquam innúmeram Paganórum multitúdinem ab iis ad Christi fidem convérsam fuisse accepísset. Ut omnes óptimi Pastóris partes impléret, óptimis légibus Ecclesiásticam disciplínam, et Christianórum mores instrúxit. Géminam Synodum Romæ hábuit, álteram advérsus illícita conjúgia, álteram advérsus Iconoclástas.

LECTIO VI.

LEONEM Isáurum sacrárum Imáginum destructórem váriis Epístolis ab illa hæresi removére, omníque illum officiórum génere sibi demeréri túduit; cum tamen hic ad scéleris cúmulum, óptimum Pontíficem neci trádere ferro séxies, semel auro et munéribus corrúmpere, quamvis frustra, tentásset. Luitprándo, cum Exárcho ad excídium Urbis properánti, sanctíssimus Póntifex, Dei fretus præsídio, ad prata Nerónis occúrrit, et piis mónitis Regis ánimum ita mollívit, ut non jam hostis, sed pius adorátor ensem et corónam Príncipi Apostolórum obtúlerit. Cum autem Imperátor destructiónem machinarétur, eúmdem diro anathémate pérculit, et ínito cum Francis fœdere ab ímpio molímine detérruit. Rebus demum præcláre gestis, quibus máximis quibúsque Prædecessórum suórum æquiparátur, pie óbiit in Dómino, sexto Pontificátus anno, et in Basílica Vaticána cónditus est.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homil. in Evangel. Homo péregre, *de Communi, primo loco,* p. lvij.

In Quadragesima, Lect. IX *de Homilia Feriæ occurr.*

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Valentino.

DIE XVI.

B. GREGORII X, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

DEUS, qui Ecclésiam tuam, beáti Gregórii Confessóris atque Pontíficis Religiónis zelo, et apostólicis curis amplifi-

cásti : ejus méritis, et intercessióne concéde ; ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. Laudémus viros glorïósos, *de Communi, secundo loco,* p. lxj.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS Décimus, Theáldus seu Theobáldus ántea nuncupátus, Placéntiæ ad Æmíliæ fines nóbili Vicecómitum génere natus est. Adoléscens Ecclesiásticæ milítiæ adscríptus, singulári nítuit honestáte morum vitæque mundítia, nulla unquam, ut créditur, críminis contagióne pollúta. In Gálliam cum Jacóbo Cardináli Pecorário Gregórii Noni Legáto proféctus, Archidiáconus Leodiénsis renuntiátus est. Eo in Itáliam redeúnte, Theologíæ Parísiis óperam dedit; ac Magístri munus adéptus, verbo, et exémplo fidéles, ac Príncipes ad Terræ Sanctæ recuperatiónem veheménter accéndit. In Syriam deínde peregrinátus, dum ibi sacram expeditiónem urgéret, a Cardinálibus, Vitérbii Pontíficis electiónem in annum fere tértium protrahéntibus, in Petri Sedem evéctus est, anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo.

LECTIO V.

ACCEPTO Ptolemáide electiónis decréto, in Itáliam navigávit, ac Vitérbium se cóntulit, deinde Romam; ubi anno insequénte solémniter inaugurátus est. Ab ipso Pontificátus exórdio ad generális Concílii celebratiónem curas et cogitatiónes omnes adjécit. Eo Lugdúnum Galliárum indícto, Michaélem Palæólogum Græcórum Imperatórem, tum álios Christiános Príncipes, et Græcæ latinæque Ecclésiæ Præsules lítteris amantíssimis invitávit, accersítis étiam exímiis doctrína et sanctitáte viris, uti sancto Thoma Aquináte, in ipso itínere vita functo, sancto Bonaventúra, sancto Philíppo Benítio, beáto Albérto Magno, Petro de Tarantásia Ordinis Prædicatórum, qui eídem in Pontificátu succéssit. Igitur Œcuménicam Synodum Patrum número ómnium frequentíssimam cui præfuit Póntifex ipse, Græcis, ejuráto schísmate, ad Ecclésiæ unitátem recéptis, decrétis pro sacra expeditióne subsídiis, editísque plúribus sanctíssimis légibus, triméstri spátio felíciter celebrávit.

LECTIO VI.

DE pace in Ecclésia firmánda cum primis sollícitus, prælatórum dissídia, Regum inimicítias, Provinciárum ódia, populórum factiónes compósuit, dirémit, extínxit. Ecclésiæ jura, étiam advérsus Reges et Príncipes, sevére ac fórtiter vindicávit, nullam esse prædicans solidiórem Regnórum ba-

sim, quam tutélam Ecclesiásticæ libertátis. Páuperum amantíssimus, primus ómnium in Apostólico Palátio piárum in illos largitiónum Præsidem constítuit, iísque própriis mánibus pedes quotídie abluébat. In Itáliam a Concílio redux, dum profectiónem in Palæstínam meditátur, plúraque ália Christiánæ Reipúblicæ bono molirétur, Arétii in Etrúria morte intercéptus est, quarto ab electióne sua anno, mense quarto, die décima. Fuit vir ánimi plane invícti et apostólici, terrenórum contémptu, cultus divíni stúdio, fídei zelo, disciplínæ, et morum restauratióne, rerum gerendárum prudéntia, fortitúdine, magnanimitáte, aliísque virtútibus prorsus exímius. Miráculis post mortem claruísse, Ecclésiæ Aretínæ monuménta testántur.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lvij.

In Quadrag., *Lectio* IX *de Homil. Feriæ occurr.*

In II Vesp., *Comm. de sequenti S. Juliana.*

DIE XVII.

(*In Martyr.*, *heri.*)

S. JULIANÆ, VIRG. ET MART.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Virginum, p. lxxxiv, *præter seq.*

Orat. Deus, qui inter cætera, p. lxxxvj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., *Lect.* Confitébor tibi, *secundo loco*, p. xcviij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

JULIANA virgo Nicomediénsis, sub Maximiáno Imperatóre, cum Africáni paréntis blandítiis ac minis frangi non posset, ut viro nóbili, sed idolórum cultóri, matrimónio jungerétur, primum lóreis exténsa, nervísque et vimínibus diu verberáta, deínde capíllis magna diéi parte suspénsa est : tum candéntes láminæ latéribus ejus applicátæ sunt. Póstmodum in tetrum cárcerem detrúsa, palam cum diábolo conflixísse dícitur : demum flammas ígnium, et ollam fervéntem súperans, cápitis obtruncatióne, decem et octo annos nata, dúplicem virginitátis et martyrii corónam adépta est.

Lect. V, Quóniam hódie, *primo loco*, p. xcij.

Lect. VI, Hæc nubes, *ibid.*

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Símile erit... decem Virgínibus, *primo loco*, p. xcv.

In Quadrag., *Lect.* IX, *de Homil. Feriæ.*

Vesp. a Capit. de seq. S. Simeone; Comm. de S. Juliana.

DIE XVIII.

S. SIMEONIS, EP. ET MART.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Orat. Infirmitátem, *ibid.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. A Miléto, *de Comm.*, p. xxij.

IN II NOCTURNO.

Lect. IV, Símeon, filius Cléophæ, *ut in Brev.*, p. 524.

Lect. V, Triumphális, *de Comm.* p. xxv.

Lect. VI, Coronáta, *ibid.*

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Si quis venit, *primo loco,* p. xxviij.

In Quadrag., Lect. IX *de Homil. Feriæ.*

DIE XXV. *In Biss.*, XXVI.

S. FELICIS III, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Da quæsumus, *p.* l.

Pridie, in II Vesperis S. Mathiæ, Comm. de S. Felice.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

FELIX Tértius pátria Románus, natus ex nobilíssima domo Anícia, et divi Gregórii Magni átavus, post Simplícium Papam ad summi Pontificátus ápicem est evéctus. Hic mira ánimi constántia, tamétsi Roma sub Hérulis Ariánis propémodum captíva viderétur, alíique Patriárchæ conciliatiónem Zenónis Imperatóris approbássent, solus illi non communicávit. Ejúsdem de fide edíctum promulgántis, audáciam fórtiter représsit; Petrum Fullónem Patriarchátu Antiochéno dejécit. Acácium Constantinopolitánum Epíscopum Romam veníre coégit, ut contra eum objéctis in Apostólicæ Sedis judício respondéret, ac in eúmdem senténtia excommunicatiónis animadvértit.

LECTIO V.

CONSTITUIT, ut Ecclésiæ non nisi ab Epíscopis consecraréntur; semel baptizátos íterum rebaptizári sub grávibus pœnis prohíbuit. Basílicam sancti Agapíti constrúxit. Anno ejus Pontificátus tértio, sanctus Bárnabas Apóstolus, cum sancti Matthæi Evangélio, in Cypro Anthémio Epíscopo Saláminæ appáruit; sicque prævia trina revelatióne, corpus sancti Bárnabæ cum Evangélio supradícto est invéntum. Duas fecit Ordinatiónes mense Decémbri, quibus creávit Romæ Presbýteros vigínti novem, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca trigínta. Quinto Kaléndas Mártii e terris excédens ad Súperos evolávit.

Sermo sancti Gregórii, Papæ.

Ex Hom. 38. *in Evang.*

LECTIO VI.

QUIA nonnúnquam mentes audiéntium plus exémpla fidélium, quam docéntium verba convértunt, volo vobis áliquid de próximo dícere, quod corda vestra tanto formidolósius áudiant, quanto eis hoc de propínquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dícimus; sed eas, de quibus testes exí-

stunt, eísque interfuísse se réferunt, memorámus. Tres pater meus soróres hábuit, quæ cunctæ tres sacræ Vírgines fuérunt; quarum una Tarsílla, ália Gordiána, ália Æmiliána dicebátur. Quadam vero nocte huic Tarsíllæ (quæ inter soróres suas virtúte continuæ oratiónis, afflictiónis stúdio, abstinéntiæ singuláris, gravitáte vitæ venerábilis, in honóre et cúlmine sanctitátis excréverat), sicut ipsa narrávit, per visiónem átavus meus Felix hujus Románæ Ecclésiæ Antístes appáruit, eíque mansiónem perpétuæ claritátis osténdit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansióne suscípio. Quæ subsequénti mox febre corrépta ad diem pervénit extrémum, et sicut nobílibus féminis virísque moriéntibus multi convéniunt, qui eórum próximos consoléntur, eádem hora ejus éxitus multi viri ac féminæ ejus léctulum circumstetérunt, inter quas mater mea quoque ádfuit; cum sursum illa respíciens Jesum veniéntem vidit, et cum magna animadversióne cœpit circumstántibus clamáre, dicens: Recédite, recédite, Jesus venit. Cumque in eum inténderet quem vidébat, sancta illa ánima a carne solúta est: tantáque súbito fragrántia miri odóris aspérsa est, ut ipsa quoque suávitas cunctis osténderet, illuc auctórem suavitátis venísse.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Homo péregre, *de Comm., primo loco*, p. lvij.

In Quadrag., Lectio IX *de Homilia Feriæ occurr.*

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Margarita.

DIE XXVI. *In Bissex.*, XXVII.

(*In Martyr.*, 22 *hujus.*)

S. MARGARITÆ CORTONENS., POENITENTIS.

Semiduplex.

Offic. ut in Supplemento, p. cclxxxviij.

FESTA MARTII.

DIE I.

S. ALBINI, EP. ET CONF.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Exáudi, *p.* l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

ALBÍNUS, Venétiæ in Armórica claro génere natus, relíctis a púero paréntibus, in Cincillacénse Monastérium ingréssus est. Anno ætátis trigésimo quinto Abbas creátus, singulári vigilántia Cœnóbium administrávit annis quinque et vigínti. Unde invítus ad Cáthedram Andegavénsem evéctus, totus aléndis paupéribus, tuéndis cívibus, ægris visitándis, captívis rediméndis, incúbuit.

LECTIO V.

Ecclesiasticæ disciplínæ vindex fuit ącérrimus, ádeo ut nec précibus, nec minis potentiórum moverétur : quod ei multórum invídiam conflávit. Váriis in Synodis ac præcípue in Aurelianénsi tértia, plúrimum laborávit, ut incéstæ núptiæ damnaréntur. Cæsárium quoque Arelaténsem super ea re consultúrus ádiit una cum sancto Leobíno tum Abbáte Brajacénsi, póstea Carnuténsi Epíscopo.

LECTIO VI.

Jussus ab Epíscopis quosdam a se excommunicátos absólvere, páruit Sacerdotáli judício, ab iísque rogátus, ut et ipse signáret eulógias, quas ad unum ex illis dirigéndas benedíxerant, respóndit : Etsi ad impérium vestrum signáre compéllor, dum vos causam Dei recusátis deféndere, ipse potens est vindicáre. At ille, nondum accéptis eulógiis, intériit. Explétis demum Episcopátus annis vigínti, ménsibus sex, ætátis octogínta, mortalitátem éxuit.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *secundo loco*, p. lxiij.

In Quadrag., Lect. IX *de Homilia Feriæ.*

Vesperæ de seq. S. Simplicio; Comm. de S. Albino.

DIE II.

S. SIMPLICII, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter sequentia*.

Orat. Da quæsumus, *p.* l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Simplicius Tiburtínus, patre Castório, próxime post sanctum Hilárum, Románæ Ecclésiæ Principátum suscépit, ac difficíllimis tempóribus (cum magna ex parte Christiáni orbis Cathólica fides, ob cunctos fere Príncipes hæresi inféctos, nutáret) summa vigilántia gubernávit. Leóni Imperatóri peténti ; ut rata haberéntur concéssa ab Epíscopis Synodi Chalcedonénsis Ecclésiæ Constantinopolitánæ privilégia, veheméntius réstitit, misso étiam eam ob causam Constantinópolim suo Legáto. Eádem pastoráli sollicitúdine plúrimum laborávit, ut Timótheus Ælúrus Alexandrínæ Ecclésiæ invásor, qui, Constantinópoli líbere degens, adnitebátur quam máxime propagáre hæresim, novúmque Zenónis Imperatóris ópera cogi Concílium, pellerétur in exílium, sicque integritáti suæ Alexandrína redderétur Ecclésia. Reliquórum item perduéllium pro nona Synodo indicénda conántibus fórtiter óbstitit, ásserens nova Concília non fácile convocánda, nisi cum áliquid in pravis sénsibus novum, aut in

assertióne dógmatum emersísset ambiguum.

LECTIO V.

DAMNAVIT íterum Petrum Moggum, álterum Alexandrínæ Sedis invasórem, curavítque ut ex urbe pelleretur, ne áliquos módicæ fídei inficeret, et ad perversitátis suæ factiónem pertráheret. Timótheo Solofacíolo, legítimo ejúsdem Ecclésiæ Antístiti, juxta prístinum institútum, per suos Legátos erróris sui condonatiónem expeténti, idcírco quod timóre pertérritus Dióscorum ad altáre nominásset, véniam impértiit. Antiochéni Epíscopi electiónem ad seditiónes vitándas Constantinópoli in Concílii Nicæni præjudícium peráctam, ea lege ratam hábuit, ut deinceps, secúndum Patrum definitiónes, Orientáli Comprovinciálium Episcopórum Synodo, creátio Antiochéni Pontíficis reservarétur. Oblatiónes Ecclésiæ ita partiéndas esse præcépit, ut una duntáxat pórtio Epíscopo, una ítidem Clero, duæ vero in Ecclésiæ fábricam, et peregrínos ac páuperes erogaréntur. Zenónem Epíscopum Hispalénsem vicária Sedis Apostólicæ auctoritáte fulcívit, ne Apostólicæ institutiónis decréta, et sanctórum términos Patrum in Hispániis transcéndi permítteret.

LECTIO VI.

STATUIT in Urbe hebdómadas, ut, propter baptismum et pœniténtiam peténtes, Presbyteri quidem de regióne prima apud Sanctum Paulum, de tértia apud Sanctum Lauréntium, et de séptima apud Sanctum Petrum manérent. Dedicávit Basílicas Sancti Stéphani in Cœlio Monte, Sancti Andréæ Apóstoli juxta Sanctam Maríam, item áliam Sancti Stéphani juxta Sanctum Lauréntium, ac postrémo Sanctæ Bibiánæ Mártyris áliam intra Urbem juxta Palátium Liciniánum; itémque vasa complúra tum argéntea, tum áurea Románæ cóntulit Ecclésiæ. Demum Zenóne Imperatóre, et Odoácre Itáliæ Rege, migrávit ad Dóminum. Hábuit Ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros quinquagínta octo, Diáconos úndecim, Epíscopos per divérsa loca trigínta sex. Sacerdótium administrávit annos quíndecim, menses quinque et dies decem.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lvij.

In Quadrag., Lect. IX *de Homilia Feriæ.*

DIE IV.

S. LUCII I, PAP. ET MART.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Martyris, p. xx, *præter seq.*

Oratio, Deus, qui nos, *ibid.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

In Quadrag., Lect. A Miléto, *de Communi*, p. xxij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Lucius Románus, patre Porphyrio, post sancti Cornélii consummatiónem, Románæ Ecclésiæ Episcopátum ténuit. Sanxit, ut duo Presbyteri, ac tres Diáconi, Ecclesiástici causa testimónii, quovis loco Epíscopum non desérerent. Pacem lapsis dandam, et pœniténtia acta, communicatiónis fructum negándum non esse, Spíritu Dei plenus (ut sanctus Cypriánus scripsit) lítteris suis significávit. Ob Christi fidem exílio relegátus, et póstmodum ad Ecclésiam suam incólumis redíre permíssus, tandem omni Ecclésiæ facultáte Archidiácono suo Stéphano prius trádita, cápite truncátus est quarto Nonas Mártii, Gallo et Volusiáno Princípibus. Duas hábuit Ordinatiónes mense Decémbri, quibus Presbyteros quátuor, Epíscopos per divérsa loca septem creávit. Ejus corpus primo via Appia ad sanctum Xystum, in Cœmetério Callísti sepúltum, inde a Paschháli Papa in sanctæ Cæcíliæ Títulum, una cum ejúsdem Vírginis et Sociórum corpóribus translátum, ibi sub sancto altári collocátum fuit.

De Epístola S. Cypriáni Epíscopi, et Mártyris, et Collegárum ejus ad sanctum Lúcium Papam et Mártyrem.

LECTIO V.

Nuper quidem tibi, Frater charíssime, gratuláti sumus, cum te honóre gemináto in Ecclésiæ suæ administratióne Confessórem páriter et Sacerdótem constítuit divína dignátio. Sed et nunc non minus tibi, et comítibus tuis, atque univérsæ fraternitáti gratulámur, quod, cum eádem glória et láudibus vestris, réduces vos dénuo ad suos fécerit benígna Dómini, et larga protéctio; ut pascéndo gregi Pastor, et gubernándæ navi gubernátor, et plebi regéndæ Rector redderétur; et apparéret relegatiónem vestram sic divínitus esse dispósitam, non ut Epíscopus relegátus et pulsus Ecclésiæ deésset, sed ut ad Ecclésiam major redíret. Neque enim in tribus púeris minor fuit martyrii dígnitas, quia, morte frustráta, de camíno ignis incólumes exiérunt, aut non consummátus Dániel éxtitit in suis láudibus, quia, qui leónibus missus fúerat ad prædam, protéctus a Dómino vixit ad glóriam. In Confessóribus Christi diláta martyria non mérita confessiónis mínuunt, sed magnália divínæ protectiónis osténdunt.

LECTIO VI.

Repræsentatum vidémus in vobis, quod apud Regem fortes atque illústres púeri prædicavérunt, ipsos quidem parátos esse ardére flammis, ne diis ejus servírent, aut imáginem quam fécerat adorárent; Deum tamen, quem colébant, quemque et nos cólimus, po-

téntem esse, ut eos de camíno ignis exímeret, et de Regis mánibus ac de pœnis præséntibus liberáret; quod invenímus in confessiónis vestræ fide, et in Dómini circa vos protectióne nunc gestum : ut cum vos paráti fuéritis, et prompti omne subíre supplícium, Dóminus tamen vos pœnæ subtráheret, et Ecclésiæ reserváret. Regrediéntibus vobis, breviáta non est in Epíscopo confessiónis suæ dígnitas, sed magis crevit Sacerdotális auctóritas, ut altári Dei assístat Antístes, qui ad confessiónis arma suménda, et faciénda martyria, non verbis plebem, sed factis cohortétur, et imminénte antichrísto, paret ad prælium mílites, non solum sermónis et vocis incitaménto, sed fídei et virtútis exémplo.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang., Si quis vult, *de Communi*, *secundo loco*, p. xxxiij.

In Quadragesima, Lectio IX *de Homilia Feriæ occurr.*

In Vesperis, *Commemorat. de seq. S. Casimiro*, *ut in Brev.*, p. 532.

DIE V.

(*In Brev.*, *heri.*)

S. CASIMIRI, CONFESSORIS.

Semiduplex.

Officium ut in Breviario, p. 532, *exceptis seq.*

In hymno, Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

In Laudibus, omittitur Comm. de S. Lucio.

Singula Officia pro Clero Catalaunensi in hac Parte Hiemali adnotata sic adprobata fuere Decreto lato die 23, mense Decembri, anno superiori 1852.

In quorum fidem..... Ex Secretaria Congregationis sacrorum Rituum, die 27 Julii 1853.

Dom. GIGLI, S. R. C. *Secretar.*

KALENDARIUM

CLERO CATALAUNENSI PROPRIUM.

FESTA MOBILIA.

OFFICIA VOTIVA.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA NOVEMBRIS.

FESTA DECEMBRIS.

8	Immaculatæ Conceptionis B. M. V., *dupl.* 2 cl. cum Octava.	ccc
9	De Octava, *semid.*	cclv
10	Translationis almæ Domus Lauretanæ, *dupl. maj. Comm.* S. Melchiadis, Papæ et Mart.	ccc
11	S. Damasi I, Papæ et Conf., *dupl. Comm.* Oct.	*Ibid.*
12	De Octava, *semid.*	cclxvij
13	S. Luciæ, Virg. et Mart., *dupl. Comm.* Oct.	433
14	SS. Nicasii et Sociorum, Mart., *dupl. Comm.* Oct.	ccc
15	Dies Octava Immacul. Conceptionis Deiparæ, *dupl.*	cclxxj
16	Invent. et Transl. S. Memmii, 1 Catal. Ep. et Conf., *dupl.*	cccj
17	S. Lazari, Discipuli Domini, Episc. et Conf., *dupl.*	ccciij
18	Expectationis Partus B. M. V., *dupl. maj.*	ccciv
19	S. Eusebii, Episc. et Mart. (*e* 16 *hujus*), *semid.*	*Ibid.*
20	Vigilia, *de qua nihil fit nisi in Missa.*	442
21	S. Thomæ, Apostoli, *dupl.* 2 cl.	*Ibid.*
22		
23		
24	Vigilia Nativitatis Domini.	203
25	NATIVITAS D. N. J. C., *dupl.* 1 cl. cum. Oct.	206
26	S. Stephani, Protomart., *dupl.* 1 cl. cum Oct. *Comm.* Omn. SS. Mart. et Oct.	cccv
27	S. Joannis, Apost. et Evang., *dupl.* 2 cl. cum Oct. *Comm.* 2 Octavarum.	229
28	SS. Innocentium, Mart., *dupl.* 2 cl. cum Oct. *Comm.* 3 Octavarum.	235
29	S. Thomæ, Cantuariensis Episc. et Mart., *semid. Com.* 4 Octavar.	242
30	De Dom. vel de Die infra Oct. Nativit., *semid. Comm.* 4 Octavarum.	245
31	S. Silvestri I, Papæ et Conf., *dupl. Comm.* 4 Octavarum.	253

FESTA JANUARII.

1	Circumcisio D. N. J. C., *dupl.* 2 cl.	255
2	Dies Octava S. Stephani, Protomart., *dupl. Comm.* 2 Octav.	267
3	Dies Octava S. Joannis, Apost. et Evang., *dupl. Com.* Oct. SS. Innocent.	271
4	Dies Octava SS. Innocentium, Mart., *dupl.*	275
5	Vigilia Epiphaniæ, *semid. Comm.* S. Telesphori I, Pap. et Mart.	278
6	Epiphania Domini, *dupl.* 1 cl. cum Oct.	284
7	De Octava, vel de Dom. infra Oct., quando occurrit, *semid.*	297 *ad* 313
8	De Oct., *semid.*	
9	De Oct., *semid.*	
10	De Oct., *semid.*	
11	De Oct., *semid. Comm* S. Hygini I, Papæ et Mart.	
12	De Oct., *semid.*	

FESTA FEBRUARII.

18 S. Simeonis, Episc. et Mart., *semid.* cccxij
19
20
21
22 Cathedra S. Petri, Antiochiæ, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli, Apost. 525
23 S. Petri Damiani, Ep., Conf. et Doct., *dupl. Comm.* Vigil. 527
24 *in biss.* 25 S. Mathiæ, Apost., *dupl.* 2 cl. 530
25 *in biss.* 26 S. Felicis III, Papæ et Conf., *dupl.* cccxiij
26 *in biss.* 27 S. Margaritæ Cortonensis, Pœnitentis (*e 22 hujus*), *semid.* cccxiv
27
28

FESTA MARTII.

1 S. Albini, Episc. et Conf., *semid.* *Ibid.*
2 S. Simplicii, Papæ et Conf., *dupl.* cccxv
3
4 S. Lucii I, Papæ et Mart., *dupl.* cccxvj
5 S. Casimiri, Conf. (*ex heri*), *semid.* cccxviij
6
7 S. Thomæ Aquinatis, Conf. et Doct., *dupl. Comm.* SS. Perpetuæ et Soc., Mart. 533
8 S. Joannis de Deo, Conf., *dupl.* 536
9 S. Franciscæ, Romanæ, Vid., *dupl.* 538
10 SS. Quadraginta Mart., *semid.* 540

Ultima sedes Cinerum, *die* 10.

11
12 S. Gregorii I, Magni, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.* 542
13

PARISIIS.—TYPIS ADRIANI LE CLERE,
Via dicta *Cassette*, 29.

PROPRIUM OFFICIORUM

DIŒCESIS CATALAUNENSIS.

FESTA MOBILIA.

FERIA VI INFRA HEBD. I QUADR.
SS. SPINEÆ CORONÆ
D. N. J. C.
Duplex majus.
AD I VESPERAS.

Ant. de Laudibus. Psalm. Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica*, p. 123, *et loco ultimi*, *Psalm.* Laudáte Dóminum omnes Gentes, *p.* 127.

CAPITULUM. *Cant.* 3.

EGREDIMINI, et vidéte filiæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

HYMNUS.

EXITE Sion filiæ,
Regis pudícæ vírgines,
Christi Corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.
Horret, revúlsis crínibus,
Spinis cruentátum caput:
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.
Quæ terra sulcis ínvia,
Dumis rigens et séntibus,
Lugúbre munus prótulit?
Quæ sæva méssuit manus?
Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis,
Palmámque vincens frúctibus,
Spina est triúmphis áptior.
Culpis satæ mortálium
Te, Christe, spinæ vúlnerant:
Evélle nostras córdibus
Tuásque nostris ínsere.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula. Amen.

℣. Plecténtes Corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

Ad Magnificat. Ant. t. 1. *r.* Egredímini, et vidéte fíliæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus: ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spineam venerámur in terris; ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commem. Feriæ.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Regem spinis coronátum * Veníte adorémus.

Hymnus Exite Sion filiæ, *ut supra ad Vesperas.*

IN I NOCTURNO.

Ant. 1. 7. *f.* Erit tamquam lignum, quod plantátum est

secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Psalm. Beátus vir, *p.* 3.

Ant. t. 8. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Psalm. Quare fremuérunt, *p.* 4.

Ant. t. 1. *l.* In tribulatióne dilatásti mihi.

Psalm. Cum invocárem, *p.* 145.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* 53.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti : non est spécies ei, neque decor : et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum : despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem : et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit : et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Maledícta terra in ópere hóminis, * Spinas et tríbulos germinávit Christo. ℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus ne coméderet. Spinas et tríbulos.

Lectio ii.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit : et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est, quia ipse vóluit, et non apéruit os suum : sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est : generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi : * Et vidébat, quod rubus ardéret, et non comburerétur. ℣. Dixit ergo Móyses : Vadam et vidébo visiónem hanc magnam. Et vidébat.

Lectio iii.

Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívites pro morte sua ; eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte; si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur :

in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Ecce ignis, et ligna, Deus providébit sibi * Víctimam holocáusti. ℣. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem. Víctimam. Glória Patri. Víctimam.

IN II NOCTURNO.

Ant. t. 2. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Psalm. Verba mea, *p.* 58.

Ant. t. 1. *l.* Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum.

Psalm. Dómine Dóminus noster, *p.* 6.

Ant. t. 7. *r.* Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

Psalm. In Dómino confído, *p.* 8.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

LECTIO IV.

Serm. 2. *in Epiph. Domini.*

EGREDIMINI fíliæ Sion; vobis dícimus, fíliæ Sion, ánimæ sæculáres, débiles, delicátæ; fíliæ, et non filii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est virílis ánimi. Egredímini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscéntiæ ad libertátem spirituális intelligéntiæ. Egredímini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, in coróna paupertátis, in coróna misériæ: síquidem coronátus est et a novérca sua coróna spínea, coróna misériæ, coronándus a família sua coróna justítiæ, quando exíbunt Angeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala, quando véniet ad judícium cum senióribus pópuli sui, cum pugnábit pro eo orbis terrárum advérsus insensátos. Corónat eum et Pater coróna glóriæ; sicut ait Psalmísta: Glória et honóre coronásti eum, Dómine. Vidéte eum fíliæ Sion in diadémate, quo coronávit eum mater sua.

℟. Cum apparúerit Princeps pastórum, quo percússo dispérsæ sunt oves gregis, * Percipiémus immarcescíbilem glóriæ corónam. ℣. Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriæ regni sui. Percipiémus.

Serm. 42. in Cant.

LECTIO V.

EGO, fratres, ab ineúnte mea conversióne pro acérvo meritórum, quæ mihi deésse sciébam, mihi fascículum colléctum ex ómnibus anxietátibus, et amaritudínibus Dómini mei colligáre, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundántiæ suavitátis horum eructábo quoad víxero, in

ætérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fascículus servátus est : nemo tollet eum a me : inter úbera mea commorábitur. Hæc meditári, dixi sapiéntiam : in his justítiæ mihi perfectiónem constítui : in his plenitúdinem sciéntiæ, in his divítias salútis, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritúdinis ; ex his rursum suávis únctio consolatiónis. Hæc me érigunt in advérsis, in prósperis réprimunt, et, inter læta, tristíaque vitæ præséntis, via régia incedénti tutum præbent utrobíque ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsándo. Hæc mihi concíliant mundi Júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem humilémque figúrant, dum non solum placábilem, sed et imitábilem repræséntant eum, qui inaccessíbilis est principátibus, terríbilis apud reges terræ.

℟. Accépit regnum decóris, * Et diadéma speciéi. ℣. Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et diadéma.

LECTIO VI.

Hæc proptérea mihi in ore frequénter, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut Deus scit; hæc stylo meo ádmodum familiária, sicut appáret : hæc mea sublímior intérim philosophia, scire Jesum, et hunc crucifíxum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in merídie, quem lætus ampléctor mea inter úbera commorántem. Non requíro ubi pascat in merídie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius : panis illud, hoc lac : hoc víscera réficit parvulórum ; hoc replet úbera matrum ; et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos, dilectíssimi, tam diléctum fascículum collígite vobis : hunc medúllis insérite cordis, hoc muníte áditum péctoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habuéritis, quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, lévius portábitis, ipso auxiliánte Ecclésiæ sponso ; qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula Amen.

℟. Arcam de lignis Sethim deaurábis auro mundíssimo intus et foris : * Faciésque supra corónam áuream per circúitum. ℣. Pones in Arca testificatiónem, quam dabo tibi. Faciésque. Glória Patri. Faciésque.

IN III NOCTURNO.

Ant. t. 4. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

Psalm. Dómine, quis habitábit? *p.* 9.

Ant. t. 8. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Psalm. Dómine, in virtúte tua, *p.* 15.

*Ant. t.*8. *f.* Advérsus eos qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

Psalm. Dóminus regit me, *p.* 31.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. 50. *de diversis.*

VIDETE fíliæ Sion regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille : et signíficat Jesum Christum nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, id est, pacíficus in exílio : Ecclesiástes, id est, concionátor in judício : Idida, id est, diléctus Dómini in regno, ubíque rex. In exílio mansuétus, in judício justus, in regno gloriósus. In exílio amábilis, in judício terríbilis, in regno admirábilis. In diadémate, quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc coróna misericórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca sua coróna misériæ, et in hac contemptíbilis. Synagógam loquor, quæ se ei non matrem exhíbuit, sed novércam.

℟. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Sethim : * Faciésque ei corónam auréolam per gyrum. ℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. Faciésque.

Bened. Divínum auxílium.

LECTIO VIII.

CORONABIT eum família sua coróna justítiæ, et in hac terríbilis : corónat eum Pater suus coróna glóriæ, et in hac desiderábilis. Vídeant ergo eum peccatóres in coróna misériæ, id est, spínea, et compungántur : vídeant eum fíliæ Sion, ánimæ affectuósæ, in coróna misericórdiæ, et imiténtur. Vidébunt eum ímpii in coróna justítiæ, et períbunt : vidébunt eum sancti in coróna glóriæ, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur quidem et álii imitatóres ipsíus, sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus, tamquam sponsus e thálamo procéssit ex útero matris.

℟. Christus sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus, * Ipse est, qui corónat vos in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. Ipse. Glória Patri. Ipse.

Lectio IX *dicitur de Homilia Feriæ.*

Te Deum laudámus, *p.* 16.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. t. 8. Diléctus meus cándidus, et rubicúndus, comæ cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica*, p. 17.

Ant. t. 1. *l.* Requiévit super eum * spíritus timóris Dómini : coróna sapiéntiæ et exultatiónis decorávit illum.

Ant. t. 3. *d.* Induit eum* Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ quasi sponsum decorátum coróna.

Ant. t. 1. *f.* Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

Ant. t. 7. *r.* Rex ætérnæ glóriæ * pro nobis coronátus, benedícet corónæ anni benignitátis suæ.

CAPITULUM. *Cant.* 3.

EGREDIMINI, et vidéte fíliæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

HYMNUS.

LEGIS figúris píngitur
Christi Coróna nóbilis :
Impléxa spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.

Arcam coróna cinxerat,
Mensæque sacrum círculum;
Arámque thure fúmidam
Coróna nectit ámbiens.

Christi dolórum cónscia,
Salve, Coróna glóriæ,
Gemmis, et auro púlchrior,
Vincens corónas síderum.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Eris Coróna glóriæ in manu Dómini. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui.

Ad Bened. Ant. t. 4. Exívit Jesus portans spíneam Corónam, et purpúreum vestiméntum.

ORATIO.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spíneam venerámur in terris ; ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum vivit et regnat.

Et fit Commem. Feriæ.

AD TERTIAM.

Ant. Requiévit super eum.

Capitulum, Egredímini, et vidéte, *ut supra.*

℟. *br.* Eris Coróna glóriæ * In manu Dómini. Eris. ℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In manu Dómini. Glória Patri. Eris.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera manuum tuárum.

AD SEXTAM.

Ant. Induit eum.

CAPITULUM. *Apoc.* 6.

VIDI : et ecce equus albus : et qui sedébat super illum, habébat arcum : et data est ei

Coróna : et exívit vincens, ut vinceret.

℟. *br*. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Tuam Corónam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

AD NONAM.

Ant. Rex ætérnæ glóriæ.

CAPITULUM. *Isaiæ* 28.

In die illa erit Dóminus exercítuum Coróna glóriæ, et sertum exultatiónis resíduo pópuli sui.

℟. *br*. Tuam Corónam * Adorámus, Dómine. Tuam Corónam. ℣. Tuam gloriósam recólimus Passiónem. Adorámus. Glória Patri. Tuam Corónam.

℣. Plecténtes Corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

IN II VESPERIS.

Omnia ut in primis.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *r.* Et genu flexo ante eum illudébant ei, dicéntes : Ave rex Judæórum : et expuéntes in eum accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

Oratio, Præsta, quæsumus, *ut supra ad Laudes.*

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

FER. VI INFRA HEBD. II QUADR.
SS. LANCEÆ ET CLAVORUM
D. N. J. C.

Duplex majus..

Off. ut in Suppl., p. ccxix.

FER. VI INFRA HEBD. III QUADR.
SS. SINDONIS D. N. J. C.

Duplex majus.

Off. ut in Suppl., p. ccxxvj.

FER. VI INFRA HEBD. IV QUADR.
SS. QUINQUE VULNERUM
D. N. J. C.

Duplex majus.

Off. ut in Suppl., p. ccxxxij.

¶ *Si quod ex Officiis supra dictis occurrat die Festo superioris ritus, transferendum est ad primam diem non impeditam, modo adveniat dies ista ante Dominicam Palmarum. Si secus, hujusmodi Officium omittitur hoc anno.*

OFFICIA VOTIVA.

A Dominica in Albis usque ad Dom. SS. Trinitatis extra quatuor Tempora, Octavas Vigiliasque privilegiatas, modo non occurrat Officium IX *Lectionum, etiam translatum, fit, more votivo et sub ritu semid :*

1° *Singulis Feriis* V, *de SS. Sacramento, ut in Supplemento*, p. ccxlvj.

2° *Singulis Sabbatis, de Immaculata Conceptione Deiparæ, ut in Supplemento*, p. cclx.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

(*In Martyr.*, 3 *Januarii.*)

S. GENOVEFÆ, VIRGINIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Virginum, p. xcv, *præter seq.*

Orat. Exáudi nos, *p.* xcvij.

Fit Comm. de Feria in utrisque Vesperis.

IN I NOCTURNO.

Lect. De virgínibus, *primo loco*, p. c.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GENOVEFA, Nemptodúri in agro Parisiénsi nata, inaudíto virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Sanctus Germánus Autissiodorénsis in Británniam iter fáciens cum sancto Lupo Trecénsi, puéllam Deo acceptíssimam ac vitæ sanctitáte claríssimam fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num virginitátem Deo consecráre vellet, Genovéfa statim respóndit id unum se veheménter optáre. Germánus ítaque Ecclésiam ingréssus, puéllæ manus impósuit, et, inter crebros psalmórum concéntus prolixásque oratiónes, Vírginem consecrávit.

LECTIO V.

MIRACULORUM dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque in primis accedénte Attila, Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est, ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitiónibus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus, idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ charitáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros erogátis pánibus sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit, quin malevolórum ódio et contuméliis premeré-

tur. Germánus, in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum, in quo preces illa fundébat, lácrymis ejus madefáctum osténdit.

LECTIO VI.

Ab anno ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo, ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus Epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est. Neque vero intra Gálliæ límites tanta virtus contineri pótuit. Símeon ille stylites, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. Sancta Genovéfa, quæ teste beáto Gregório Turonénsi, adhuc in córpore pósita, tanta virtúte præváluit ut mórtuum suscitáverit, post mortem plúribus miráculis celébrior evásit. Lutétiæ sepúlta est in Basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quæ subínde ipsíus Genovéfæ nomen accépit.

Catal. *Verna.*

IN III NOCTURNO.

Hom. in Evang. Símile erit... decem virgínibus, *primo loco*, p. cvj.

Lect. IX *de Homilia Feriæ, de qua fit Comm. in Laud.*

DIE IV.

S. JOANNÆ VALESIÆ,

FRANCORUM REGINÆ,

NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

Duplex.

Offic. ut in Supplemento, p. cclxix, *præter seq.*

Fit Comm. Feriæ in utrisque Vesperis.

Lectio IX *de Homilia Feriæ, cujus Commem. in Laudibus.*

DIE V.

S. AGATHÆ, VIRG. ET MART.

Duplex.

IN I VESPERIS.

Ant. et Capitulum de Laud.

Psalm. Dixit Dóminus *cum reliq. de Dom.*, p. 123, *et loco ultimi*, *Psalm.* Laudáte Dóminum, omnes, *p.* 127.

Hymnus Jesu coróna vírginum, *de Communi Virg.*, p. xcvij.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. t. 1. Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum : Dómine Jesu Christe, magíster bone, grátias tibi ago qui me fecísti víncere torménta carníficum : jube me, Dómine, ad tuam immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.

Oratio de Laudibus.

Fit Commem. de Feria.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem virginum Dóminum, * Veníte adorémus.

Psalm. Venite, exultémus, *p.* 2.

Hymnus Virginis proles, *de Communi Virginis Martyris*, p. xcviij.

IN I NOCTURNO.

Ant. t. 7. *r* Ingénua sum, et ex spectábili génere, ut omnis parentéla mea testátur.

Psalm. Beátus vir, *cum reliquis de Communi unius Martyris*, p. xxiij.

*Ant. t.*8. *f* Summa ingenúitas ista est, in qua sérvitus Christi comprobátur.

Ant. t. 2. Ancilla Christi sum, ídeo osténdo me servílem habére persónam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Lectiones de Libro Ecclesiastici, Confitébor tibi, *de Communi Virginum, secundo loco,* p. cx.

℟. Dum torquerétur beáta Agatha in mamílla gráviter, dixit ad júdicem : * Impie, crudélis, et dire tyránne, non es confúsus amputáre in fémina, quod ipse in matre suxísti? ℣. Ego enim hábeo mamíllas íntegras intus in ánima mea, quas ab infántia Dómino consecrávi. Impie.

℟. Agatha lætissime et gloriánter ibat ad cárcerem, * Quasi ad épulas invitáta : et agónem suum Dómino précibus commendábat. ℣. Nobilissimis orta natálibus, ab ignóbili gaudens trahebátur ad cárcerem. Quasi ad épulas.

℟. Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi : nihil in me dúbites, filia : ipse me misit ad te, *Quem dilexísti mente et puro corde. ℣. Nam et ego Apóstolus ejus sum, et in nómine ejus scias te esse curándam. Quem dilexísti. Glória Patri. Quem dilexísti.

IN II NOCTURNO.

Ant. t. 8. Agatha sancta dixit : Si feras mihi promíttis, audíto Christi nómine mansuéscunt.

Psalm. Cum invocárem, *cum reliquis de Communi unius Martyris*, p. xxvj.

Ant. t. 8. Si ignem adhíbeas, rorem mihi salvíficum de cœlo Angeli ministrábunt.

Ant. t. 7. Agatha lætissime et gloriánter ibat ad cárcerem, quasi ad épulas invitáta : et agónem suum Dómino précibus commendábat.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

LECTIO IV.

Agatha Virgo, in Sicilia nobilibus paréntibus nata, quam Panormitáni et Catanénses civem suam esse dicunt, in persecutióne Décii Imperatóris Cátanæ gloriósi martyrii corónam consecúta

est. Nam cum pari pulchritúdinis et castitátis laude commendarétur, Quintiánus Siciliæ prætor, ejus amóre captus est. Sed cum, tentáta modis ómnibus ejus pudicítia, Agatham in suam senténtiam perdúcere non posset, Christiánæ superstitiónis nómine comprehénsam, Aphrodisiæ cuidam mulíeri depravándam tradit. Quæ Aphrodísiæ consuetúdine cum de constántia coléndæ Christiánæ fidei, et servándæ virginitátis, removéri non posset, núntiat illa Quintiáno se in Agatha óperam pérdere. Quare ille ad se Vírginem addúci jubet : et : Nonne, inquit, te pudet nóbili génere natam, húmilem et servílem Christianórum vitam ágere? Cui Agatha : Multo præstántior est Christiána humílitas et sérvitus, regum ópibus ac supérbia.

℟. Ego autem adjúta a Dómino, perseverábo in confessióne ejus qui me salvam fecit, * Et consolátus est me. ℣. Grátias tibi ago, Dómine Jesu Christe, qui misísti ad me Apóstolum tuum, curáre vúlnera mea. Et consolátus.

LECTIO V.

QUAMOBREM irátus Prætor hanc ei optiónem dat, velítne pótius venerári deos, an vim tormentórum subíre. At illa constans in fide, primum cólaphis cæsa mittitur in cárcerem : unde postrídie edúcta, cum in senténtia permanéret, admótis candéntibus láminis in equúleo torquétur : tum ei mamilla abscínditur. Quo in vúlnere Quintiánum appéllans Virgo : Crudélis, inquit, tyránne, non te pudet amputáre in fémina, quod ipse in matre suxísti? Mox conjécta in víncula, sequénti nocte a sene quodam, qui se Christi Apóstolum esse dicébat, sanáta est. Rursum evocáta a Prætóre, et in Christi confessióne persevérans, in acútis téstulis, et candéntibus carbónibus ei subjéctis volutátur.

℟. Ipse me curávit, qui per Apóstolum Petrum in custódia me confortávit, pro eo quod jussa sum suspéndi in equúleo. * Propter fidem castitátis ádjuva me, Dómine Deus meus, in tortúra mamillárum meárum. ℣. Ipse me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere. Propter.

LECTIO VI.

QUO témpore ingénti terræmótu urbs tota contrémuit, ac duo paríetes corruéntes, Silvínum et Falcónium íntimos Prætóris familiáres oppressérunt. Quare veheménter commóta civitáte, véritus pópuli tumúltum Quintiánus, Agatham semimórtuam clam redúci ímperat in cárcerem. Quæ sic Deum precáta : Dómine, qui me custodísti ab infántia, qui abstulísti a me amórem sæculi, qui me carníficum torméntis superiórem

præstitisti, áccipe ánimam meam. Ea in oratióne migrávit in cœlum, Nonis Februárii: cujus corpus a christiánis sepelítur.

℟. Vidísti Dómine, et spectásti agónem meum, quómodo pugnávi in stádio: sed quia nólui obedíre mandátis príncipum,* Jussa sum in mamílla torquéri. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam. Jussa sum. Glória Patri. Jussa sum.

IN III NOCTURNO.

Ant. t.4. Nisi diligénter perféceris corpus meum a carnifícibus attrectári, non potest ánima mea in paradísum Dómini cum palma intráre martyrii.

Psalm. In Dómino confído, *de Com. unius Mart.*, p. xxix.

Ant. t. 7. Vidísti, Dómine, agónem meum, quómodo pugnávi in stádio: sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, jussa sum in mamílla torquéri.

Psalm. Dómine, quis habitábit, *de Communi unius Martyris*, p. xxix.

Ant. t. 7. Propter fidem castitátis jussa sum suspéndi in equúleo: ádjuva me, Dómine Deus meus, in tortúra mamillárum meárum.

PSALMUS 15.

CONSERVA me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, et cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: * insuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * insuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Propter fidem castitátis jussa sum suspéndi in equúleo: ádjuva me, Dómine Deus meus, in tortúra mamillárum meárum.

℣. Elégit eam Deus, et præ-

elégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 19.

IN illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharisæi tentántes eum, et dicéntes : Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 63 in Matthæum, sub medium.

DOMINUS noster, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, a necessitáte legis de non solvéndo matrimónio, eos ad cupiditátem illius tráhere studet. Deinde ut eam esse possíbilem osténdat, sic inquit : Sunt eunúchi qui ex ventre matris ita nati sunt, et sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seipsos castravérunt propter regnum cœlórum. Quibus verbis laténter eos ad eligéndam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit.

℟. Beáta Agatha ingréssa cárcerem, expándit manus suas ad Deum, et dixit : Dómine, qui me fecísti víncere torménta carníficum, * Jube me ad tuam misericórdiam perveníre. ℣. Dómine qui me creásti, et tulísti a me amórem sæculi, qui corpus meum a pollutióne separásti. Jube.

LECTIO VIII.

ID autem hoc fere modo confírmat. Cógita tecum si aut a natúra talis esses, aut ab homínibus eam injúriam passus, quid fáceres, cum et ejúsmodi voluptáte caréres, et nullam caréndo mercédem consequeréris? Grátias ígitur nunc Deo agas, quod cum mercéde atque corónis idem sústines, quod illi sine corónis ac præmio tólerant : imo vero non idem, sed multo lévius, tum quia spe erígeris, et consciéntia recte facti ; tum quia non ita ingéntibus concupiscéntiæ flúctibus jactáris.

℟. Medicínam carnálem córpori meo numquam exhíbui, sed hábeo Dóminum Jesum Christum, * Qui solo sermóne restáurat univérsa. ℣. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere, ipsum ínvoco Deum vivum. Qui solo. Glória Patri. Qui solo.

Lectio IX *de Homilia Feriæ.*

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. t. 7. Quis es tu, * qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi : nihil in me dúbites, fília.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis*, p. 17.

Ant. t. 1. Medicínam carnálem * córpori meo numquam exhíbui, sed hábeo Dóminum Jesum Christum, qui solo sermóne restáurat univérsa.

Ant. t. 7. Grátias tibi ago, *

Dómine Jesu Christe, quia memor es mei, et misisti ad me Apóstolum tuum curáre vúlnera mea.

Ant. t. 8. Benedíco te, Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Apóstolum tuum mamíllam meam meo péctori restituísti.

Ant. t. 7. *r* Qui me dignátus est * ab omni plaga curáre, et mamíllam meam meo péctori restitúere, ipsum ínvoco Deum vivum.

CAPITULUM. *Eccl.* 51.

CONFITEBOR tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus Jesu, coróna vírginum, *de Communi Virginum,* p. cviij.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. t. 5. Paganórum multitúdo fúgiens ad sepúlchrum Vírginis, tulérunt velum ejus contra ignem : ut comprobáret Dóminus, quod a perículis incéndii méritis beátæ Agathæ Mártyris suæ eos liberáret.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius; ut qui beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. Feriæ.

AD TERTIAM.

Ant. Medicínam carnálem.

Capitulum Confitébor tibi, *ut supra.*

℟. *br.* Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Ant. Grátias tibi ago.

CAPITULUM. *Eccli.* 51.

LIBERASTI me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

℟. *br.* Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ant. Qui me dignátus est.

CAPITULUM. *Eccli.* 51.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum : quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

℟. *br.* Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In

tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

AD VESPERAS.

Ant. ut supra in Laudibus.

Psalm. Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dom.*, p. 123, *et loco ultimi, Psalm.* Lauda Jerusalem, *p.* 142.

Capit., Hymn. et ℣. ut supra in Laudibus.

Ad Magnificat, Ant. t. 5. Stans beáta Agatha in médio cárceris, expánsis mánibus orábat ad Dóminum: Dómine Jesu Christe, magíster bone, grátias tibi ago, qui me fecísti víncere torménta carníficum: jube me Dómine ad tuam immarcescíbilem glóriam felíciter perveníre.

DIE VI.

(*In Brev.*, 4 *hujus.*)

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, p. lx, *prætereaquæ hic ponuntur propria.*

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia, ut assequátur et prǽmia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit Commem. de Feria, in utrisque Vesperis.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *primo loco*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Andream Floréntiæ ex nóbili Corsinórum família natum, paréntes précibus a Deo impetrárunt, et beátæ Vírgini spopondérunt. Qualis autem futúrus esset, divíno præságio, ántequam nascerétur, osténsum est; nam mater grávida sibi visa est per quiétem lupum edidísse, qui ad Carmelitárum ædem pergens, in ipso templi vestíbulo statim in agnum convérsus est. Adoléscens pie et ingénue educátus, cum sensim ad vítia declináret, sæpe a matre increpátus fuit. Ubi autem cognóvit se paréntum voto Deíparæ Vírgini dicátum fuísse, Dei amóre succénsus, deque visu matris admónitus, Carmelitárum institútum ampléxus est, in quo váriis tentatiónibus a dæmone vexátus, numquam tamen pótuit a Religiónis propósito dimovéri. Mox Lutétiam missus, eménso studiórum currículo, et láurea donátus, in pátriam revocátur, suíque Ordinis regímini in Etrúria præfícitur.

LECTIO V.

Interea Fesulána Ecclésia suo viduáta Pastóre, eum sibi Epíscopum elégit: quo múnere se indígnum æstimans, diu látuit ignótus, donec púeri voce

mirabíliter loquéntis próditus, et extra urbem invéntus, ne divínæ contradíceret voluntáti, Episcopátum suscépit. Ea dignitáte auctus, humilitáti, quam semper colúerat, impénsius incúbuit; et pastoráli sollicitúdini misericórdiam in páuperes, liberalitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, aliásque virtútes adjúnxit, et spíritu étiam prophético clarus fuit; ádeo ut ejus sánctitas ab ómnibus celebrarétur.

LECTIO VI.

HIS permótus Urbánus Quintus, ad sedándas Bonóniæ turbas, Andréam legátum misit: quo in múnere multa perpéssus, cívium ódia, quæ ad interneciónem exárserant, summa prudéntia restínxit; tum restitúta tranquillitáte, ad própria revérsus est. Nec multo post assíduis labóribus, et voluntária carnis maceratióne conféctus, óbitus die a beáta Vírgine sibi prædícto, ad cœléstia regna migrávit anno Dómini millésimo tercentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ septuagésimo primo. Quem Urbánus Octávus multis magnísque miráculis clarum Sanctórum número adscrípsit. Ejus corpus Floréntiæ in Ecclésia sui Ordinis quiéscit, et máxima cívium veneratióne cólitur, quibus non semel in præsénti discrímine præsídio fuit.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lxviij.

Lect. IX *de Homilia Feriæ, de qua Commem. in Laudibus.*

DIE VII.

S. ROMUALDI, ABBATIS.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pont., p. lxxix, *præter sequentia.*

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Orat. Intercéssio, *p.* lxxix.

Et fit Commem. de Feria, in utrisque Vesperis.

IN I NOCTURNO.

Lect. Beátus vir, *secundo loco*, p. xc.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

ROMUALDUS Ravénnæ, Sérgio patre nóbili génere natus, adoléscens in propínquum monastérium Classénse, pœniténtiæ causa secéssit; ubi religiósi hóminis sermóne ad pietátis stúdium veheméntius incénsus, viso étiam semel et íterum per noctem in Ecclésia beáto Apollinári, quod Dei servus illi futúrum promíserat, mónachus efficitur. Mox ad Marínum, vitæ sanctitáte ac severióre disciplína in fínibus Venetórum eo témpore célebrem, se cóntulit, ut ad arctam et sublímem perfectiónis viam eo magístro ac duce uterétur.

LECTIO V.

MULTIS sátanæ insídiis, et hóminum invídia oppugnátus, tanto humílior se assídue jejúniis et oratiónibus exercébat, et rerum cœléstium me-

ditatióne, vim lacrymárum profúndens, fruebátur: vultu tamen ádeo læto semper erat, ut intuéntes exhilaráret. Magno apud Príncipes et Reges in honóre fuit: multíque ejus consílio, mundi illécebris abjéctis, solitúdinem petiérunt. Martyrii quoque cupiditáte flagrávit; cujus causa dum in Pannóniam profíciscitur, morbo, quo afflictabátur cum progrederétur, levabátur cum recéderet, revérti cógitur.

LECTIO VI.

In vita et post mortem mirāculis clarus, spíritu étiam prophetiæ non cáruit. Scalam a terra cœlum pertingéntem, in similitúdinem Jacob Patriárchæ, per quam hómines in veste cándida ascendébant et descendébant, per visum conspéxit; eóque Camaldulénses mónachos, quorum institúti auctor fuit, designári mirabíliter agnóvit. Dénique cum annos centum et vigínti ágeret, et centum ipsos in summa vitæ asperitáte Deo servísset, ad eum migrávit anno salútis millésimo vigésimo séptimo. Ejus corpus quinquénnio postquam sepúltum fúerat, íntegrum repértum, Fabriáni in Ecclésia sui Ordinis honoríﬁce cónditum est.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, *ut in Communi Abbatum.*, p. xciv.

Lectio IX *de Homilia Feriæ, cujus Commem. in Laudibus.*

DIE IX.

(*In Brev.*, 22 *Januarii.*)

S. ANASTASII, MART.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart., p. xxij, *præter seq.*

Orat. Præsta quæsumus,... ut intercedénte, *p.* xxiij.

Fit Comm. de Feria.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fratres, Debitóres, *de Comm. plur. Mart.*, p. xlviij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Anastasius Persa, Mónachus, Herácllo Imperatóre, cum sanctam Jerosolymórum terram visitásset, ad Cæsaréam Palestínæ pro Christi religióne víncula et vérbera constánter perpéssus est. Mox a Persis ob eámdem causam váriis cruciátibus affectus, a rege Chósroa, una cum septuagínta áliis Christiánis, secúri percútitur. Cujus reliquiæ primum Jerosólymam ad monastérium, in quo monásticam vitam proféssus erat, deinde Romam delátæ, collocátæ sunt in monastério ad Aquas Sálvias.

Lect. v, Príncipes, *de Comm.*, *secundo loco*, p. xxxiv.

Lect. vi, Vere frustra, *ibid.*

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 10. *c*

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilia sancti Hilárii Episcopi.

Comment. in Matth. Cap. 10, *post medium.*

Dominus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet : et ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas : quia dies judícii nulla hæc fuisse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in tenébris, dicite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuisse nóctibus sermocinári, et doctrínam in tenébris tradidisse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus tenébræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

Lectio viii.

Itaque id quod a se dictum est, cum libertáte fidei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcirco quæ in tenébris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine : ut quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingeréndа cognítio est, et profúndum doctrínæ Evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ reveländum : non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est : sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

Lect. ix *de Homilia Feriæ, de qua et de S. Apollonia Commem. in Laudibus.*

Vesperæ de seq. S. Scholastica; Commem. de præced. S. Anastasio et de Feria.

DIE XI.

(*In Brev.*, 23 *Januarii.*)

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. p. lxxix, *præter seq.*

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ Sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti : concéde ; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

IN I NOCTURNO.

Lect. Justus si morte, *primo loco*, p. lxxxj.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Beatus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili família de Pénnafort, Christiánæ Religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi, et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres litteras

in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis officiis, ac pontifício, civilíque juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros Cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ Canonicátu, et Præpositúra ornátus, univérso clero, et pópulo integritáte, modéstia, doctrína, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus auxit.

LECTIO V.

Annum círciter quintum supra quadragésimum agens, in Ordine Fratrum Prædicatórum, solémni emíssa professióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in charitáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret: tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo Primo Arragóniæ Regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem institueréter Ordo Religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, Ordinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt: cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem Ordinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório Nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum Primum Generálem Ordinis Magistrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

LECTIO VI.

Ab eódem Gregório Romam accersítus, et Capelláni, ac Pœnitentiárii, et Confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis Concíliis et Epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit. Et totíus Ordinis Prædicatórum generále Magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo, Arragóniæ regi sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula; inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónam reversúrus, strato

super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum Cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens Octávus in Sanctórum númerum rétulit.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Sint lumbi vestri, *primo loco,* p. lxxxvij.

Lectio IX *de Homilia Feriæ, cujus fit Commem. in Laudibus.*

DIE XIII.

SANCTI GREGORII II, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pontif., p. lx, *præter seq.*

Oratio Da, quæsumus, *p.*lxj.

Deinde fit Commem. Feriæ.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *de Communi*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS hujus nóminis Secúndus, natióne Románus, patre Marcéllo, anno Christi septingentésimo decimoquárto, mirábili totíus Cleri et pópuli concórdia, ad suprémum Ecclésiæ Cathólicæ Pontificátum evéctus est. Hic a pueritia divíno cúltui addíctus in Lateranénsi Patriárchio, sub beáti Sérgii óculis et disciplina víxerat, Subdiáconi primum, tum Sacellárii múnere functus. Mox Bibliothécæ cura illi crédita, ad Diaconátus tandem Ordinem promótus, in régiam Urbem, una cum sanctíssimo Papa Constantíno proféctus est. Ibi ab Imperatóre de nonnúllis capítibus interrogátus, cum sacrárum litterárum peritíssimus esset, et constantíssimus rerum Ecclesiasticárum defénsor, óptima et cathólica responsióne Príncipi satisfécit.

LECTIO V.

URBIS mœnia contra Longobardórum excursiónes, áliqua ex parte reparávit. Aliquot Basílicas témporum injúria collápsas restítuit. Urbána Monastéria fere desérta, et Mónachos in prístinam formam, et disciplínam redégit. Imo post mortem Honéstæ matris, patérnam domum in Ecclésiam et Monastérium commutávit, quod multis prædiis instrúctum relíquit. Corbiniánum et Bonifácium viros apostólico spíritu plenos, in Germániam misit, ad prædicándum Gentílibus Christi Evangélium, eósque sacris Episcopátus ínfulis decorávit, postquam innúmeram paganórum multitúdinem ab iis ad Christi fidem convérsam fuisse accepisset. Ut omnes óptimi Pastóris partes impléret, óptimis légibus Ecclesiásticam disciplínam, et Christianórum mores instrúxit. Géminam Synodum Romæ hábuit, álteram advérsus illícita conjúgia, álteram advérsus Iconoclástas.

LECTIO VI.

LEONEM Isáurum sacrárum Imáginum destructórem váriis Epistolis ab illa hæresi removére, omnique illum officiórum génere sibi demeréri stúduit; cum tamen hic ad scéleris cúmulum, óptimum Pontíficem neci trádere ferro séxies, semel auro et munéribus corrúmpere, quamvis frustra tentásset. Luitprándo, cum Exárcho ad excídium Urbis properánti, sanctissimus Póntifex, Dei fretus præsídio, ad prata Nerónis occúrrit, et piis mónitis Regis ánimum ita mollívit, ut non jam hostis, sed pius adorátor ensem et corónam Príncipi Apostolórum obtúlerit. Cum autem Imperátor destructiónem machinarétur, eúmdem diro anathémate pérculit, et ínito cum Francis fœdere ab ímpio molímine detérruit. Rebus demum præcláre gestis, quibus máximis quibúsque Prædecessórum suórum æquiparátur, pie óbiit in Dómino, decimoséxto Pontificátus anno, et in Basílica Vaticána cónditus est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evangelium Homo péregre, *primo loco,* p. lxviij.

Lect. IX *de Homilia Feriæ, cujus fit Commem. in Laudibus.*

In II Vesperis, Commemoratio de Feria et de S. Valentino, Presbytero et Mart., p. 419.

DIE XVI.

BEATI GREGORII X,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., p. lx, *præter seq.*

ORATIO.

DEUS, qui Ecclésiam tuam, beáti Gregórii Confessóris atque Pontíficis Religiónis zelo, et apostólicis curis amplificásti: ejus méritis, et intercessióne concéde; ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

Et fit Comm. de Feria.

IN I NOCTURNO.

Lect. Laudémus viros, *de Comm., secundo loco,* p. lxxij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS Décimus, Theáldus seu Theobáldus ántea nuncupátus, Placéntiæ ad Æmíliæ fines nóbili Vicecómitum génere natus est. Adoléscens Ecclesiásticæ milítiæ adscríptus, singulári nítuit honestáte morum vitæque mundítia, nulla umquam, ut créditur, críminis contagióne pollúta. In Gálliam cum Jacóbo Cardináli Pecorário Gregórii Noni Legáto proféctus, Archidiáconus Leodiénsis renuntiátus est. Eo in Itáliam redeúnte, Theologíæ Parisiis óperam dedit; ac Magístri munus adéptus, verbo, et exémplo fidéles, ac Príncipes ad Terræ Sanctæ recuperatiónem veheménter accéndit. In Syriam deinde peregrinátus, dum ibi

sacram expeditiónem urgéret, a Cardinálibus, Vitérbii Pontíficis electiónem in annum fere tértium protrahéntibus, in Petri Sedem evéctus est, anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo.

LECTIO V.

Accepto Ptolemáide electiónis decréto, in Itáliam navigávit, ac Vitérbium se cóntulit, deinde Romam, ubi anno insequénte solémniter inaugurátus est. Ab ipso Pontificátus exórdio ad generális Concilii celebratiónem curas et cogitatiónes omnes adjécit. Eo Lugdúnum Galliárum indicto, Michaélem Palæólogum Græcórum Imperatórem, tum álios Christiános Príncipes, et græcæ latinæque Ecclésiæ Præsules litteris amantissimis invitávit, accersitis étiam exímiis doctrína et sanctitáte viris, uti sancto Thoma Aquináte, in ipso itínere vita functo, sancto Bonaventúra, sancto Philippo Benitio, beáto Albérto Magno, Petro de Tarantásia Ordinis Prædicatórum, qui eídem in Pontificátu succéssit. Igitur Œcuménicam Synodum Patrum número ómnium frequentíssimam cui præfuit Póntifex ipse, Græcis, ejuráto schísmate, ad Ecclésiæ unitátem recéptis, decrétis pro sacra expeditióne subsídiis, editísque plúribus sanctíssimis légibus, triméstri spátio felíciter celebrávit.

LECTIO VI.

De pace in Ecclésia firmánda cum primis sollícitus, prælatórum dissídia, Regum inimicítias, Provinciárum ódia, populórum factiónes compósuit, dirémit, extínxit. Ecclésiæ jura, étiam advérsus Reges et Príncipes, sevére ac fórtiter vindicávit, nullam esse prædicans solidiórem Regnórum basim, quam tutélam Ecclesiásticæ libertátis. Páuperum amantíssimus, primus ómnium in Apostólico Palátio piárum in illos largitiónum Præsidem constituit, iisque própriis mánibus pedes quotídie abluébat. In Itáliam a Concílio redux, dum profectiónem in Palæstínam meditátur, plúraque ália Christiánæ Reipúblicæ bono molirétur, Arétii in Etrúria morte intercéptus est, quarto ab electióne sua anno, mense quarto, die décima. Fuit vir ánimi plane invícti et apostólici, terrenórum contémptu, cultus divíni stúdio, fídei zelo, disciplínæ, et morum restauratióne, rerum gerendárum prudéntia, fortitúdine, magnanimitáte, aliísque virtútibus prorsus exímius. Miráculis post mortem claruísse, Ecclésiæ Aretínæ monuménta testántur.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lxviij.

Lectio IX *de Homil. Feriæ, cujus fit Comm. in Laud.*

In II Vesp., Comm. de sequenti S. Juliana et de Feria.

DIE XVII.

(*In Martyr., heri.*)

S. JULIANÆ, VIRG. ET MART.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Virginum, p. xcv, *præter seq.*

Orat. Deus, qui inter cætera, *p.* xcvij.

Fit Comm. de Feria.

IN I NOCTURNO.

Lect. Confitébor tibi, *secundo loco,* p. cx.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

JULIANA Virgo Nicomediénsis sub Maximiáno Imperatóre, cum Africáni paréntis blandítiis ac minis frangi non posset, ut viro nóbili, sed idolórum cultóri, matrimónio jungerétur, primum lóreis exténsa, nervisque et vimínibus diu verberáta, deínde capíllis magna diéi parte suspénsa est: tum candéntes láminæ latéribus ejus applicátæ sunt. Póstmodum in tetrum cárcerem detrúsa, palam cum diábolo conflixisse dícitur: demum flammas ígnium, et ollam fervéntem súperans, cápitis obtruncatióne, decem et octo annos nata, dúplicem virginitátis et martyrii corónam adépta est.

Lect. v, Quóniam hódie, *primo loco,* p. ciij.

Lect. vi, Hæc nubes, *p.* civ.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Símile erit... decem virgínibus, *primo loco,* p. cvj.

Lect. ix *de Homil. Feriæ, cujus Comm. in Laud.*

Vesp. a Capit. de seq. S. Simeone; Comm. de S. Juliana et de Feria.

DIE XVIII.

S. SIMEONIS, EP. ET MART.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xxij, *præter seq.*

Orat. Infirmitátem, *p.* xxiij.

IN I NOCTURNO.

Lect. A Miléto, *de Comm.,* p. xxv.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

SIMEON, fílius Cléophæ, post Jacóbum próximus, Jerosólymis ordinátus Epíscopus, Trajáno Imperatóre, apud Atticum consulárem est accusátus, quod Christiánus esset, et Christi propínquus. Comprehendebántur enim omnes eo témpore, quicúmque ex génere David orti essent. Quare multis cruciátus torméntis, eódem passiónis génere, quod Salvátor noster subíerat, affícitur, mirántibus ómnibus, quod homo ætáte conféctus (erat enim centum et viginti annórum) acerbíssimos crucis dolóres fórtiter constantérque paterétur.

Lect. v, Triumphális, *de Comm.,* p. xxviij.

Lect. vi, Coronáta, *ibid.*

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Si quis venit, *primo loco,* p. xxxj.

Lect. ix *de Homil. Feriæ, cujus Comm. in Laud.*

DIE XXV. *In Biss.*, XXVI.

S. FELICIS III, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. lx, *præter seq.*

Orat. Da quæsumus, *p.* lxj.

Pridie, in II Vesperis S. Mathiæ, Comm. de S. Felice, et de Feria.

IN I NOCTURNO.

℣ *Lect.* Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

FELIX Tértius pátria Románus, natus ex nobilíssima domo Anícia, et divi Gregórii Magni átavus, post Simplicium Papam ad summi Pontificátus ápicem est evéctus. Hic mira ánimi constántia, tamétsi Roma sub Hérulis Ariánis propémodum captiva viderétur, aliique Patriárchæ conciliatiónem Zenónis Imperatóris approbássent, solus illi non communicávit. Ejúsdem de fide edictum promulgántis, audáciam fórtiter représsit; Petrum Fullónem Patriarchátu Antiochéno dejécit. Acácium Constantinopolitánum Epíscopum Romam venire coégit, ut contra eum objéctis in Apostólicæ Sedis judício respondéret, ac in eúmdem senténtia excommunicatiónis animadvértit.

LECTIO V.

CONSTITUIT, ut Ecclésiæ nónnisi ab Episcopis consecraréntur; semel baptizátos iterum rebaptizári sub grávibus pœnis prohibuit. Basilicam sancti Agapiti constrúxit. Anno ejus Pontificátus tértio, sanctus Bárnabas Apóstolus, cum sancti Matthæi Evangélio, in Cypro Anthémio Episcopo Salaminæ appáruit; sicque prævia trina revelatióne, corpus sancti Bárnabæ cum Evangélio supradicto est invéntum. Duas fecit Ordinatiónes mense Decémbri, quibus creávit Romæ Presbyteros viginti novem, Diáconos quinque, Episcopos per divérsa loca triginta. Quinto Kaléndas Mártii e terris excédens ad Súperos evolávit.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

LECTIO VI.

Ex Hom. 38 *in Evang.*

QUIA nonnúmquam mentes audiéntium plus exémpla fidélium, quam docéntium verba convértunt, volo vobis áliquid de próximo dícere, quod corda vestra tanto formidolósius áudiant, quanto eis hoc de propinquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dicimus; sed eas, de quibus testes existunt, eísque interfuisse se réferunt, memorámus. Tres pater meus soróres hábuit, quæ cunctæ tres sacræ Vírgines fuérunt; quarum una Tarsilla, ália Gordiána, ália Æmiliána dicebátur. Quadam vero nocte huic Tarsillæ (quæ inter soróres suas virtúte continuæ oratiónis, afflictiónis stúdio, abstinéntiæ singuláris, gravitáte vitæ venerábilis, in honóre et cúlmine sanctitátis excréverat), sicut ipsa narrávit, per visiónem

átavus meus Felix hujus Románæ Ecclésiæ Antístes appáruit, eíque mansiónem perpétuæ claritátis osténdit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansióne suscipio. Quæ subsequénti mox febre corrépta ad diem pervénit extrémum, et sicut nobílibus féminis virísque moriéntibus multi convéniunt, qui eórum próximos consoléntur, eádem hora ejus éxitus multi viri ac féminæ ejus léctulum circumstetérunt, inter quas mater mea quoque ádfuit; cum sursum illa respíciens Jesum veniéntem vidit, et cum magna animadversióne cœpit circumstántibus clamáre, dicens: Recédite, recédite, Jesus venit. Cumque in eum inténderet quem vidébat, sancta illa ánima a carne solúta est: tantáque súbito fragrántia miri odóris aspérsa est, ut ipsa quoque suávitas cunctis osténderet, illuc auctórem suavitátis venísse.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Homo péregre, *de Comm., primo loco,* p. lxviij.

Lectio IX *de Homilia Feriæ, cujus Commem. in Laudibus.*

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Margarita et de Feria.

DIE XXVI. *In Bissex.*, XXVII.

(*In Martyr.*, 22 *hujus.*)

S. MARGARITÆ CORTONENS., POENITENTIS.

Semiduplex.

Offic. ut in Supplemento, p. cclxxiij.

Commem. Feriæ in Laudibus et Vesperis.

FESTA MARTII.

DIE I.

S. ALBINI, EP. ET CONF.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. lx, *præter seq.*

Orat. Exáudi, *p.* lxij.

Fit Comm. de Feria.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Albinus, Venétiæ in Armórica claro génere natus, relíctis a púero paréntibus, in Cincillacénse Monastérium ingréssus est. Anno ætátis trigésimo quinto Abbas creátus, singulári vigilántia Cœnóbium administrávit annis quinque et vigínti. Unde invítus ad Cáthedram Andegavénsem evéctus, totus aléndis paupéribus, tuéndis cívibus, ægris visitándis, captívis rediméndis, incúbuit.

LECTIO V.

Ecclesiasticæ disciplínæ vindex fuit acérrimus, ádeo ut nec précibus, nec minis potentiórum moverétur: quod ei multórum invídiam conflávit. Váriis in Synodis, ac præcípue in Aurelianénsi tértia, plúrimum laborávit, ut incéstæ núptiæ damnaréntur. Cæsárium quoque Arelaténsem super ea re consultúrus ádiit una cum sancto Leobíno tum Abbáte Brajacénsi, póstea Carnuténsi Epíscopo.

LECTIO VI.

Jussus ab Epíscopis quosdam a se excommunicátos absólvere, páruit Sacerdotáli judício, ab iisque rogátus, ut et ipse signáret eulógias, quas ad unum ex illis dirigéndas benedíxerant, respóndit : Etsi ad impérium vestrum signáre compéllor, dum vos causam Dei recusátis defféndere, ipse potens est vindicáre. At ille, nondum accéptis eulógiis, intériit. Explétis demum Episcopátus annis viginti, ménsibus sex, ætátis octoginta, mortalitátem éxuit.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *secundo loco*, p. lxxiv.

Lect. IX *de Homilia Feriæ, cujus Comm. in Laud.*

Vesperæ de seq. S. Simplicio; Comm. de S. Albino et de Feria.

DIE II.

S. SIMPLICII, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. lx, *præter sequentia.*

Orat. Da, quæsumus, *p.* lxj.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Simplicius Tiburtínus, patre Castório, próxime post sanctum Hilárum, Románæ Ecclésiæ Principátum suscépit, ac difficillimis tempóribus (cum magna ex parte Christiáni orbis Cathólica fides, ob cunctos fere Príncipes hæresi inféctos, nutáret) summa vigiléntia gubernávit. Leóni Imperatóri peténti, ut rata haberéntur concéssa ab Epíscopis Synodi Chalcedonénsis Ecclésiæ Constantinopolitánæ privilégia, veheméntius réstitit, misso étiam eam ob causam Constantinópolim suo Legáto. Eádem pastorali sollicitúdine plúrimum laborávit, ut Timótheus Ælúrus Alexandrínæ Ecclésiæ invásor, qui, Constantinópoli líbere degens, adnitebátur quam máxime propagáre hæresim, novúmque Zenónis Imperatóris ópera cogi Concílium, pelleréturin exílium, sicque integritáti suæ Alexandrína redderétur Ecclésia. Reliquórum item perduéllium pro nona Synodo indicénda conántibus fórtiter óbstitit, ásserens nova Concília non fácile convocánda, nisi cum áliquid in pravis sénsibus novum, aut in assertióne dógmatum emersisset ambíguum.

LECTIO V.

Damnavit íterum Petrum Moggum, álterum Alexandrínæ Sedis invasórem, curavítque ut ex urbe pellerétur, ne áliquos módicæ fídei infíceret, et ad perversitátis suæ factiónem pertráheret. Timótheo Solofaciolo, legítimo ejúsdem Ecclésiæ Antístiti, juxta prístinum institútum, per suos Legátos erróris sui condonatiónem expeténti, idcírco quod timóre pertérritus

Dióscorum ad altáre nominásset, véniam impértiit. Antiochéni Epíscopi electiónem ad seditiónes vitándas Constantinópoli in Concílii Nicæni præjudicium peráctam, ea lege ratam hábuit, ut deinceps, secúndum Patrum definitiónes, Orientáli Comprovinciálium Episcopórum Synodo, creátio Antiochéni Pontíficis reservarétur. Oblatiónes Ecclésiæ ita partiéndas esse præcépit, ut una dumtáxat pórtio Episcopo, una ítidem Clero, duæ vero in Ecclésiæ fábricam, et peregrínos ac páuperes erogaréntur. Zenónem Epíscopum Hispalénsem vicária Sedis Apostólicæ auctoritáte fulcívit, ne Apostólicæ institutiónis decréta, et sanctórum términos Patrum in Hispániis transcéndi permítteret.

LECTIO VI.

STATUIT in Urbe hebdómadas, ut, propter baptísmum et pœniténtiam peténtes, Presbyteri quidem de regióne prima apud sanctum Paulum, de tértia apud sanctum Lauréntium, et de séptima apud sanctum Petrum manérent. Dedicávit Basílicas sancti Stéphani in Cœlio Monte, sancti Andréæ Apóstoli juxta sanctam Maríam, item áliam sancti Stéphani juxta sanctum Lauréntium, ac postrémo sanctæ Bibiánæ Mártyris áliam intra Urbem juxta Palátium Liciniánum; itémque vasa complúra tum argéntea, tum áurea Románæ cóntulit Ecclésiæ. Demum Zenóne Imperatóre, et Odoácre Itáliæ Rege, migrávit ad Dóminum. Hábuit Ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros quinquagínta octo, Diáconos úndecim, Epíscopos per divérsa loca trigínta sex. Sacerdótium administrávit annos quíndecim, menses quinque et dies decem.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lxviij.

Lect. IX *de Homilia Feriæ, cujus fit Comm. in Laudibus.*

DIE IV.

S. LUCII I, PAP. ET MART.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Martyris, p. xxij, *præter seq.*

Orat. Deus, qui nos, *p.* xxiij.

Fit Comm. de Feria.

IN I NOCTURNO.

Lect. A Miléto, *p.* xxv.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

LUCIUS Románus, patre Porphyrio, post sancti Cornélii consummatiónem, Románæ Ecclésiæ Episcopátum ténuit. Sanxit, ut duo Presbyteri, ac tres Diáconi, Ecclesiástici causa testimónii, quovis loco Epíscopum non desérerent. Pacem lapsis dandam, et pœniténtia acta, communicatiónis fructum negándum non esse, Spíritu Dei plenus (ut sanctus Cypriánus scripsit) litteris suis significávit. Ob Christi fidem exílio relegátus, et póstmodum ad

Ecclésiam suam incólumis redire permissus, tandem omni Ecclésiæ facultáte Archidiácono suo Stéphano prius trádita, cápite truncátus est quarto Nonas Mártii, Gallo et Volusiáno Princípibus. Duas hábuit Ordinatiónes mense Decémbri, quibus Presbyteros quátuor, Epíscopos per divérsa loca septem creávit. Ejus corpus primo via Appia ad sanctum Xystum, in Cœmetério Callisti sepúltum, inde a Paschāli Papa in sanctæ Cæcíliæ Títulum, una cum ejúsdem Vírginis et Sociórum corpóribus translátum, ibi sub sancto altári collocátum fuit.

De Epístola S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris, et Collegárum ejus ad sanctum Lúcium Papam et Mártyrem.

LECTIO V.

NUPER quidem tibi, Frater charíssime, gratuláti sumus, cum te honóre gemináto in Ecclésiæ suæ administratióne Confessórem páriter et Sacerdótem constítuit divína dignátio. Sed et nunc non minus tibi, et comítibus tuis, atque univérsæ fraternitáti gratulámur, quod, cum cádem glória et láudibus vestris, réduces vos dénuo ad suos fécerit benígna Dómini, et larga protéctio; ut pascéndo gregi pastor, et gubernándæ navi gubernátor, et plebi regéndæ rector redderétur; et apparéret relegatiónem vestram sic divínitus esse dispósitam, non ut Epíscopus relegátus et pulsus Ecclésiæ deésset, sed ut ad Ecclésiam major rediret. Neque enim in tribus púeris minor fuit martyrii dígnitas, quia, morte frustráta, de camíno ignis incólumes exiérunt, aut non consummátus Dániel éxtitit in suis láudibus, quia, qui leónibus missus fúerat ad prædam, protéctus a Dómino vixit ad glóriam. In Confessóribus Christi diláta martyria non mérita confessiónis mínuunt, sed magnália divínæ protectiónis osténdunt.

LECTIO VI.

REPRÆSENTATUM vidémus in vobis, quod apud regem fortes atque illústres púeri prædicavérunt, ipsos quidem parátos esse ardére flammis, ne diis ejus servírent, aut imáginem quam fécerat, adorárent; Deum tamen, quem colébant, quemque et nos cólimus, poténtem esse, ut eos de camíno ignis exímeret, et de regis mánibus ac de pœnis præséntibus liberáret; quod invénimus in confessiónis vestræ fide, et in Dómini circa vos protectióne nunc gestum : ut cum vos paráti fuéritis, et prompti omne subíre supplícium, Dóminus tamen vos pœnæ subtráheret, et Ecclésiæ reserváret. Regrediéntibus vobis, breviáta non est in Epíscopo confessiónis suæ dígnitas, sed magis crevit Sacerdotális auctóritas, ut altári Dei assístat Antístes, qui ad confessiónis ar-

ma suménda, et faciénda martyria, non verbis plebem, sed factis cohortétur, et imminénte antichrísto, paret ad prælium milites, non solum sermónis et vocis incitaménto, sed fidei et virtútis exémplo.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang., Si quis vult, *de Communi, secundo loco*, p. xxxv.

Lectio IX *de Homilia Feriæ, cujus fit Commem. in Laud.*

(*Si hoc Festum transferatur post Pascha, tunc sumpto Communi unius Mart.*, p. xxxvij, *legitur in I Noct. Scriptura occurrens, et in III Noct. Homilia in Evang.* Ego sum vitis vera, *primo loco*, p. xlj.)

In Vesperis, Commemorat. de seq. S. Casimiro, et de Feria.

DIE V.

(*In Brev., heri.*)

S. CASIMIRI, CONFESSORIS.

Semiduplex.

Off., ut in Brev., p. 430, *exceptis sequentibus.*

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur versus tertius.*

In Laudibus, omittitur Com. de S. Lucio.

DIE XV.

SANCTI ZACHARIÆ I,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Com. Conf. Pont., p. lx, *præter seq.*

Orat. Da, quæsumus, *p.* lxj.

In Quadrag. fit Comm. Fer.

IN I NOCTURNO.

In Quadrag. Lectiones Fidélis sermo, p. lxiij.

Post Pascha, de Script. occurrenti.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Zacharias natióne Græcus, patre Polychrónio, Gregório Tértio ex hac luce subtrácto ad beáti Petri Cáthedram est evéctus. Vir fuit mitíssimi ingénii, miræ suavitátis et grátiæ; Cleri ac pópuli Románi amátor, ad iram tardus, ad misericórdiam et cleméntiam promptíssimus, nulli malum pro malo reddens, sed vincens in bono malum; ádeo ut, quos habúerat æmulos, et inimícos, cósdem inítio Pontificátus honóribus, et præmiis affécerit. Póntifex creátus, ut Itáliam armis Longobardórum vexátam, suæ tranquillitáti restitúeret, ad Luitprándum Regem Interámnæ degéntem, et Legátos misit, et ipse proféctus est; ubi, et oratiónis elegántia, et vitæ sanctitáte sic Regem demúlsit, ut quas civitátes, óppida, et patrimónia ab Ecclésia abstúlerat, eídem restitúerit.

LECTIO V.

Sed et Ticinum usque proféctus eúmdem infléxit, ut a Ravénnæ tum oppressióne cessáret. Rachim ádiit, Perúsiam acri obsidióne preméntem, quem tanta oratiónis majestáte permóvit, ut et ab omni oppugnatióne desísteret, et religiónis amóre succénsus, régiam dignitátem, et paludaméntum monachâli institúto,

et hábitu permutáret. Consúltus a Francis, regnum illud a Childeríco viro stúpido, et ignávo, ad Pipínum pietáte et fortitúdine præstántem, auctoritáte Apostólica tránstulit. Multas Synodos et Concília celebrávit, pro Ecclesiásticæ disciplínæ restauratióne.

LECTIO VI.

ROMÆ ómnia loca sacra, aut reparávit, aut ditióra effécit. Sanctórum Imágines vetustáte exolétas renovávit, et Lateranénse Patriárchium, quod magna in penúria invénerat, pene a novo restaurávit, ac multas Relíquias ibi invéntas divérsis Ecclésiis distríbuit. Paupéribus aléndis réditus assignávit. Bibliothécam sancti Petri constrúxit, Basilicam sancti Geórgii in Velábro cóndidit : ædificávit et Oratórium divæ Cæcíliæ via Tiburtína. Clerum valde diléxit, et donatívum síngulis Presbyteris, et Diáconis erogávit. Sancti Gregórii Dialogórum libros in græcum tránstulit, rebúsque váriis pro Ecclésiæ utilitáte, non minus pie quam próspere gestis, sanctitátis láurea est coronátus.

IN III NOCTURNO.

Hom. in Evang. Homo péregre, *primo loco,* p. lxviij.

In Quadrages. Lectio IX, *et Commem. Feriæ.*

DIE XVII.

S. PATRITII, EP. ET CONF.

Duplex.

Off., ut in Brev., p. 443.

Hodie, Vesp. de seq. S. Gabriele; Com. de S. Patritio et de Fer., si fit in Quadrag.

DIE XVIII.

S. GABRIELIS, ARCHANGELI.

Duplex majus.

Off., ut in Suppl., p. cclxxvj.

DIE XXVIII.

S. SIXTI III, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., p. lx, *præter sequentia.*

Oratio, Da quæsumus, *p.* lxj.

In Quadrag. fit Comm. Fer.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *p.* lxiij.

Post Pascha, de Script. occur.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

SIXTUS hujus nóminis Tértius, pátria Románus, fílius Sixti, defúncto sancto Cœlestíno Románæ Ecclésiæ Epíscopus præfícitur, totíus Urbis pace, et consensióne mirábili. Eum adhuc Presbyterum sanctus Augustínus exímie commendávit, tum quod prior anáthema Pelagiánis in pópulo frequentíssimo pronuntiárit, tum quod suis quoque scriptis advérsus eórum erróreru, veheménter pugnárit. Ut autem Románi Sacerdótii gubernácula suscépit, decrétum Ephesínæ Synodi advérsus Nestórium hábitum, volúmine descríbens, ad Oriéntis et Occidéntis dedit Ecclésias, confírmans, duábus in Christo manéntibus perfécte natúris, unam Fílii Dei credéndam esse persónam. Qua de re, et ad

Nestórium ipsum, et ad Oriéntis Epíscopos, ad ejus errórem succidéndum senténtias diréxit, hæc inter cætera scribens Antiochéno Epíscopo : Nihil ultra líceat novitáti, quia nihil addi cónvenit vetustáti : perspícua majórum fides, et credúlitas, nulla cœni permixtióne turbétur.

LECTIO V.

Is a beáto Petro Apóstolo sibi per visum apparénte, una cum sancto Apollináre ejus discípulo, primo Ecclésiæ Ravennátis Epíscopo, quem ejúsdem Ecclésiæ Pontíficem ordináre debéret, admónitus; Petrum Ecclésiæ Forocorneliénsis Diáconum præter Ravennátum senténtiam, illis præfécit Antístitem, quem cognoménto Chrysólogum admiránda morum sanctitúdo et doctrína insígnis mirífice commendárunt. Cum autem Sixtus Ecclésiæ prædium abnúerit alienári, studerétque subleváre graválos, ódium in se convértit Anícii Bassi excónsulis, et Mariniáni Patrícii, a quibus turpi calúmnia exagitátus, sponte vóluit suam in Synodo causam judicári. Itaque in Basílica Heleniána, quæ dícitur Sessoriánum Atrium, quinquagínta sex Episcopórum Concílio coácto, præsénte Valentiniáno Imperatóre, cum univérso Clero, atque Senátu, Sixtus declarátus est ínnocens, Bassus vero, et Mariniánus calumniatóres damnáti, atque proscrípti, bonis prætérea Bassi Ecclésiæ adjudicátis : quem intra tres menses divína ultióne defúnctum, Sixtus reddens bona pro malis, cum linteamínibus, et aromátibus mánibus ipse contréctans, recóndidit, sepelivítque apud beátum Petrum Apóstolum, in sepúlchro majórum suórum.

LECTIO VI.

Venerandus hic Póntifex complúra in Urbe magnífica præstitit; nam argéntea, et áurea vasa, possessionésque complúres Ecclésiis cóntulit. Refécit Basílicam sanctæ Maríæ Majóris ad Præsépe, quam et metállis áureis, sacrísque imagínibus decorávit. Fecit et in Constantiniána Basílica ornaméntum supra fontem, quod ántea non erat, nam marmórea epistylia, et porphyréticas colúmnas, quas Constantínus Augústus congregátas demíserat, érigi curávit, ac vérsibus exornávit. Ejus item rogátu, Valentiniánus Augústus argénteum fastígium a bárbaris sublátum, in eádem Constantiniána Basílica restítuit : cujus Imperatóris, et Theodósii Principátu Sixtus viam univérsæ carnis ingréssus quiévit in Dómino, sepultúsque est via Tiburtína in crypta juxta corpus sancti Lauréntii Mártyris. Una Ordinatióne mense Decémbri, creávit Presbyteros vigínti octo, Diáconos duódecim, Epíscopos per divérsa loca quinquagínta duos, et rexit Eccle-

siam annos septem, menses úndecim.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Homo perégre, *de Communi, primo loco*, p. lxviij.

In Quadrages. Lectio IX, *et Commem. Feriæ.*

FESTA APRILIS.

DIE VI.

S. SIXTI I, PAPÆ ET MART.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., p. xxij, *præter sequent.*

Orat. Infirmitátem, *p.* xxiij.

Pridie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Sixto; Com. de præced. S. Vincentio et de Feria, si fit in Quadragesima.

IN I NOCTURNO.

Lectiones, A Miléto, *p.* xxv. *Post Pascha, de Script. occur.*

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

SIXTUS hujus nóminis Primus, Románus natióne, de regióne Urbis séptima, quæ Via lata dicta est, patre Pastóre génitus, in locum Alexándri Primi Románi Pontíficis nobilissimo martyrio coronáti, tótius Cleri suffrágiis suffectus, suprémo illo múnere egrégie, et summa cum laude perfúnctus est, annis novem, ménsibus decem, diébus octo, sub Imperatóribus Adriáno, et Antonino Pio Augústis.

LECTIO V.

NONNULLA ad disciplínam Ecclesiásticam pertinéntia prudentíssime státuit, scilicet, ne sacra vasa, et ministéria ab áliis, qui sacri minístri non essent, contrectaréntur; ne sacrum Corporále, ut vocant, ex ália, quam línea matéria fíeret; ut sacrum Triságium in Missa pópulus decantáret; et ne ullus Epíscopus Romam evocátus, ad suam deínde Diœcésim rédiens susciperétur, nisi lítteris Apostólicis, quas Formátas, et Canónicas antíqui vocábant, munítus esset.

LECTIO VI.

TRES Ordinatiónes mense Decémbri pro more fecit, in quibus creávit Epíscopos quátuor pro divérsis locis, Presbyteros úndecim, Diáconos tres. Vir revéra singulári vitæ sanctimónia, incredíbili morum facilitáte, exímia in páuperes liberalitáte, frequéntibus étiam insígnis miráculis, illústri tandem martyrio coronátus octávo Idus Aprílis, et sepúltus in Vaticáno.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Si quis venit, *primo loco*, p. xxxj.

In Quadrages., Lectio IX, *et Commem. Feriæ.*

Temp. Pasch., Hom. in Ev. Ego sum vitis vera, *primo loco*, p. xlj.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Cœlestino; Com. de S. Sixto et de Fer., si fit in Quadrag.

DIE VII.

S. COELESTINI I, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif., p. lx, *præter seq.*

Orat. Da, quæsumus, *p.* lxj.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *p.* lxiij.

Post Pascha, de Script. occur.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

COELESTINUS Románus Prisci filius, sancto Bonifácio sine ulla plebis discissióne subrogátus, Románæ Ecclésiæ præsédit Episcopus. Hic venerábilis Póntifex (cui ad Ecclésiæ Cathólicæ præsídium, multa Dóminus grátiæ suæ dona largitus est) sciens, damnátis non exámen judícii, sed solum pœniténtiæ remédium esse præstándum, Cœléstium primárium Pelágii discípulum, suam quasi non discússo negótio audiéntiam postulántem, totíus Itáliæ fínibus jussit extrúdi. Nec segnióre cura, ab hoc eódem morbo Británnias liberávit, quando quosdam inimícos grátiæ, solum suæ originis occupántes, étiam ab illo secréto exclúsit Océani. Quamóbrem sancto Germáno Autissiodorénsi Epíscopo illuc vice sua misso, ordinatóque Scotis Epíscopo Palládio, qui Románæ Ecclésiæ Diáconus erat, dum Románam Insulam stúduit serváre Cathólicam, fecit étiam bárbaram Christiánam.

LECTIO V.

CUM autem Nestórius Constantinopolitánus Epíscopus novum Ecclésiæ molirétur errórem indúcere, prædicans Christum ex María hóminem tantum, non étiam Deum natum, eíque divinitátem collátam esse pro méritis; ejus impietáti sua Cœlestínus auctoritáte ácriter repugnávit. Quare sancto Cyríllo Epíscopo Alexandríno suas vices delegávit, ut nisi decem diérum intervállo Nestórius resipísceret, in illum senténtiam ferret. Verum, cum Nestórius id pertinácius recusásset, magísque crevíssent dissensiónes ac tumúltus, apud Ephesum tértia Œcuménica Synodus est congregáta, in qua Cœlestínus per suos Legátos præsédit, quibus suo commonitório eos límites præscrípsit, ut de Episcopórum senténtiis judicárent, certámen non subírent. Itaque in ea Synodo Nestórius cum hæresi nóminis sui, et cum multis Pelagiánis, qui cognátum erróri suo dogma juvábant, damnátus est.

LECTIO VI.

PER suas litteras eórum Sacerdótum superstitiónem Cœlestínus redárguit, qui véteri dimísso hábitu, amícti pállio, lumbósque præcíncti, in Ecclésia ministrábant. Cavit prætérea, ne ulli in morte última negarétur pœniténtia; neve ex láicis vel criminósis ad Episcopátum áliqui promoveréntur: itémque ne Metropolitánus in aliéna Província áliquid præsúmeret, et ne, in creándis Epíscopis, extránei eméritis in sua Ecclésia Cléricis præponeréntur. Instítuit, ut ex ómnibus centum quinquaginta Psalmis, ante Sacrifi-

cium antiphonátim psalleréiur. Dedicávit Basilicam Júliam, propriúmque suum cœmetérium pictúris decorávit, variaque ad Ecclésiæ ornátum dona óbtulit. Qui cum tribus Ordinatiónibus mense Decémbri creásset Presbyteros triginta duos, Diáconos duódecim, Episcopos per divérsa loca quadragintasex, obdormívit in Dómino octávo Idus Aprílis, sepultúsque est in Cœmetério Priscíllæ via Salária, Theodósio et Valentiniáno imperántibus. Sedit annos octo, menses quinque, et dies tres.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang.. Homo péregre, *primo loco*, p. lxviij.

In Quadrages., *Lectio* IX, *et Commem. Feriæ.*

DIE XIII.

S. JUSTINI,

PHILOSOPHI, MARTYRIS.

Duplex.

In Quadrag., *omnia de Com. unius Mart.*, p. xxij, *præt. seq.*

Orat. Præsta, quæsumus .. ut qui, *p.* xxiij.

In I Noct., *Lect.* Fratres, Debitóres, *de Com. plur. Mart.*, p. xlviij.

In II Noct., *Lect. ut infra.*

In III Noct., *Hom. in Evang.* Nolite arbitrári, *p.* xxxvj.

Lect. IX *et Comm. Feriæ.*

In II Vesp., *Comm. Feriæ et seq. SS. Tiburtii, etc.*

Tempore Paschali, *omnia de Comm.*, p. xxxvij, *præter seq.*

Orat. Præsta..... ut qui, *p.* xxiij.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

JUSTINUS, post Apóstolos eorúmque discípulos, Ecclésiæ scriptor antiquíssimus, Martyr éminens appellátus, Neápoli Samaríæ civitáte, in Scriptúris Sichem dicta, ex Géntibus ortus est. Univérsas fere Philosophórum sectas perlustrávit. In Platónica súbstitit, donec a sene quodam venerándo melióra edóctus, ad Christiánam Philosophíam tránsiit, étiam sub hábitu Philósophi, verbum Dei prædicans.

LECTIO V.

INEUNTE impérium Antoníno Pio, Romam proféctus, ut Christiános a Gentílium calúmniis vindicáret, circa annum centésimum quinquagésimum apologíam primam pro Christiánis, eídem Imperatóri, ejúsque filiis et Senátui Románo nuncupátam óbtulit. In Asiam revérsus, célebre illud cum Tryphóne Judæo collóquium hábuit. Inde Romæ álteram pro Christiánis apologíam conscrípsit, quam Antoníno et Senátui Románo dedicávit.

LECTIO VI.

SED dum Crescéntem quemdam Philósophum velut libídinum sectatórem argúeret, ab eódem accusátur apud Imperatórem, a quo damnátus, martyrio coronátus est circa annum Christi centésimum

sexagésimum quintum. Scripsit, inquit Eusébius, plúrima ingénii sui doctrinæque et inténti in res divinas stúdii monuménta, multiplicis utilitátis plena.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Ego sum vitis vera, *primo loco*, p. xlj.

In II Vesperis, Com. de seq. SS. Tiburtio, etc.

DIE XV.

(*In Brev.*, 13 *hujus.*)

S. HERMENEGILDI, MART.

Semiduplex.

Off. ut in Brev., p. 490.

DIE XVII.

S. ANICETI, PAP. ET MART.

Duplex.

In Quadrag., *omnia de Com. unius Mart.*, p. xxij, *præt. seq.*

Orat. Deus, qui nos, *p.* xxiij.

In I Noct., *Lect.* A Miléto, *de Com.*, p. xxv:

In II Noct., *Lect. ut infra.*

In III Noct., *Homilia in Evang.* Si quis vult, *secundo loco*, p. xxxv.

Lect. IX *Homilia Feriæ*, *cujus Comm. in Laud. et Vesp.*

Tempore Paschali, *omnia de Comm.*, p. xxxvij, *præter seq.*

Orat. Deus, qui nos, *p.* 495.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lect. IV, Anicétus Syrus, *p.* 495.

Sermo S. Augustini Epíscopi.

LECTIO V.

De verbis Domini, 50.

PASTOR bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus Pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus (Anicétus?) Nonne omnes Pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur: Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi Pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed charitáte.

LECTIO VI.

NAM et apud hæréticos, qui propter iniquitátes et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fuérunt, nómine martyrii se jactant; ut hoc pállio dealbáti facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, Pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte; quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum, ut árdeam. Jam ipsi sunt. Sed vide quid séquitur: Charitátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem, ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem; et tamen nihil prodest, quia cháritas

decst. Adde charitátem, prosunt ómnia : détrahe charitátem, nihil prosunt cætera.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap.* 16.

In illo témpore:Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis : quia plorábitis, et flébitis vos, mundus autem gaudébit. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 78 *in Joann.*

Ut osténderet post tristítiam gáudium secutúrum, naturále addúcit exémplum. Múlier, cum parit, tristítiam habet : qua parábola in calamitátibus Prophétæ usi sunt: quasi dicat : Dolóres capiétis, sed quales partus, qui lætitiæ causa sunt. Simul et resurrectiónem confírmat, indicans óbitum suum perinde esse, ac si ex útero matris in lucem pródeat, quasi dicat : Nolíte admirári, si per hanc tristítiam ad óptima vos ducam, nam et mater in pariéndo sic per tristítiam transit.

LECTIO VIII.

Significat autem hic et mystérium quoddam, quod mortis dolóres sólverit, et novum hóminem regenerári fécerit. Neque dixit tantum tristítiam transitúram, sed magnitúdine lætítiæ succedénte, nihil ejus pénitus remansúrum. Ita erit Sanctis. Atqui non proptérea gaudet múlier, quia venit homo in mundum, sed quod fílium péperit. Nam si id esset, nihil prohibéret, quin, quæ non páriunt, áliis pariéntibus gaudérent.

LECTIO IX.

Qua ergo grátia sic inquit? quia ad hoc solum addúxit exémplum, ut post brevem tristítiam perpétuum gáudium secutúrum, et se ad vitam transférri, et magnum malórum lucrum osténderet. Et non dixit, péperit fílium : sed quia venit homo in mundum, ubi suam signíficat resurrectiónem, et non morti illi, sed regno parturiéndum. Ideo non dixit, quia natus est fílius, sed homo. Et vos nunc quidem tristítiam habétis : íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum : inde quod non ámplius moriétur, inquit, et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

DIE XXII.

SS. SOTERIS ET CAII,

PONTIF. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 498.

Pridie tamen, Vesperæ a Capit. de SS. Sotere et Caio ; Comm. de S. Anselmo.

Insuper, si transferatur post Pentec., sumpto Communi plur. Mart., p. xlv, *legitur Homil. in Evang.* Cum audiéritis, *primo loco*, p. liv.

DIE XXIII.

S. GEORGII, MARTYRIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 499.

Attamen si transferatur post Pentecosten, sumpto Communi unius Martyr., p. xxij, *leguntur in II Noct. Lect. de eodem Comm. 1 loco, (ex Decret. S. R. C. 11 Sept. 1841.) et in III Noct. Homil. in Evang.* Si quis venit, *etiam primo loco*, p. xxxj.

Hodie, Vesperæ a Cap. de seq. S. Leodegario; Commem. de S. Georgio.

DIE XXIV.

S. LEODEGARII, PRESB. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. non Pont., p. lxxix, *præter seq.*

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Orat., Deus, qui nos, *ibid.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex veteribus Monumentis Ecclesiæ Catalaunensis.

LEODEGARIUS Présbyter, Perténsi Clero fuit ab Epíscopo Catalaunénsi præpósitus. Eo in múnere constitútus, divíno cúltui sic se mancipávit, ut oratiónibus, jejúniis, ac áliis piis opéribus semper inténtus, cœléstis vitæ genus in terris dúxerit. In primis autem humilitátem et mansuetúdinem ádeo cóluit, ut suis pótius semper servire quam imperáre curárit. Signo crucis lunáticum a dæmone liberávit : hominémque membrórum contractióne laborántem, précibus suis sanávit.

LECTIO V.

SANCTUS Présbyter virtútibus célebris plenúsque méritis, sénio demum conféctus, féliciter in Dómino requiévit; sepultúsque est ad partem Meridionálem Ecclésiæ beátæ Maríæ Perténsis. Quæ cum subínde a Bárbaris, cum áliis vicinórum locórum Ecclésiis fuísset incéndio devastáta; póstea ab Epíscopo Catalaunénsi restauráta fuit, et in ea quátuor Præbéndæ institútæ ad Officia divína decénter celebránda.

LECTIO VI.

CUM autem anno círciter nongentésimo quadragésimo séptimo cæcus quidam, Hainbértus nómine, ad Sancti túmulum, visum recepísset; jussu Gibuíni Epíscopi, hujus nóminis primi, quem Archiprésbyter, Canonicórum nómine, de eo miráculo certiórem fecit, sacrum corpus e terra edúctum, honoríficе collocátum est retro altáre ejúsdem Ecclésiæ in capsa; ex qua in áliam anno centésimo decimoquínto supra millésimum a Gulíelmo Præsule translátum est. Desinénte autem sæculo decimooctávo, ab ímpiis concremátum est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *de Comm., primo loco*, p. lxxxvij.

Vesperæ de seq. S. Marco, Commem. de S. Leodegario.

DIE XXVI.

SS. CLETI ET MARCELLINI, PONTIF. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 506.

Si tamen transferatur post Pentec., sumpto Communi plur. Mart., p. xlv, *legitur Homil. in Evang.* Cum audiéritis, *de Comm., primo loco*, p. liv.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Fideli; Com. de SS. Cleto et Marcellino.

DIE XXVII.

(*In Brev.*, 24 *hujus.*)

S. FIDELIS A SIGMARINGA, MARTYRIS.

Duplex.

Offic. ut in Brev., p. 501.

Si vero transferatur post Pentecosten, sumpto Communi unius Mart., p. xxij, *legitur Homil. in Evang.*, Si quis venit ad me, *primo loco*, p. xxxj.

In II Vesperis, fit Comm. S. Vitalis, p. 508.

DIE XXIX.

Si Festum S. Petri, Mart., transferatur post Pentec., sumpto Communi unius Mart., p. xxij, *legitur Homil. in Evang.*, Si quis vult post me venire, *secundo loco*, p. xxxv.

FESTA MAII.

DIE II.

IN FESTO S. ATHANASII, COMMEMORATIO TRANSLATIONIS S. ALPINI, CATAL. EP. ET CONFESSORIS.

Pridie, in II Vesp. SS. Philippi et Jacobi, post Comm. S. Athanasii, Ant. Sacérdos, *e I Vesperis Conf. Pont.*, p. lxj, *et* ℣. Justum, *p.* lxx.

ORATIO.

Deus, qui beátum Alpínum, Pontíficem et salútis ætérnæ minístrum nobis tribuísti: præsta quæsumus; ut cujus reliquiárum Translatiónem recólimus in terris, ejúsdem précibus adjuvémur in cœlis. Per Dóminum.

LECTIO IX.

Cum beátus Alpínus Catalaunénsis Episcopus, plúrimis clarus miráculis, ánimam Dómino reddidísset, sacrum ejus corpus primum Bayæ sepúltum fuit. Hinc sub Erchénrao Præsule Catalaunénsi, anno círciter octingentésimo sexagésimo, in Ædem sancti Andréæ tunc suburbánam, nunc intra urbis mœnia, nómine sancti Alpíni insignitam, veréndum illud corpus translátum est; nec multo post, ob crescéntem in dies miraculórum celebritátem, relictis in hac Æde ciméribus, ossa in Ecclésiam Cathedrálem illáta sunt, et quievérunt usque ad illam sacrárum Ædium spoliatiónem, quæ desinénte sæculo decimooctávo per totas Gállias locum hábuit. Rédditа pace, áliqua hujus sacri pígnoris pars supérstes, sub sanctíssimæ Hóstiæ tabernáculo collocáta est, unde velut e spéculo pius Pastor oves, quas divíno lúmine intuétur, pérpeti tuétur opitulatióne.

In Laudibus, pro Comm. Transl. S. Alpini, Ant. Sacérdos et Póntifex, *et* ℣. Amávit, *e I Vesperis Confessoris Pontificis*, p. lxj.

Oratio, Deus, qui beátum, *ut supra.*

DIE VII.

S. GIBRIANI, PRESB. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif., p. lxxix, *præter seq.*

Orat., Deus qui nos, *ibid.*

Pridie, in II Vesp. S. Joannis, Comm. de S. Gibriano.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Flodoardo et Marlot.

GIBRIANUS Présbyter, ex Hibérnia oriúndus, quinto verténte sæculo, ut Deo libérius secretiúsque servíret, natále solum relíquit. Itíneris cómites ac propósiti cónscios hábuit Helánum, Tresánum, Germánum, Veránum, Abránum, et Petránum fratres suos, Franclam quoque, Prómptiam et Posséennam suas soróres. Catalaunénsem agrum ingréssi, peregrinatiónis tandem metas constítuunt; et eléctis locis solitúdini opportúnis, et ad semet mútuo visitándos contíguis, supra Mátronam disperguntur. Qua parte hunc in flúvium se præcípitat rivus, olim atque etiámnum Cosla dictus, in illa Gibriánus sedem fixit.

LECTIO V.

AD Gibriánum tamquam ad sanctitátis doctórem sæpius a consanguíneis accurrebátur. Neque vero sacri Ordinis prærogativa, et majóris ætátis privilégium ei tantam auctoritátem magistérii dabant, quantam assiduus oratiónis ac labóris amor, singuláris in victu parcimónia, et in omni virtútum génere perpétua exercitátio. Vitæ cursu constánter et felíciter consummáto, corpus ejus juxta públicum ággerem, ubi tam pie víxerat, sepúltum est. Mox Deo sanctitátem servi sui miráculis váriis et insígnibus declaránte, super illíus túmulum construcla fuit oratórii ædicula, ad quam máxima pópuli frequéntia conflúere solébat, eo in primis die quo depositiónis Gibriáni festa celebrabántur.

LECTIO VI.

ILLA vero ædícula furóribus Normannórum díruta, religiósus Comes Hadéricus a Rodoáldo Catalaunénsi Præsule sacrum corpus quo vellet efferéndi licéntiam impetrávit: Remos tránstulit, et honorificentíssime repósuit in Basílica sancti Remigii. Non longe ab eo, quo primum humátus fuit, loco, extat omni retro memória pagus ipsi sacer, et ejus nómine insignítus. Gibriáni fratres et soróres ut Sanctos coli vária monuménta testántur, inter quæ plures Ecclésiæ in Catalaunénsi et Reménsi

Diœcésibus sub Veráni, Heláni, Tresáni et Possénnæ invocatióne, Deo consecrátæ.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *primo loco*, p. lxxxvij.

Vesperæ de sequenti Appar. S. Michaelis; Comm. de S. Gibriano.

DIE XI.

(*In Brev.*, 7 *hujus.*)

S. STANISLAI, EP. ET MART.

Duplex.

Offic. ut in Brev., p. 534, *exceptis seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Stanislao; Comm. de præced. S. Antonino, Ep. et Conf.

In II Vesperis, fit Comm. seq. SS. Nerei, etc., Mart.

DIE XV.

S. ISIDORI, AGRICOLÆ, CONF.

Duplex.

Offic. ut in Supplemento, p. cclxxxviij.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Joanne Nepomuceno; Comm. de S. Isidoro.

DIE XVI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

PRESB. ET MARTYRIS.

Duplex.

Off. ut in Suppl., p. cclxxxix.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Paschali; Comm. de S. Joanne Nepom.

DIE XIX.

S. PUDENTIANÆ, VIRGINIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Virginum, p. xcv, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Pudentiana.

ORATIO.

Deus, qui beátam Pudentiánam, Vírginem tuam, exímiæ pietátis opéribus, et insígni in fidei tuæ Confessóres charitáte mirábilem effecisti: fac nos ejus méritis et intercessióne, perfécta charitáte ferventes. Per Dóminum.

Fit Com. de præc. S. Venantio.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Pudentiana nóbilis Virgo Romána, Pudéntis viri primárii filia, paréntibus suis orbáta, cum admirábili pietáte christiánam Religiónem cóluit; pecúniam ex véndito património redáctam paupéribus distríbuit, seque oratiónibus, jejúniis, aliisque austerióris vitæ exercitatiónibus dedit. In his Praxédem sóciam hábuit, eamdémque non tam natúræ vínculo quam ejúsdem institúti communióne sorórem.

LECTIO V.

Ad id præsértim ánimum piissima Virgo applicuit, ut Christiános hospítio excíperet, et fervénte persecutióne, sanctos mártyres recreáret, eorúmque córpora sepultúræ mandáret, sparsúmque ab iis sánguinem collígeret. Illíus quoque ópera, tota ejus família, in qua nonagínta sex hómines numerabántur, ad Christi fidem con-

vérsa, a Pio Pontífice sacro baptísmate tincta est.

LECTIO VI.

CUM autem ab Antoníno imperatóre sancítum esset ne Christiáni palam et públice sacrifícia fácerent, idem Pius Póntifex, in ædibus Pudentiánæ ad Viminálem sitis, cum Christiánis sacra celebrábat, quibus illa benígne excéptis, quæ ad vitam necessária essent, suppeditábat. Itaque, in his christiánæ pietátis offíciis, migrávit e vita, et in sepúlchro patris ad cœmetérium Priscíllæ via Salária sepúlta est, decimoquárto Kaléndas Június, anno centésimo sexagésimo secúndo.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Símile erit... decem virgínibus, *de Comm., primo loco*, p. cvj.

In II Vesperis, Comm. seq. S. Bernardini, p. 563.

DIE XXI.

(*In Brev.*, 19 *hujus.*)

S. PETRI COELESTINI, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 559, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ de S. Petro Cœlestino; Comm. de præc. S. Bernardino.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Nihil de S. Pudentiana.

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Ubaldo.

DIE XXII.

(*In Brev.*, 16 *hujus.*)

S. UBALDI, EPISC. ET CONF.

Semiduplex.

Off. ut in Brev., p. 553, *additis II Vesperis de S. Ubaldo.*

DIE XXIV.

B. M. V. SUB TITULO: AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex majus.

Off. ut in Suppl., p. ccxciv.

In II Vesperis, Comm. fit de seq. S. Gregorio et de S. Urbano.

DIE XXVII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRGINIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 569, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Maria Magd.; Comm. de præcedenti S. Philippo et de S. Joanne, Papa et Mart.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Germano; Comm. de S. Maria Magdalena.

DIE XXVIII.

S. GERMANI, PARIS. EPISC. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. lx, *præter seq.*

Orat. Exáudi, *p.* lxj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex S. Germani Vita scripta per Venantium Fortunat. Pictav. Episc. Ex Sæc. I. Benedict.

GERMANUS in território Æduénsi honéstis paréntibus

natus, ad matutínas preces Ecclésiam mille passus pene distántem quacúmque áeris intempérie adibat. Présbyter ordinátus, ex Mónacho factus est primum Abbas sancti Symphoriáni Augustodunénsis, deinde Parisiénsis Epíscopus. Nihil remísit in Episcopátu de vitæ austeritáte, quam in Monastério égerat. Hora noctis tértia Ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, cæteris de Clero per tres vigilias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, cursum Canónicum nudo cápite, étiam inter equitándum, persólveret.

LECTIO V.

Mira beáti Pontíficis in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos beneficéntia fuit, Childebérto ex régio ærário ingéntes ei pecúnias subministránte. Hunc apud Cellas in pago Melodunénsi ægrotántem impositióne mánuum restítuit sanitáti. Accersitus a Clotário, quem Deus, vindex sui ministri, percússerat, admótis vestiméntis sanávit. Caribértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eique Sacris interdíxit. Sigebértum imploráta étiam per litteras Brunechildis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilpérici fratris, suisque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædixit.

LECTIO VI.

Sedit Germánus in Concíliis Parisiénsibus tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo. Proféctus ad synodum Bituricénsem, Judæum quemdam ejúsque cónjugem, quam a dæmone obséssam liberáverat, una cum áliis plúribus Judæis Christo lucrátus est. Multis demum clarus miráculis, prænuntiáto mortis die, in pace quiévit fere octogenárius, anno quingentésimo septuagésimo sexto. Corpus ejus sepúltum est in Basílica sancti Vincéntii, quæ nunc sancti Germáni a Pratis ab ejus nómine dícitur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang., Vigiláte, *de Comm.*, *secundo loco*, p. lxxiv.

FESTA JUNII.

DIE II.

SS. POTHINI,

LUGDUNENSIS EPISCOPI,

BLANDINÆ,

VIRGINIS, ET SOCIORUM, MART.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., p. xxxvij, *præter seq.*

ORATIO.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Pothíni, Blandínæ et Sociórum natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine, de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pridie, in Vesperis, pro Comm. SS. Marcellini, etc.

Ant. Filiæ Jerúsalem, *et* ℣. Pretiósa, *de Laudibus*, p. xliij, *cum Orat.* Deus qui nos, *p.* 573.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occur.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Epistola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.

Euseb. Hist. Lib. 5. *Cap.* 1.

BEATISSIMUS Pothínus, qui Episcopátum Lugdunénsis Ecclésiæ administrábat, nonagenário major, et córpore ádmodum infírmo, ob præséntem quidem córporis imbecillitátem ægre spíritum trahens, cæterum præ cupiditáte imminéntis martyrii mirábili alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal ferebátur. Perlátus ígitur a milítibus ad tribúnal, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis cum acclamatiónibus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium.

LECTIO V.

POST hæc absque ullo humanitátis respéctu raptátus, atque innúmeris plagis affléctus est; cum ii quidem qui própius adstábant, cálcibus et pugnis illum contumeliόse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent. Exinde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus vero Neóphytus, et Sanctus Diáconus Viennénsis, cum Blandína ancilla, pluribúsque áliis ducti sunt ad béstias in amphitheátrum, ad públicum spectáculum. Et Matúrus quidem ac Sanctus ómnia tormentórum génera in amphitheátro subiérunt. Hi ergo máximo certámine perfúncti, cum vitálem spíritum diu protraxíssent, tandem juguláti sunt.

LECTIO VI.

BLANDINA ad palum suspénsa, béstiis objécta est. Cumque nulla tunc béstia corpus illíus attigísset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Incúnte solémni apud nos mercátu, Præses beatíssimos Mártyres ad tribúnal addúci jussit, tamquam in theatráli pompa eos pópulo osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncáti, réliqui tráditi sunt béstiis. Post hos omnes, último tandem spectaculórum die, beáta Blandína ómnium postréma, post flagra, post ferárum vellicatiónes, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est; a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa víctimæ instar jugulláta est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Ego sum vitis, vos pálmites, *de Comm.*, *secundo loco*, p. xliv.

Lect. IX *de SS. Marcellino, Petro, etc.*, Petrus Exor-

cista, *p.* 573, *duabus Lect. in unam coactis.*

In Laudibus, pro Comm. SS. Marcellini, etc., Ant. Lux perpétua, *et* ℣. Sancti, *de I Vesperis*, p. xxxviij, *cum Orat.* Deus, qui nos, *p.* 573.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Clotilde.

DIE III.

S. CLOTILDIS,

FRANCORUM REGINÆ, VIDUÆ.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., p. cxiij, *præter seq.*

ORATIO.

RESPICE, quæsumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iísdem per ejus intercessiónem tríbue sincérum Christiánæ pietátis affféctum. Per Dóminum.

Et fit Comm. SS. Pothini, Blandinæ, etc.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occ.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Hist. Franc.

CLOTILDIS, Chilperici Burgundiónum regis fília, post paréntum necem, a pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovéo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovéus, ac baptísmo imputávit. At illa: Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non indígnam judicávit, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíre. Alterum fílium Regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit. Qui cum ægrotáre cœpisset, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

LECTIO V.

AT Regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret: sed ille superstitióni Francórum adhærére non déstitit; donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Rex fidem edóctus, baptizátus est, et Chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi Turónos ádiit Clotíldis; ibíque ad sepúlchrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, inténta eleemósynis aliísque piis opéribus, munífica erga Ecclésias et Monastéria.

LECTIO VI.

TANDEM plena diérum, Turónis migrávit ad Dóminum: inde Parísios inter psalléntium choros transláta, se-

púlta est a filiis Childebérto e Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário Basílicæ beatórum Petri et Pauli, póstea sanctæ Genovéfæ, ubi religióse colebátur. Desinénte autem sæculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum et bellum Deo Sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ Regínæ cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deindéque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in Ecclésia sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evangel. Símile est...... thesáuro, *de Comm.*, p. cxxij.

In Laudibus, post Hym., ℣. Tu es Deus, qui facis mirabília, allelúia. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam, allelúia.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Regis, allelúia.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Francisco Caracciolo; Com. de S. Clotilde.

Singula Officia pro Clero Catalaunensi in hac Parte Verna adnotata sic adprobata fuere Decreto lato die 23, mense Decembri, anno superiori 1852.

In quorum fidem..... Ex Secretaria Congregationis sacrorum Rituum, die 27 Julii 1853.

Dom. GIGLI, S. R. C. *Secretar.*

KALENDARIUM

CLERO CATALAUNENSI PROPRIUM.

FESTA MOBILIA.

OFFICIA VOTIVA.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA FEBRUARII.

16	B. Gregorii X, Papæ et Conf., *dupl.*	cccxxix
17	S. Julianæ, Virg. et Mart. (*ex heri*), *semid.*	cccxxxj
18	S. Simeonis, Episc. et Mart., *semid.*	*Ibid.*
19		
20		
21		
22	Cathedra S. Petri, Antiochiæ, *dupl. maj. Comm.* S. Pauli, Apost.	420
23	S. Petri Damiani, Ep., Conf. et Doct., *dupl. Comm.* Vigil.	424
24	*In biss.* 25. S. Mathiæ, Apost., *dupl.* 2 *cl.*	427
25	*In biss.* 26. S. Felicis III, Pap. et Conf., *dupl.*	cccxxxij
26	*In biss.* 27. S. Margaritæ Corton., Pœnit. (*e* 22 *hujus*), *semid.*	cccxxxiij
27		
28		

FESTA MARTII.

1	S. Albini, Episc. et Conf., *semid.*	cccxxiij
2	S. Simplicii, Papæ et Conf., *dupl.*	cccxxxiv
3		
4	S. Lucii I, Papæ et Mart., *dupl.*	cccxxxv
5	S. Casimiri, Conf. (*ex heri*), *semid.*	cccxxxvij
6		
7	S. Thomæ Aquinatis, Conf. et Doct., *dupl. Comm.* SS. Perpetuæ et Soc., Mart.	431
8	S. Joannis de Deo, Conf., *dupl.*	433
9	S. Franciscæ Romanæ, Viduæ, *dupl.*	436
10	SS. Quadraginta Mart., *semid.*	438
	Ultima sedes Cinerum, *die* 10.	
11		
12	S. Gregorii I, Magni, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.*	440
13		
14		
15	S. Zachariæ I, Papæ et Conf., *dupl.*	cccxxxvij
16		
17	S. Patritii, Episc. et Conf., *dupl.*	cccxxxviij
18	S. Gabrielis Archangeli, *dupl. maj.*	*Ibid.*
19	S. Joseph, Sponsi B. M. V., Conf., *dupl.* 2 *classis.*	445
20		
21	S. Benedicti, Abbatis, *dupl.*	452
22	*Prima sedes* Paschæ.	
23		
24		
25	Annuntiatio B. M V., *dupl.* 2 *cl.*	454
26		
27		
28	S. Sixti III, Papæ et Conf., *dupl.*	cccxxxviij
29		
30		
31		

FESTA APRILIS.

1		
2	S. Francisci de Paula, Conf., *dupl.*	473
3		
4	S. Isidori, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*	474
5	S. Vincentii Ferrerii, Conf., *dupl.*	484
6	S. Sixti I, Papæ et Mart., *dupl.*	cccxl
7	S. Cœlestini I, Papæ et Conf., *dupl.*	*Ibid.*
8		
9		
10		
11	S. Leonis I, Magni, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.*	486
12		
13	S. Justini, Philosophi, Mart , *dupl.*	cccxlij
14	SS. Tiburtii et Soc., Mart., *simpl.*	494
15	S. Hermenegildi, Regis, Mart. (*e* 13 *hujus*), *semid.*	cccxliij
16		
17	S. Aniceti I, Papæ et Mart., *dupl.*	*Ibid.*
18		
19		
20		
21	S. Anselmi, Episc., Conf. et Doct., *dupl.*	495
22	SS. Soteris et Caii, Pont. et Mart., *dupl.*	cccxliv
23	S. Georgii, Mart., *dupl.*	cccxlv
24	S. Leodegarii, Presb. et Conf., *dupl.*	*Ibid.*
25	S. Marci, Evang., *dupl.* 2 *cl.*	503
	Ultima sedes Paschæ, *die* 25.	
26	SS. Cleti et Marcellini, Pont. et Mart., *dupl.*	cccxlvj
27	S. Fidelis a Sigmaringa, Mart. (*e* 24 *hujus*), *dupl.*	*Ibid.*
28	S. Vitalis, Martyris, *simpl.*	508
29	S. Petri, Martyris, *dupl.*	*Ibid.*
30	S. Catharinæ Senensis, Virg., *dupl.*	509

FESTA MAII.

1	SS. Philippi et Jacobi, Apost., *dupl.* 2 *cl.*	511
2	S. Athanasii, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* 516. *Comm.* Translat. S. Alpini, Episc. et Conf.	cccxlvj
3	Invent. S. Crucis D. N. J. C., *dupl.* 2 *cl.* *Commemor.* SS. Alexandri, Papæ, et Soc., Mart.	519
4	S. Monicæ, Viduæ, *dupl.*	527
5	S. Pii V, Papæ et Conf., *dupl.*	529
6	S. Joannis, Apost. et Evang. ante Portam Latinam, *dupl. maj.*	531
7	S. Gibriani, Presb. et Conf., *dupl.*	cccxlvij
8	Apparit. S. Michaelis Archang., *dupl. maj.*	535
9	S. Gregorii Nazianzeni, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*	546
10	S. Antonini, Ep. et Conf., *dupl.* *Com.* S. Gordiani, etc., Mart.	548
11	S. Stanislai, Episc. et Mart. (*e* 7 *hujus*), *dupl.*	cccxlviij
12	SS. Nerei, etc., Mart., *semid.*	550
13		
14	S. Bonifacii, Martyris, *simpl.*	552

FESTA JUNII.

PARISIIS.—TYPIS ADRIANI LE CLERE,
Via dicta *Cassette*, 29.

PROPRIUM OFFICIORUM DIŒCESIS CATALAUNENSIS.

FESTA MOBILIA.

DOM. III POST PENTECOSTEN.

SS. CORDIS JESU.

Duplex II classis.

Off. ut in Suppl., p. ccvij.

DOMINICA I AUGUSTI.

SS. MEMMII, DONATIANI ET DOMITIANI,

EPISCOPORUM ET CONFESSORUM, PATRONORUM CATALAUNENSIUM.

Duplex I class. cum Octava.

IN I VESPERIS.

Ant. t. 1. Sapiéntiam paréntum nostrórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Psal. de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *in toto Officio.*

Ant. t. 3. Ipsi missi a Spíritu sancto, abiérunt; et cum venissent, prædicábant verbum Dei.

Ant. t. 2. Augebátur credéntium in Dómino multitúdo: omni die non cessábant Evangelizántes Christum Jesum.

Ant. t. 7. Salus confirmáta est, contestánte Deo signis et porténtis, et váriis virtútibus.

Ant. t. 6. Ecclésia ædificabátur ámbulans in timóre Dómini; et consolatióne sancti Spíritus replebátur.

CAPITULUM. *Hebr.* 13.

MEMENTOTE Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

HYMNUS.

GENTIS humánæ Pater ac Redémptor,
Orta lux nondum tua Cataláunis;
Quos tibi formas fideí Minístros,
Mitte benígnus.

Sat diu plebi míseræ propínat
Impium serpens stygius venénum;
Víndica pulso tua, Christe, tandem
Jura tyránno.

Afferens certam pópulis salútem,
Advolat, Romæ generósa proles,
Mémmius; fervens pietátis ardor
Crescit eúndo.

Urget exémplo cómites labórum,
Quos sibi virtus sócians, perénni
Vínculo junxit; similíque movit
Grátia pulsu.

Una mens omnes agit; æmulósque
Cháritas concors ánimos gubérnat :
Militant, signum Crucis inferéntes
Sub duce Christo.

Prisca nostrórum píetas avórum
Fluxit ex illis; máneat remótos
Prístini cultus, patriæque laudis
Cura nepótes.

Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Æquus ambórum sit honos Amóri,
Qui sacros Christi púgiles supérno
Róbore firmat. Amen.

℣. Narravérunt nobis laudes Dómini, et virtútes ejus. ℟. Et mirabília ejus quæ fecit.

Ad Magnif. Ant. t. 3. Sit memória illórum in benedictióne, et pérmanens ad filios illórum, sanctórum virórum glória.

Orat. de Laudibus.

Fit Comm. Dominicæ occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum, qui de tenébris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Venite, adorémus.

HYMNUS.

Jam, Christe, tristes lux tua díspulit
Erróris umbras; Mémmius ádstruit
Jam verba signis, pulverémque
E túmulis révocat sepúltum.

Divum ministros cæcus agit furor :
Christi Minístro sed furor ímpotens
Frustra reluctátur; profánis
Vana ruunt simulácra templis.

Rivos sequáces ut sitiéntibus
Partitur arvis agrícolæ manus,
Mollítque sulcos; sic Tonántis
Arbitrio fera corda parent.

Hinc Cataláuni pars mélior gregis
(Sic verba Memmi grátia róborat)
Se sponte subdens veritáti,
Fonte sacro próperat renásci.

Ne sanctitátis trámite dévient,
Pactúmve frangant inviolábile,
Christi veréndo pane nutrit
Pastor oves, animátque factis.

Memmi, labórum præmia nunc tibi
Christus repéndit; pássibus æmulis
Ut te sequámur quo præísti,
Auxilio fóveas perénni.

Fonti bonórum máxima laus Patri;
Nos qui redémit, máxima Filio;
Quo corda flagrant charitáte,
Laus páriter tibi summa, Flamen. Amen.

IN I NOCTURNO.

Ant. t. 1. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum; et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Ant. t. 3. Factum est verbum Dómini ad eum, dicens : Vade in civitátem magnam; et prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te.

Ant. t. 7. Surréxit, et ábiit juxta verbum Dómini; et cœpit introíre in civitátem.

℣. Lingua ejus loquétur judícium. ℟. Lex Dei ejus in corde ipsíus.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio. i. *Cap.* 1.

Gratias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et charitátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum : sciéntes, fratres dilécti a Deo, electiónem vestram; quia evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololátriæ déditam civitátem : * Disputábat ígitur in foro, per omnes dies, ad eos qui áderant. ℣. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Disputábat.

Lectio ii. *Cap.* 1 *et* 2.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos : et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et expectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed ante passi et contuméliis affécti, sicut scitis, fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine.

℟. Intendébant turbæ his quæ dicebántur, vidéntes signa quæ faciébat : * Cum vero credidíssent evangelizánti, baptizabántur viri ac mulíeres. ℣. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus; et fecit signa coram pópulo, et crédidit pópulus. Cum vero.

Lectio iii. *Cap.* 4.

De cætero, fratres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis, quómodo opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra.

℟. Magnificabátur nomen Dómini Jesu : ita * Fórtiter crescébat verbum Dei, et confirmabátur. ℣. Deseréntes cæremónias patrum suórum, quæ

in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. Fórtiter. Glória. Fórtiter.

IN II NOCTURNO.

Ant. t. 7. Sedit ibi, docens apud eos verbum Dei.

*Ant.t.*8. Adjuvábant eum fratres ejus, et dirécta est salus in manu ejus.

*Ant. t.*2. Erat manus Dómini cum eis; multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

LECTIO IV.

Ex veteribus Catalaun. Ecclesiæ Monumentis, et antiquis Scriptoribus.

MEMMIUS, civis Románus e clarissima Memmiórum familia, ad fidem convérsus, et Epíscopus consecrátus, a primis tempóribus, ab Apostólica sede in Gállias Evangélii prædicándi causa missus est. In secúndam Bélgicam advéniens, mox Cataláunum adit, urbem idololátriæ máxime déditam. Nactus Mémmius dignam zelo suo matériam, civitátem ingréditur, et crucis munímine fretus, inánium deórum cultum impugnáre, et salútis semen, verbum fidei, spárgere cœpit. Reluctabántur plúrimum et contradicébant in primis idolórum sacerdótes et ministri, quos Mémmius palam non sine magno ipsórum pudóre revincébat, tam ópere quam sermóne cómprobans et osténdens unum esse Deum, nec áliud sub cœlo nomen quam Jesu Christi, in quo hómines opórteat salvos fieri.

℟. Gentes glorificábant verbum Dómini : * Disseminabátur autem verbum Dómini per univérsam regiónem. ℣. Misit de suis, ut docérent in civitátibus : et circuíbant cunctas urbes, atque erudiébant pópulum. Disseminabátur.

LECTIO V.

DOMINO testimónium perhibénte verbo grátiæ suæ, et operánte signa et prodígia per manus servi sui, intendébant turbæ his quæ dicebántur ab eo, et multi credéntes baptizáti sunt. Nec solum in civitáte Catalaunénsi, sed per regiónem quoque finitimam Mémmius vires vitámque pro lucrifaciéndis Christo animábus superimpéndens, Evangélium disseminávit; falsórum deórum simulácra comminui, illórum templa déjici, Crucis vexillum érigi procurávit. Imménsis labóribus tandem conféctus, Nonis Augústi migrávit ad cœlos. Corpus ejus sepúltum est prope urbem in loco, qui Buxérra dicebátur.

℟. Cum evangelizássent, et docuíssent multos, * Revérsi sunt, confirmántes ánimas discipulórum, exhortantésque ut permanérent in fide. ℣. Imperántes in virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba, glóriam adépti sunt. Revérsi sunt.

LECTIO VI.

MEMMIO successérunt ejus discípuli ac sacris in labóribus sócii, nempe Donatiánus primum, deínde Domitiánus. Prior post firmátam et amplificátam sudóribus Evangélicis miráque suæ vitæ sanctitáte Christiánam fidem, séptimo Idus Augústi diem suprémum óbiit, et in eódem, quo sanctus Mémmius, loco sepúltus est. Domitiánum autem templa Deo erexísse et pleniórem Evangélii lucem pagi Cataláunénsis incolis intulísse dícitur. Cursu labóris Apostólici tandem consummáto, in Dómino obdormivit quinto Idus Augústi, et juxta Mémmium, conjúnctis túmulis, cum Donatiáno repósitus est.

℟. Cum venissent, et congregássent Ecclésiam, * Retulérunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuísset Géntibus óstium fídei. ℣. Adoravérunt, et benedixérunt in cœlum eum, qui prosperávit eis. Retulérunt. Glória. Retulérunt.

IN III NOCTURNO.

Ant. t. 4. Scitis intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : mémores enim estis labóris nostri.

Ant. t. 5. Cum accepissétis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est vere) verbum Dei.

Ant. t. 7. Excipiéntes verbum cum gáudio Spíritus sancti, convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero.

℣. Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas. ℟. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII. *Cap.* 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 233 *in diebus Paschal.* 4. § 1. *Alias Serm.* 86. *de diversis.*

MISIT Christus discípulos ad Evangélium prædicándum, et factum est : prædicátum est Evangélium, pervénit ad nos. Et ecce in omnem terram éxiit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Ambulándo et ambulándo, Evangélium pervénit ad nos, et ad fines terræ. Bréviter constítuit nobis, loquens discípulis suis, quid faciámus, quid sperémus. Ait enim sicut audístis quando loquebátur : Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit. Exígitur a nobis fides, offértur salus. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit. Pretiósum est quod nobis promíttitur, gratis fit quod jubétur.

℟. Debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres,

quod elégerit vos Deus primitias in salútem, in fide veritátis; in qua * Vocávit vos per Evangélium nostrum, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. ℣. Vobis junctus est Dóminus, et elégit vos, quia diléxit vos. Vocávit.

LECTIO VIII. § 4 *et* 5.

QUI credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit. Angeli hanc salútem habent. Nolíte eam quærere in terra. Magna est, sed non est hic. Non est ista res de ista regióne : non est hic talis salus. Sursum cor. Ipsa salus huc venit, et mortem nostram invénit; sed finívit in se quam timebámus : suscépit illam, et occídit illam. Quómodo summus venátor leónem cepit, et necávit? O mors, quando Dómino meo hæsísti, tunc et mihi periísti! Ista salúte salvus erit qui credíderit, et baptizátus fúerit; qui autem non credíderit, condemnábitur. Fúgite condemnatiónem; amáte et speráte salútem ætérnam.

℟. State, et tenéte traditiónes, quas didicístis : ipse autem, * Qui dedit spem bonam in grátia, corda vestra confírmet in omni ópere bono. ℣. Judícium patris audíte, fílii; et sic fácite ut salvi sitis : Deus enim honorávit patrem in fíliis. Qui dedit. Glória. Qui dedit.

Lect. IX *de Homilia Dominicæ occurrentis.*

Te Deum laudámus, *p.* 15.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

*Ant.t.*1. Grátia * data est mihi in vobis : Evangélii factus sum minister secúndum operatiónem virtútis Dei.

*Ant.t.*2. Nonne opus meum* vos estis in Dómino? nam signáculum apostolátus mei vos estis.

Ant. t. 3. Evangélium nostrum * non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa.

*Ant.t.*8. Testis mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi : et hoc oro, ut cháritas vestra magis ac magis abúndet.

*Ant.t.*5. Ut filios meos* charíssimos móneo; nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui : rogo ergo vos, imitatóres mei estóte.

CAPITULUM. *Hebr.* 13.

MEMENTOTE Præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

HYMNUS.

NOSTRÆ concínimus gentis Apóstolum,
Per quem Relligio trádita pátribus,
Errorísque jugo libera cívitas
Fructus prótulit úberes.

Ad nos, sponte suis fínibus éxulans,
Missus Sede Petri, prótinus ádvolat:
Merces est óperis, si pia cónsecret

Vero péctora Número.
Obscúra pópulis nocte jacéntibus
Affúlget nova lux Mémmius : íncolas
Flecti difficiles léniter increpans,
Ritus dédocet ímpios.
Surgit sancta fides : fit nova cívitas;
Et mutáta, Deos fánaque díruit :
Sacris, bárbara gens, jam dócilis Deo,
Christum fóntibus índuit.
Hinc, quam multa venit Christíadum seges!
Hi quos quotídie, Pastor apóstolus
Fœcúndo fídei gérmine párturis,
Hi sunt tot tibi fílii.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Sit qui corda moves laus tibi, Spíritus :
Da vox sancta tui géstaque Præsulis
Natos ad bona próvocent.
Amen.

℣. Annuntiávi, et locútus sum. ℟. Multiplicáti sunt super númerum.

Ad Bened. Ant. t. 8. Scitis quáliter unumquémque vestrum, (sicut pater filios suos) testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam.

ORATIO.

Deus, qui beatórum Mémmii Pontíficis, sociorúmque et successórum ejus, Donatiáni et Domitiáni ministério, de tenébris nos in admirábile lumen tuum vocásti : fac ut eórum intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit et regnat.

Fit Comm. Dominicæ occ.

AD PRIMAM.

Ant. Grátia.

In ℟. *br.* ℣. Qui de tenébris nos vocásti in admirábile lumen tuum.

Et sic dicitur per totam Octavam, etiam in Festis occurr., nisi proprium habeant.

AD TERTIAM.

Ant. Nonne opus meum.

Capit. Mementóte, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Lingua ejus* Loquétur judícium. Lingua. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. Loquétur. Glória. Lingua.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD SEXTAM.

Ant. Evangélium nostrum.

CAPITULUM. 1. *Cor.* 2.

Sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

℟. *br.* Annuntiavérunt* Opera Dei. Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. Opera. Glória. Annuntiavérunt.

℣. Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas. ℟. Testi-

mónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

AD NONAM.

Ant. Ut filios meos.

CAPITULUM. *Philip.* 3.

IMITATORES mei estóte, fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta,* Convértens ánimas. Lex. ℣. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. Convértens. Glória. Lex.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD II VESPERAS.

Ant., Capit. et Hymn. ut supra, in I Vesperis.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Magnif. Ant. t. 1. Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem.

Orat., Deus, qui beatórum, *de Laudibus.*

Fit Comm. de Dom. et de seq. Semiduplici et supra.

DIEBUS INFRA OCTAVAM,

Fit Offic. de Festo Duplici, etiam translato, et de Semidupl. occurrenti; et tunc in eorum Vesperis et Laudibus (excepto Dupl. 2cl.) fit Comm. de Octav.

DOM. II AUGUSTI.

DIES OCTAVA
SS. MEMMII, DONATIANI
ET
DOMITIANI,
EPISCOPORUM ET CONFESSORUM.

Duplex.

Off. ut in die Festi, præter sequentia.

¶ *Si hæc Dominica occurrat die* X, *fit Officium S. Laurentii, et in ejus utrisque Vesperis et Laudibus fit Com. de die Octava et de Dominica, cujus Homilia legitur pro* IX *Lectione.*

Ante vel post hanc diem X, *Vesperæ, sive I sive II, dividuntur a Capit. cum præced. vel seq. Duplici minore, et in eis fit Comm. de Simplici, et supra.*

Duplex maj. concurrens habet integras Vesperas, in quibus fit Commemor. de die Octava.

(In I Vesperis Assumptionis, hæc Comm. omittitur.)

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lect. Ad sancti, *de Comm. Conf. Pont.*, p. lv.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VII. *Cap.* 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.
Homil. 32. *in Matt.* § 4.
Alias Homil. 33.

Vides ministérii magnitúdinem? Vides Apostolórum dignitátem? nihil sensibile jubéntur dícere; nec sicut Móyses et Prophétæ prióres: sed nova quædam et inexpectáta. Neque enim tália ipsi prædicábant; sed terram et terréna bona: hi autem regnum cœlórum, et quæ ibi sunt ómnia. Neque inde solum hi majóres sunt, sed étiam ex obediéntia. Neque enim recúsant, neque cunctántur sicut véteres illi: sed etiámsi pericula, bella, et intolerabília mala áudiant, cum obsequéntia multa imperáta suscípiunt, útpote qui regni sint præcónes.

Lectio viii. § 7.

Verum signa quæritis, quæ illi faciébant, leprósos mundábant, dæmones ejiciébant, mórtuos suscitábant: sed hoc nobilitátis vestræ máximum indícium est, amorísque vestri, quod sine pignóribus hujúsmodi Deo credátis. Ea enim de causa cessávit Deus signa édere, aliámque causam prófero. Nam si cessántibus signis, qui áliis dótibus sunt instrúcti, ut verbi sapiéntia, vel pietátis præstántia vanæ glóriæ sunt déditi, sese éfferunt, seséque ab áliis sejúngunt; si étiam signa adéssent, quo non erúmperent schísmata? Quod autem hæc non ex conjectúra dicántur, testificántur Corínthii, qui inde multas in partes distrácti sunt.

Lectio ix *Homil. Dom. occ.*

In Laudibus, Comm. Dom., diei infra Oct. S. Laurentii, si occurrat, et Simplicis.

DOM. POSTREMA AUGUSTI.
PURISSIMI CORDIS B. M. V.
Duplex majus.

Off. ut in Festis B. M. V. per annum, p. cxxxviij.

Fit Com. Dominicæ et Simplicis occurr., in Vesperis et Laudibus.

Lect. ix *Homil. Dom.*

OFFICIA VOTIVA.

A SS. Trinitate usque ad Adventum, extra Octavas Vigiliasque privilegiatas et Quatuor Tempora, modo non occurrat Festum Duplex aut Semiduplex, etiam translatum, vel Officium Dominicæ anticipandum, fit, more votivo et sub ritu Semiduplici:

1° *Singulis Feriis* v, *de SS. Sacramento, ut in Sup.*, p. ccxv.

2° *Singulis Sabbatis, de Immaculata Conceptione Deiparæ, ut in Supplem.*, p. ccxvj.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA MAII.

DIE VII.

S. GIBRIANI, PRESB. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif., p. lxviij, *præter seq.*

Orat., Deus qui nos, *ibid.*

Pridie, in Vesperis S. Joannis, Comm. de S. Gibriano.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Flodoardo et Marlot.

GIBRIANUS Présbyter, ex Hibérnia oriúndus, quinto verténte sæculo, ut Deo libérius secretiúsque servíret, natále solum relíquit. Itíneris cómites ac propósiti cónscios hábuit Helánum, Tresánum, Germánum, Veránum, Abránum et Petránum, fratres suos, Franclam quoque, Prómptiam et Posséonam suas soróres. Catalaunénsem agrum ingréssi, peregrinatiónis tandem metas constítuunt; et eléctis locis solitúdini opportúnis, et ad semet mútuo visitándos contíguis, supra Mátronam dispergúntur. Qua parte hunc in flúvium se præcípitat rivus, olim atque etiámnum Cosla dictus, in illa Gibriánus sedem fixit.

LECTIO V.

AD Gibriánum tamquam ad sanctitátis doctórem sæpius a consanguíneis accurrebátur. Neque vero sacri Ordinis prærogatíva, et majóris ætátis privilégium ei tantam auctoritátem magistérii dabant, quantam assíduus oratiónis ac labóris amor, singuláris in victu parcimónia, et in omni virtútum génere perpétua exercitátio. Vitæ cursu constánter et felíciter consummáto, corpus ejus juxta públicum ággerem, ubi tam pie víxerat, sepúltum est. Mox, Deo sanctitátem servi sui miráculis váriis et insígnibus declaránte, super illíus túmulum constrúcta fuit oratórii ædícula, ad quam máxima pópuli frequéntia conflúere solébat, eo in primis die quo depositiónis Gibriáni festa celebrabántur.

LECTIO VI.

ILLA vero ædícula furóribus Normannórum dírúta, religiósus Comes Hadéricus a Rodoáldo Catalaunénsi Præsule sacrum corpus quo vellet efferéndi licéntiam impetrávit : Remos tránstulit, et honorificentíssime repósuit in Basilica sancti Remígii. Non longe ab eo, quo primum humátus fuit, loco, extat omni retro memória pagus ipsi sacer et ejus nómine insignítus. Gibriáni fratres et soróres ut Sanctos coli vária monuménta testántur, inter quæ plures Ecclésiæ in Catalaunénsi et Reménsi Diœcésibus sub Veráni, Heláni,

Tresáni et Posséunæ invocatióne, Deo consecrátæ.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *de Comm., primo loco*, p. lxxvj.

Vesperæ de sequenti Appar. S. Michaelis; Comm. de S. Gibriano.

DIE XI.

(*In Brev.*, 7 *hujus.*)

S. STANISLAI, EP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 324, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Stanislao; Comm. de præc. S. Antonino, Ep. et Conf.

In II Vesperis, fit Comm. seq. SS. Nerei, etc.

DIE XV.

S. ISIDORI, AGRICOLÆ, CONFESSORIS.

Duplex.

Off. ut in Supp., p. ccxxviij, *mutato tertio versu, in Hymno* Iste Conféssor.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Joanne Nepomuceno; Comm. de S. Isidoro.

DIE XVI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI, PRESB. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Supp., p. ccxxix.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Paschali; Comm. de S. Joanne Nepomuceno.

DIE XIX.

S. PUDENTIANÆ, VIRGINIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., p. lxxxiv, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Pudentiana.

ORATIO

Deus, qui beátam Pudentiánam, Vírginem tuam, exímiæ pietátis opéribus et insígni in fídei tuæ Confessóres charitáte mirábilem effecísti: fac nos, ejus méritis et intercessióne, perfécta charitáte fervéntes. Per Dóminum.

Fit Com. de præc. S. Venantio.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Pudentiana nóbilis Virgo Romána, Pudéntis viri primárii fília, paréntibus suis orbáta, cum admirábili pietáte christiánam Religiónem cóluit; pecúniam ex véndito património redáctam paupéribus distríbuit, seque oratiónibus, jejúniis, alísque austerióris vitæ exercitatiónibus dedit. In his Praxédem sóciam hábuit, eamdémque non tam natúræ vínculo quam ejúsdem institúti communióne sorórem.

LECTIO V.

Ad id præsértim ánimum piíssima Virgo applícuit, ut Christiános hospítio exciperet, et fervénte persecutióne, sanctos Mártyres recreáret, eorúmque córpora sepultúræ mandáret, sparsúmque ab iis sánguinem collígeret. Illíus quoque ópera, tota ejus família, in qua nonagínta sex hómines numerabántur, ad Christi fidem convérsa, a Pio Ponti-

fice sacro baptísmate tincta est.

LECTIO VI.

CUM autem ab Antoníno Imperatóre sancitum esset ne Christiáni palam et públice sacrifícia fácerent, idem Pius Póntifex, in ædibus Pudentiánæ ad Viminálem sitis, cum Christiánis sacra celebrábat, quibus illa benigne excéptis, quæ ad vitam necessária essent, suppeditábat. Itaque, in his christiánæ pietátis officiis, migrávit e vita, et in sepúlchro patris ad cœmetérium Priscillæ via Salária sepúlta est, decimoquárto Kaléndas Júnii, anno centésimo sexagésimo secúndo.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Simile erit... decem virginibus, *de Comm. primo loco*, p. xcv.

In II Vesperis, Comm. seq. S. Bernardini, p. 352.

DIE XXI.

(*In Brev.*, 19 *hujus.*)

S. PETRI CŒLESTINI, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 348, *præter seq.*

In Hymno, Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

Pridie, Vesperæ de S. Petro Cœlestino ; Commemoratio de præcedenti sancto Bernardino.

Nihil de S. Pudentiana.

In II Vesperis, Comm. de seq. S. Ubaldo, p. 342.

DIE XXII.

(*In Brev.*, 16 *hujus.*)

S. UBALDI, EPISC. ET CONF.

Semiduplex.

Off. ut in Brev., p. 342, *additis integre II Vesperis.*

DIE XXIV.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

SUB TITULO :

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex majus.

Off. ut in Suppl., p. ccxxxiv.

In II Vesperis, Comm. seq. S. Gregorii et S. Urbani.

DIE XXVII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRGINIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 358, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Maria Magdalena ; Comm. de præced. S. Philippo et de S. Joanne, Papa et Mart.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Germano ; Comm. de S. Maria Magdalena.

DIE XXVIII.

S. GERMANI, PARIS. EPISC. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Exáudi, *p.* l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex S. Germani Vita scripta per Venantium Fortunat. Pictav. Ep. Ex Sæc. I Benedict.

GERMANUS in território Æduénsi honéstis paréntibus

natus, ad matutínas preces Ecclésiam mille passus pene distántem quacúmque áeris intempérie adibat. Présbyter ordinátus, ex Mónacho factus est primum Abbas sancti Symphoriáni Augustodunénsis, deinde Parisiénsis Epíscopus. Nihil remísit in Episcopátu de vitæ austeritáte, quam in Monastério égerat. Hora noctis tértia Ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, cæteris de Clero per tres vigilias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, cursum canónicum nudo cápite, étiam inter equitándum, persólveret.

LECTIO V.

MIRA beáti Pontíficis in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos beneficéntia fuit, Childebérto ex régio ærário ingéntes ei pecúnias subministránte. Hunc apud Cellas in pago Melodunénsi ægrotántem impositióne mánuum restituit sanitáti. Accersitus a Clotário, quem Deus, vindex sui ministri, percússerat, admótis vestiméntis sanávit. Caribértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eique Sacris interdixit. Sigebértum, imploráta étiam per litteras Brunechildis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilpérici fratris, suisque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

LECTIO VI.

SEDIT Germánus in Concíliis Parisiénsibus tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo. Proféctus ad Synodum Bituricénsem, Judæum quemdam ejúsque cónjugem, quam a dæmone obséssam liberáverat, una cum áliis plúribus Judæis Christo lucrátus est. Multis demum clarus miráculis, prænuntiáto mortis die, in pace quiévit fere octogenárius, anno quingentésimo septuagésimo sexto. Corpus ejus sepúltum est in Basilica sancti Vincéntii, quæ nunc sancti Germáni a Pratis ab ejus nómine dícitur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evangelium Vigiláte, *de Com., secundo loco,* p. lxiij.

FESTA JUNII.

DIE II.

SS. POTHINI, LUGD. EPISC., BLANDINÆ, VIRGINIS ET SOCIORUM, MARTYRUM.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., p. xxxv, *præter sequentia.*

Orat. Deus, qui nos concédis, *p.* xxxvj.

Pridie, in Vesperis, pro Comm. SS. Marcellini, etc., Ant. Vestri capilli, ℣. Exultábunt *et Orat.* Deus, qui nos ánnua, *de Laudibus,* p. xlvj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ. *Euseb. Hist. Lib.* 5. *Cap.* 1.

Beatissimus Pothínus, qui Episcopátum Lugdunénsis Ecclésiæ administrábat, nonagenário major, et córpore ádmodum infírmo, ob præséntem quidem córporis imbecillitátem ægre spíritum trahens, cæterum præ cupiditáte imminéntis martyrii mirábili alacritáte ánimi firmátus ad tribúnal ferebátur. Perlátus ígitur a milítibus ad tribúnal, prosequéntibus ipsum Magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum acclamatiónibus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium.

Lectio v.

Post hæc absque ullo humanitátis respéctu raptátus, atque innúmeris plagis afféctus est; cum ii quidem qui própius adstábant, cálcibus et pugnis illum contumeliόse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent. Exinde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus vero neóphytus, et Sanctus Diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla, pluribúsque áliis ducti sunt ad béstias in amphitheátrum, ad públicum spectáculum. Et Matúrus quidem ac Sanctus ómnia tormentórum génera in amphitheátro subiérunt. Hi ergo máximo certámine perfúncti, cum vitálem spíritum diu protraxissent, tandem juguláti sunt.

Lectio vi.

Blandina ad palum suspénsa, béstiis objécta est. Cumque nulla tunc béstia corpus illius attigísset, depósita ex stipite, rursus in cárcerem conjicitur, in áliud certámen reserváta. Ineúnte solémni apud nos mercátu, Præses beatíssimos Mártyres ad tribúnal addúci jussit, tamquam in theatráli pompa eos pópulo osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncáti, réliqui tráditi sunt béstiis. Post hos omnes, último tandem spectaculórum die, beáta Blandína ómnium postréma, post flagra, post ferárum vellicatiónes, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est; a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa víctimæ instar jugulála est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Descéndens Jesus, *de Comm.*, *secundo loco*, p. xlviij.

Pro SS. Marcellino, Petro, etc., Lect. ix Petrus, etc., *p.* 362, *duabus in unam coactis.*

In Laudibus, pro Comm. SS. Marcellini, etc., Ant. Istórum, *et* ℣. Lætámini, *de I Vesperis*, p. xxxv, *et Orat.* Deus.

qui nos ánnua, p. xxxvj.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Clotilde; Comm. de SS. Pothino, etc.

DIE III.

S. CLOTILDIS, FRANC. REG., VIDUÆ.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., p. cj, præter seq.

ORATIO.

RESPICE, quæsumus Dómine, ad Francórum benignus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotildis instántiam donum fídei contulísti; iisdem per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum nostrum.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Hist. Franc.

CLOTILDIS, Chilpérici Burgundiónum regis fília, post paréntum necem, a pátruo Gundobáldo rege educáta, Clodovéo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovéus, ac baptísmo imputávit. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, Creatóri ómnium, grátias ago, qui me non indígnam judicávit, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium Regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit.

LECTIO V.

AT Regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret : sed ille superstitióni Francórum adhærére non déstitit, donec in expeditióne Alemánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium a quo Rex fidem edóctus, baptizátus est, et Chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi Turónos ádiit Clotildis; ibíque ad sepúlchrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, inténta eleemósynis aliísque piis opéribus, munífica erga Ecclésias et Monastéria.

LECTIO VI.

TANDEM plena diérum, Turónis migrávit ad Dóminum : inde Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário Basílicæ beatórum Petri et Pauli, póstea sanctæ Genovéfæ, ubi religióse colebátur. Desinénte autem sæculo décimo octávo, cum impii sumpsíssent principátum, et bellum Deo Sanctísque ejus fácerent,

ossa beátæ Regínæ cum áliis Relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne crem áta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deindéque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in Ecclésia sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Símile est... thesáuro, *de Comm.*, p. cx.

AD LAUDES.

Post Hymn. ℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum regis.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Francisco; Com. de S. Clotilde.

DIE XXVIII.

S. LEONIS II, PAPÆ ET CONF.

Duplex.

Offic. ut in Brev., p. 403, *cum integris I Vesperis, et Com. de Oct. S. Joannis.*

DIE XXIX.

IN FESTO

SS. PETRI ET PAULI,

COMMEMORATIO

OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

Ant. In hoc cognóscent, etc., *ut in Suppl.*, *secundo loco.*, p. ccxlviij.

¶ *Hæc Comm. non transfertur cum Solemnitate.*

FESTA JULII.

DIE III.

(*In Martyr.*, 28 *Junii.*)

S. IRENÆI, LUGD. EPISCOPI ET MARTYRIS.

Duplex.

Offic. ut in Suppl., p. ccxliv, *exceptis sequentibus.*

Pridie, in II Vesperis Visitationis, Comm. de S. Irenæo.

In I Noct., Lect. de Script. occurr.

In Laudibus et in II Vesperis, Comm. de Oct. SS. Apostolorum.

DIE XI.

S. PII I, PAPÆ ET MART.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Orat., Infirmitátem, *ibid.*

Pridie, Vesperæ de S. Pio; Comm. de præced. SS. Septem Fratribus, etc.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Pius hujus nóminis Primus, Rufíni fílius, Hermétis frater, pátria Aquileiénsis, ex Presbytero sanctæ Románæ Ecclésiæ Summus Póntifex creátus est; seditque Antoníno Pio, et Marco Aurélio Imperatóribus Augústis. Quinque ordinatiónibus, mense Decémbri, Epíscopos duódecim, octódecim Presbyteros creávit.

LECTIO V.

Extant nonnúlla ab eo præcláre institúta, præsértim, ut Resurréctio Dómini nónnisi

die Domínico celebrarétur : quod póstea ab ejus successóribus Románis Pontificibus confirmátum est; quibus id máxime curæ fuit, ut totíus Ecclésiæ Episcopi in Paschá-li celebritáte unifórmes essent.

LECTIO VI.

PRAXEDIS domum in Ecclésiam mutávit, eámque Título Pastóris dicávit, in qua sæpius rem sacram fecit, et multos ad fidem convérsos, et sacro fonte purgátos, in fidélium númerum adscrípsit. Dum vero pii Pastóris munus obíret, fuso pro suis óvibus et Summo Pastóre Christo sánguine, martyrio coronátus est, quinto Idus Július, ac sepúltus in Vaticáno.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Ev. Si quis venit, *de Com. primo loco*, p. xxviij.

Vesperæ a Capit. de sequenti S. Joanne; Comm. de S. Pio et de SS. Nabore et Felice.

DIE XIII.

S. ANACLETI I, PAP. ET MART.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Orat. Deus, qui nos, *ibid.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Anacleto; Comm. de præc. S. Joanne.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANACLETUS natióne Græcus, Atheniénsis, patre Antiócho, multis rebus præcláre gestis celebérrimus, post intérrégnum pontifícium quatuor ménsium et decem diérum, Christiánæ Religiónis Summum Pontificátum adéptus, Cleménti per martyrium subláto, tértio Nonas Aprilis subrogátur; seditque in Cáthedra Petri, Presbyteris quinque, tribus Diáconis et sex Epíscopis dúplici ordinatióne creátis, sub Trajáno Imperatóre.

LECTIO V.

HIC Príncipi Apostolórum memóriam, seu Ecclésiam, gratus, et memor tanti benefícii ab eo accépti, per sacri Ordinis collatiónem, dum adhuc Présbyter esset, in Vaticáno extrúxit, atque ornávit, Apostolórum Trophæum ab antíquis Pátribus mérito appellátam, quam nullo umquam, furéntis licet persecutiónis túrbine déjici potuísse, sed, quod omnem admiratiónem súperat, majóre in dies glória auctam fuísse, compértum est : futúrum sane secutúris tempóribus, majóris et amplióris molis nóbile rudiméntum.

LECTIO VI.

RES ab eo gestæ, quas mirificas fuísse multis arguméntis conjícere licet, commúni Scriptórum antiquórum naufrágio obscúræ, atque óbrutæ mansérunt. Multa ad religiónem, et disciplínam spectántia prudénter státuit, ac præ cæteris, ut Epíscopus a paucióribus, quam tribus Epíscopis

mínime consecrarétur, ut Clérici sacris Ordínibus públice a próprio Epíscopo initiaréntur, et ut in Missa, perácta consecratióne, omnes communicárent. Obiit tandem martyrio coronátus, tértio Idus Július, et juxta corpus beáti Petri sepúltus est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Ev. Si quis venit, *de Com., primo loco*, p. xxviij.

Vesp. a Cap. de seq. S. Bonaventura; Com. de S. Anacleto.

DIE XV.

S. HENRICI, IMPERAT., CONF.

Duplex.

Offic. ut p. 462, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Henrico; Comm. de præc. S. Bonaventura.

DIE XIX.

S. VINCENTII A PAULO,

PRESB. ET CONFESSORIS.

Duplex majus.

Offic. ut p. 471, *præter seq.*

Pridie, Vesp. de S. Vincentio; Comm. de præc. S. Camillo.

In I Noct., Lect. Beátus vir, *secundo loco*, p. lxxix.

In II Vesp., Comm. sequent. S. Hieronymi et S. Margaritæ.

DIE XXIV.

S. CHRISTINÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Virginum, p. lxxxiv, *præter seq.*

Or. Indulgéntiam, *p.* lxxxvj.

Pridie, in Vesp. S. Apollinaris, Comm. de S. Christina, ut p. 485.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex antiq. Brev. Catalaun.

CHRISTINA Virgo in Christum credens, cum patris idóla áurea et argéntea comminuísset, ac paupéribus erogásset, ejus jussu verbéribus dilaniáta, aliisque suppliciis dirissime cruciáta, et cum magno saxi póndere in lacum Vulsínum apud Túsciam projécta, ab Angelo liberáta est. Deínde sub álio júdice, patris sui successóre, torménta constánter pértulit. Novíssime a Juliáno præside post fornácem ardéntem, ubi quinque diébus illæsa permánsit; post serpéntes Christi virtúte superátos, abscissióne linguæ et sagittárum infixióne, martyrii sui cursum complévit.

Lect. v, Quóniam, p. xcij.

Lect. vi, Hæc nubes, *ibid.*

IN III NOCTURNO.

Homil. in Ev. Símile est... thesáuro, *in Comm.* p. cx.

Lect. ix *de Homil. Vigil. S. Jacobi, de qua fit Comm. in Laud.*

In I Vesp. S. Jacobi, nihil de S. Christina nec de S. Christophoro.

DIE XXIX.

S. LUPI, TRECENSIS EPISC.

ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat., Exáudi, *p.* l.

Pridie, Vesperæ de S. Lupo; Comm. de præced. SS. Nazario, etc., et de SS. Felice et soc., Mart., p. 493.

IN I NOCTURNO.
Lect. de Script. occurr.
IN II NOCTURNO.
LECTIO IV.
Ex S. Lupi Vita apud Surium, Sidonio Apollin. et aliis.

Lupus Tulli Leucórum nóbili família natus, uxórem duxit Pæmeníolam, sancti Hilárii Arelaténsis sorórem. Qui cum séptimo conjúgii anno, relíquum vitæ in continéntia dégere decrevíssent, Lupus ad beátum Honorátum Lirinénsem Abbátem se cóntulit: unde post annum cum Matiscónem venísset, ut quod sibi de facultátibus supérerat, paupéribus erogáret; improvíso ad Trecénsem episcopátum raptus, beáto Urso suffèctus est invítus.

LECTIO V.

Biennio post eléctus est a Synodo Gallicána, qui cum sancto Germáno Autissiodorénsi in Británniam majórem ad expugnándam pelagiánam hæresim proficiscerétur. Qua in legatióne fortíssimi Sacerdótes, post superátos vários labóres, totam ínsulam pestíferi erróris labe inféstam Cathólicæ fídei restituérunt. Revérsus Trecas, Lupus ad intermíssam gregis sui curam rédiit : frequéntes ad pópulum conciónes habére, minus perítos divínis lectiónibus instrúere, Clerum æquíssimis légibus régere, sanctis institútis informáre, ac seípsum in primis exémplum bonórum óperum præbére non déstitit.

LECTIO VI.

Bonus Pastor suam civitátem ab Hunnis in Gálliam effúsis, suis précibus servávit incolúmem, ipsúmque Attilam eórum ducem in sui veneratiónem convértit. Annis círciter vigínti, tábula pro lecto usus est, cilício pro interióre túnica; in oratióne, altérnis nóctibus, pérvigil : in jejúniis assíduus, solo pane hordeáceo Sábbato víctitans : census suos aléndis paupéribus, captivísque rediméndis impéndere sólitus. Discípulos hábuit sanctos Epíscopos Alpínum Catalaunénsem, Polychrónium Virdunénsem, Sevérum Treviréṅsem, et Cameliánum Trecénsem : ipse, ob exímias virtútes, Pontíficum Gallicanórum dictus fácile Princeps. Cum autem annis quinquagínta duóbus Sacerdótio functus fuísset, clarus miráculis ábiit ad Dóminum.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte *de Comm., secundo loco*, p. lxiij.

In Vesperis, fit Comm. seq. S. Marthæ et SS. Abdon et Sennen, Mart., p. 495.

DIE XXX. (*In Brev., heri.*)
S. MARTHÆ, VIRGINIS.
Semiduplex.

Offic. ut p. 492, *præter seq.*

In III Noct. Lect. IX *de SS. Abdon et Sennen , Mart.* Abdon et Sennen, etc., *p.* 495.

In Laudibus, fit Comm. de eisdem SS. Mart.

Vesperæ de seq. S. Ignatio; Comm. de S. Martha.

FESTA AUGUSTI.

DIE III.

IN INVENT. S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS.

Duplex majus.

In Cathedr., dupl. 2 cl.

Offic. ut p. 509, *præter seq.*

IN I VESPERIS.

Ant. Lapidavérunt, *cum reliquis, et Cap. de Laud.*, p. 512.

Psal. de Dom., et loco ult., Psal. Laudáte, *p.* 125.

Hym. Deus tuórum, *de Com.*, p. xx.

℣. Glória, *et ad Magnificat, Ant.* Stéphanus, *p.* 509.

Fit Comm. præced. S. Alphonsi Mariæ.

AD II VESPERAS.

Ut in I Vesp., præter seq.

Ultimus Psalm. Crédidi, *p.* 125.

℣. Stéphanus, *et ad Magnificat, Ant.* Sepeliérunt, *p.* 514.

Fit Comm. seq. S. Dominici.

DIE VIII.

S. POMÆ, VIRGINIS.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Virginum, p. lxxxiv, *præter seq.*

Orat., Exáudi nos, *p.* lxxxvj.

Pridie, Vesperæ de S. Poma; Comm. de præc. S. Cajetano.

IN I NOCTURNO.

Lect. De virgínibus, *p.* lxxxix.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Processu visitationis Reliquiarum S. Memmii, et ex veterib. Catal. Eccl. Monum.

CUM anno millésimo trecentésimo décimo octávo, sedénte Catalâuni Præsule Petro de Latillíaco, frater Guido Epíscopus Helenénsis Reliquiárum sancti Mémmii capsam aperuísset; invénit in ea Relíquias ália suis pannis involútas sub hoc título : Ossa sanctæ Pomæ Vírginis, soróris sancti Mémmii. Quæ quidem tunc ab eo solémniter transláta sunt una cum sacris exúviis beáti ejus fratris in capsam argénteam, auro et gemmis ornátam, suam peculiárem non habitúra, nisi circa inítium sæculi décimi noni.

LECTIO V.

QUAMVIS nobilíssimæ hujus Vírginis história ignorétur, constánti traditióne certum est eam nostrum Apóstolum Roma in Gállias subsecútam esse, et, illo crucis trophæum Catalâuni erigénte, hanc Virginitátis sacræ vexillum intulisse ac divínæ relígiónis inítia suo exémplo felíciter promovísse. Constat eam obiísse Catalâuni, fuísse prope sancti Mémmii túmulum sepúltam, religiosúmque cultum ejus memóriæ exhíbitum, et antíquum esse et célebrem. Videbántur olim in urbe ruínæ quædam nosocómii nómine ipsíus insigníti, quod ab illa fuísse institútum áliqua erat apud plebem opínio.

LECTIO VI.

IN Kalendáriis vetéribus dies ipsi sacer adscribebátur vigésimus séptimus mensis Június, quo quidem créditur obiísse.

Sæculo autem decimooctávo jam adúlto, octáva dies Augústi festo sanctæ Pomæ fuit assignáta, tum propter pópuli concúrsum in Basílicam sancti Pontíficis, intra octávam solemnitátis ejus, frequentiórem; tum propter Relíquias beátæ Vírginis in eádem capsa inclúsas, in qua sancti Mémmii Relíquiæ per has festivitátes coléndæ exhibebántur. Ab antíquo autem síngulis cujúsque hebdómadæ fériis sextis fiébant a piis fidélibus ad eámdem Basílicam peregrinatiónes, sanctæ Vírginis coléndæ causa, et ejus caput in illa públice iisdem diébus exponebátur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Símile erit regnum... decem, *p.* xcv.

¶ *Si hodie sit Sabbatum, Lect.* IX *erit Homilia Vigiliæ S. Laurentii*, p. 536, *de qua fiet Comm. in Laud.*

In II Vesperis, fit Comm. SS. Cyriaci et socior., Mart., p. 533, *et S. Romani, Mart.*, p. 536.

DIE IX.

(*In Brev., heri.*)

SS. CYRIACI, LARGI ET SMARAGDI, MARTYRUM.

Semiduplex.

Off. ut p. 533, *præter seq.*

Lect. IX *de Homil. Vigiliæ S. Laurentii*, p. 536.

In Laudibus, Comm. Vigiliæ et S. Romani, ibid.

In I Vesperis seq. S. Laurentii, nihil de SS. Cyriaco, etc.

DIE XI.

S. PHILUMENÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS.

Duplex.

Off. ut in Suppl., p. ccliij, *additis seq.*

Pridie, in II Vesp. de S. Laurentio, fit Comm. de S. Philumena et de SS. Tiburtio, etc.

In III Noct., Lect. IX *de SS. Tiburtio et Suzanna, Mart.* Tibúrtius Chromátii, *p.* 516.

Ad Laudes, fit Comm. Octavæ et SS. Tiburtii, etc.

Vesperæ a Capit. de seq. S. Clara; Comm. de S. Philumena, per Ant. Símile est, ℣. Diffúsa est, *et Orat.* Deus, qui inter, *de Comm. Virginum*, p. xcvj; *de Octava S. Laurentii, ac tandem de S. Radegunde, Vidua, pro qua Ant.* Date ei, *p.* cxij, *et* ℣. Adjuvábit, *ut ad Tertiam*, ibid.

ORATIO.

Tuorum córda fidélium, Deus miserátor, illústra: et beátæ Radegúndis précibus gloriósis; fac nos próspera mundi despícere, et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóm.

DIE XII.

(*In Martyrol., cras.*)

IN FESTO S. CLARÆ VIRGINIS,

COMMEMORATIO S. RADEGUNDIS, FRANC. REG., VIDUÆ.

LECTIO IX.

Radegúndis, fília Berthárii Thuríngiæ príncipis, Clotárii primi ex captíva cónjux, beneficéntiam in páuperes, vi-

gilias, crebras oratiónes, cilicii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem conjúnxit. Occíso fratre jussu Clotárii, ab aula, ipso permitténte, discédens a sancto Medárdo in Diáconam benedicta est. Pictávos profécta, ibi ex munificéntia regis Monastérium Vírginum, sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit; impetravítque póstea a Concílio Turonénsi secúndo Congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Ea autem pietáte sacrifícium Eucharístiæ prosequebátur, ut in illíus usum panes própriis mánibus confíceret, quos divérsis suppeditábat Ecclésiis: ac præter cætera pietátis offícia, id illi máxime curæ erat, ut pro régibus indesinénter preces fíerent in Monastério. Abiit ad Dóminum anno quingentésimo octogésimo octávo, et a sancto Gregório Turonénsi terræ mandáta est, occupáto in diœcési obeúnda Merovæo Pictaviénsi, cui reservátum est, ut revérsus Missam celebráret, ac túmulo opérculum impóneret.

In Laud., fit Comm. de Oct. S. Laurentii et de S. Radegunde, per Ant. Date ei, *de Com.*, p. cxij, ℣. Spécie tua, p. cj, *et Orat.* Tuórum, *ut supra.*

DIE XVI.

S. ROCHI, CONFESSORIS.

Duplex.

Off. ut in Suppl., p. ccliv, *additis seq.*

Pridie, in II Vesperis Assumpt., fit Comm. de S. Rocho, non vero de S. Hyacintho.

In Laud., fit Comm. de Oct. Assumpt. et S. Laurentii.

Hodie, Vesp. a Capit. de die Oct. S. Laurentii; Comm. de S. Rocho et de Oct. Assumpt.

DIE XVIII.

(*In Brev.*, 16 *hujus.*)

S. HYACINTHI, CONFESSORIS.

Duplex.

Off. ut p. 564, *exceptis seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Hyacintho; Comm. de Oct. S. Laurentii, Assumpt. et de S. Agapito, p. 569.

In III Noct., Lect. IX *de S. Agapito, Mart.* Agápitus, *p.*573.

In Laudibus, Comm. de Oct. Assumpt. et de S. Agapito.

(*Si seq. dies sit Dominica, Off. S. Joachim transfertur in proximam diem non impeditam.*)

Vesperæ de seq. S. Elaphio; Comm. de S. Hyacintho et de Oct. Assumpt.

DIE XIX.

S. ELAPHII, CATAL. EPISC.
ET CONFESSORIS.

Duplex majus.

Omnia de Com. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.* (m.t.v.)

ORATIO.

Omnipotens Deus, qui beátum Eláphium, Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti: eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ, cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam

salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *p.* lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex variis Ecclesiæ Catalaun. Monum., et ex S. Greg. Turon., Lib. 5. Hist. Cap. 41.

ELAPHIUS, decimusséptimus Catalaunénsis Epíscopus, Lemóvicis claro génere natus, patre Leóne, fratrem hábuit Leudomírum, qui et ipse póstea Catalaunénsi Ecclésiæ laudabiliter et sancte præfuit. Ab infántia divínis obséquiis ac pietáti sese totum dévovens, sacras lítteras cúpide dídicit; et ita se sapiénter gerébat, ut in ejus sermóne et móribus nihil inordinátum, nihil étiam puerile apparéret.

LECTIO V.

REGNANTE Sigebérto, Clotárii fílio, creátus Epíscopus Catalaunénsis, in ómnibus seípsum præbuit exémplum bonórum óperum; famáque sanctitátis et doctrínæ fuit ipsis Princípibus commendábilis et charus. Cum propter causas Brunechildis regínæ, ut refert sanctus Gregórius Turonénsis, in Hispánias Legátus diréctus fuisset, in morbum íncidit, et nímia febre corréptus, spíritum exhalávit.

LECTIO VI.

RELATUM ad civitátem Cataláunum ejus corpus, in Ecclésia sancti Joánnis Baptístæ, olim extra muros, sepúltum est. Edúctum póstea e sepúlchro, honorífice translátum fuit in sacrum Príncipis Apostolórum ædem, ubi religióse colebátur. Exeúnte autem sæculo decimooctávo, abólita sancti Petri Abbátia, íterum hoc sacrum pignus in sancti Præcursóris Ecclésiam asportátum fuit, ibique étiam nunc asservátur fidélium veneratióni exhibéndum.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Homo péregre, *primo loco*, p. lvij.

In Laud., Com. Oct. Assump.

In II Vesp., fit Comm. seq. S. Bernardi et Oct. Assumpt.

DIE XXV.

S. LUDOVICI, REGIS, CONF.

Duplex majus.

Offic. ut in Brev., p. 588, *præter sequentia.*

In I Noct., Lect. Beátus vir, *de Communi*, *secundo loco*, p. lxxix.

In II Vesperis, fit Commemoratio de sequenti S. Zephyrino, Papa et Mart.

DIE III SEPTEMBRIS.

S. MANSUETI, I TULL. EPISC. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Oratio Exáudi, *p.* l.

Pridie, Vesp. de S. Mansueto; Comm. de præc. S. Stephano.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

BEATUM Mansuétum ad Leucórum pópulos a Sede Apostólica missum, primum Tulénsis Ecclésiæ Epíscopum, ex constánti et indubitáta traditióne compértum est. Is, Leucórum appéllens oris, ópere potens et sermóne, verbi divíni prædicatiónem signis obtéstans et virtútibus, perversíssimos immutávit rerum status : vana deórum simulácra sústulit, superstitiónes nefárias et execrábiles ritus discússit, struxit Deo altária, templa dedicávit, olim agréstes hóminum sensus mitigávit, sensímque ab illa morum asperitáte ad Christiánæ religiónis mansuetúdinem pelléxit.

LECTIO V.

QUANTUM óperi Christi allaboráverit Mansuétus, quot ánimas ab erróribus et flagitiórum cœno expedíverit, quot cœlo filios præmíserit, quot genúerit pósthumos, vel ex iis solis conjicere licet longe lateque diffúsis Ecclésiæ, cujus pater est, fínibus. Cum charíssimi gregis parva cunábula, magna incrementórum accessióne locupletásset, multis méritis dives, morte plácida defúnctus est, plenus diérum, et in oratório, quod ipse sub invocatióne sancti Petri Apostolórum Príncipis dedicásse tráditur, ad urbis subúrbium ipsíus nómine subinde vocátum, sepultúram accépit.

LECTIO VI.

IN tantum autem increbúerat ipsíus fama et sanctitátis opínio, ut ei, vix e vita defúncto, populórum suffrágiis, Sanctórum honóres deláti sint. Cui quidem religiósæ veneratióni própalam suffragátus est Deus multis illis, quæ ad ipsíus túmulum patráta sunt, miráculis : ex quibus præcípua, quæ suo témpore fiébant, conscrípsit Adso Monastérii sancti Apri Mónachus, et Episcopálium Scholárum Præféctus. Tértio Nonas Septémbris, beátus Ado, et Martyrológium Románum laudant memóriam sancti Mansuéti Epíscopi et Confessóris.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *de Comm., secundo loco*, p. lxiij.

Singula Officia pro Clero Catalaunensi in hac Parte Æstiva adnotata sic adprobata fuere Decreto lato die 23, mense Decembri, anno superiori 1852.

In quorum fidem.... Ex secretaria Congregationis Sacrorum Rituum. die 27 Julii 1853.

Dom. GIGLI, S. R. C. *Secretar.*

KALENDARIUM

CLERO CATALAUNENSI PROPRIUM.

FESTA MOBILIA.

OFFICIA VOTIVA.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA MAII.

20 S. Bernardini Senensis, Conf., *semid.* 352

21 S. Petri Cœlestini, Papæ et Conf. (*e* 19 *hujus*), *dupl.* cclxxij

22 S. Ubaldi, Ep. et Conf. (*e* 16 *hujus*), *semid.* *Ibid.*

23

24 B. M. V., sub titulo : Auxilium Christianorum, *dupl. maj.* *Ibid.*

25 S. Gregorii VII, Papæ et Conf., *dupl. Com* S. Urbani I, Papæ et Mart. 353

26 S. Philippi Nerii, Conf., *dupl. Com.* S. Eleutherii I, Pap. et Mart. 356

27 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virg., *dupl. Com.* S. Joannis I, Papæ et Mart. cclxxij

28 S. Germani, Parisiensis, Ep. et Conf., *dupl.* *Ibid.*

29

30 S. Felicis I, Papæ et Mart., *simpl.* 361

31 S. Petronillæ, Virginis, *simpl.* *Ibid.*

FESTA JUNII.

1

2 SS. Pothini, Ludg. Ep., Blandinæ, Virg., et Soc., Mart. *dupl. Com.* SS. Marcellini, etc., Mart. cclxxiij

3 S. Clotildis, Reg. Franc., Viduæ, *dupl.* cclxxv

4 S. Francisci Caracciolo, Conf., *dupl.* 362

5

6 S. Norberti, Ep. et Conf., *dupl.* 364

7

8

9 SS. Primi et Soc., Mart., *simpl.* 365

10 S. Margaritæ, Reg. Scotiæ, Viduæ, *semid.* 366

11 S. Barnabæ, Apost., *dupl. maj.* 368

12 S. Joannis a S. Facundo, Conf., *dupl. Com.* SS. Basilidis, etc., Mart. 371

13 S. Antonii de Padua, Conf., *dupl.* 374

14 S. Basilii Magni, Ep., Conf. et Doct., *dupl.* 375

15 SS. Viti et Soc., Mart., *simpl.* 378

16

17

18 SS. Marci et Soc., Mart., *simpl.* 379

19 S. Julianæ de Falconeriis, Virg., *dupl. Com.* SS. Gervasii, etc., Mart. *Ibid.*

20 S. Silverii I, Papæ et Mart., *simpl.* 382

21 S. Aloysii Gonzagæ, Conf., *dupl.* 383

22 S. Paulini, Ep. et Conf., *simpl.* 386

23 Vigilia. 387

24 Nativitas S. Joannis Baptistæ, *dupl.* 1 cl., cum Oct. 388

25 S. Gulielmi, Abb., *dupl. Comm.* Oct. 396

26 SS. Joannis et Pauli, Mart., *dupl. Comm.* Oct. 397

27 De Octava S. Joannis Baptistæ, *semid.* 401

28 S. Leonis II, Papæ et Conf., *dupl. Com.* Oct. et Vigil. cclxxvj

29 SS. Petri et Pauli, Apost., *dupl.* 1 cl., cum Oct. *Com.* Omn. SS. Apost. *Ibid.*

30 Commemoratio S. Pauli, Apost., *dupl. Comm.* S. Petri, Apost. et Oct. S. Joannis. 411

FESTA JULII.

1 Dies Octava S. Joannis Baptistæ, *dupl.* *Com.* Oct. SS. Apost. 431
2 Visitatio B. M. V., *dupl.* 2. cl. *Com.* SS. Processi, etc., Mart., tantum. 433
3 S. Irenæi, Lugd. Ep. et Mart., (*e 28 Junii*), *dupl.* *Com.* de Oct. cclxxvj
4 De Octava, *semid.* 441
5 De Octava, *semid.* 443
6 Dies Octava SS. Apost. Petri et Pauli, *dupl.* 445
7
8 S. Elisabeth, Reginæ Portugalliæ, Viduæ, *semid.* 447
9
10 SS. Septem Fratrum, Mart. et SS. Rufinæ ac Secundæ, Virg. et Mart., *semid.* 452
11 S. Pii I, Papæ et Mart., *dupl.* cclxxvj
12 S. Joannis Gualberti, Abb., *dupl.* *Com.* SS. Naboris, etc., Mart. 455
13 S. Anacleti I, Papæ et Mart., *dupl.* cclxxvij
14 S. Bonaventuræ, Ep., Conf. et Doct., *dupl.* 460
15 S. Henrici, Imperatoris, Conf., *dupl.* cclxxviij
16 Commem. B. V. Mariæ de Monte Carmelo, *dupl. maj.* 463
17 S. Alexii, Confessoris, *semid.* 466
18 S. Camilli de Lellis, Conf., *dupl.* *Com.* SS. Symphorosæ et Septem Filiorum, Mart. 467
19 S. Vincentii a Paulo, Conf., *dupl. maj.* cclxxviij
20 S. Hieronymi Æmiliani, Conf., *dupl.* *Com.* S. Margaritæ, Virg. et Mart. 474
21 S. Praxedis, Virginis, *simpl.* 477
22 S. Mariæ Magdalenæ, Pœnitentis, *dupl.* 478
23 S. Apollinaris, Ep. et Mart., *dupl.* *Com.* S. Liborii, Ep. et Conf. 483
24 S. Christinæ, Virg. et Mart, *semid.* *Com.* Vigiliæ. cclxxviij
25 S. Jacobi, Apost., *dupl.* 2 cl. *Com.* S. Christophori, Mart. 486
26 S. Annæ, Matris B. M. V., *dupl. maj.* 489
27 S. Pantaleonis, Mart., *simpl.* 490
28 SS. Nazarii, Celsi et Victoris, Papæ, Mart. ac S. Innocentii, Papæ et Conf., *semid.* 491
29 S. Lupi, Trecens. Ep. et Conf., *dupl.* *Com.* SS. Felicis, etc., Mart. cclxxviij
30 S. Marthæ, Virginis (*ex heri*), *semid.* *Com.* SS. Abdon., etc., Mart. cclxxix
31 S. Ignatii de Loyola, Conf., *dupl.* 496

FESTA AUGUSTI.

1 S. Petri ad Vincula, *dupl. maj.* *Com.* S. Pauli, Apost. et SS. Machabæorum, Mart. 498
2 S. Alph. Mariæ de Lig., Ep. Conf., *dupl.* *Com.* S. Stephani I, Papæ et Mart. 505
3 Invent. Corporis S. Stephani, Protom., *dupl. maj.* *In Cath.*, *dupl.* 2 cl. cclxxx

FESTA SEPTEMBRIS.

PARISIIS — TYPIS ADRIANI LE CLERE,
Via Cassette, 29.

PROPRIUM OFFICIORUM
DIŒCESIS CATALAUNENSIS.

FESTA MOBILIA.

DOMINICA II OCTOBRIS.
MATERNITATIS B. M. V.
Duplex majus.
Offic. ut in Suppl., p. ccvij.

DOMINICA III OCTOBRIS.
PURITATIS B. M. V.
Duplex majus.
Offic. ut in Suppl., p. ccxij.

DOMINICA IV OCTOBRIS.
PATROCINII B. M. V.
Duplex majus.
Offic. ut in Suppl., p. ccxviij.

DOM. INFRA OCT. OMN. SS.
SS. RELIQUIARUM, SEU SS.
QUORUM CORPORA ET RELIQUIÆ IN CATHEDRALI ET ALIIS ECCLESIIS ASSERVANTUR.
Duplex II classis.

Omnia de Comm. plurim. Mart., p. xxxv, *præter sequent.*

ORATIO.

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes; cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Fit Comm. Dominicæ occ.; *cui præmittitur* (*ad Vesp. et Laud.*) *Comm. de Die Octava Omn. SS., si Dominica occurrat die* 8 *Novembris.*

IN I NOCTURNO.

Lect. Fratres, Debitóres, *de Comm.*, p. xxxviij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

PLURA habéntur Cataláuni Sanctórum pígnora, tam in Majóri Basílica sancti Stéphani, quam in Ecclésiis sancti Joánnis Baptístæ et sancti Lupi intra muros; et extra muros in Ecclésia sancti Mémmii atque in Sacéllo sanctæ Pudentiánæ. Ea, plebs Catalaunénsis, ut secúrum urbis præsídium, religiósis semper cóluit obséquiis; Sanctósque, quorum pretiósæ sunt exúviæ, fidos sui Tuteláres multóties expérta est. Ut autem solémni cum pompa illos omnes simul venerarétur pópulus fidélis, ab omni retro ætáte célebris institúta est, Féria secúnda post Pentecósten, Supplicátio, in qua omnes Capsæ, quibus continéntur sacra hæc pígnora honorificentíssime circumferúntur per urbem, ac tandem omnes in Ecclésiæ Cathedrális navim illátæ, ibi pietáti fidélium exponúntur, usque ad solémnem Fériæ tértiæ Supplicatiónem, in qua post re-

cónditas Cathedrális Relíquias, cæteræ íterum deferúntur própriis sédibus reddéndæ.

LECTIO V.

SECUNDA porro et tértia post Pentecósten Fériæ sunt eo conveniéntius pompæ tam solémni destinátæ, quod firma fide semper Ecclésia Dei tenúerit, Sanctórum córpora fuísse Spíritus sancti, cujus festum hisce diébus celebrátur, templa dum víverent, eorúmque ossa et cíneres étiam nunc divína virtúte repléri. Cum autem his in Fériis non líceat Offícium de sacris illis exúviis péragi, iísdem et áliis, quæ in divérsis Diœcéseos Ecclésiis asservántur, peculiáriter honorándis assignáta fuit olim dies octáva festi omnium Sanctórum, nunc vero Domínica infra eámdem Octávam; nec immérito, cum honos Relíquiis Sanctórum exhíbitus sit ipsórum glóriæ post mortem pars non módica.

LECTIO VI.

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi. *In S. Mart. Ignatium.* § 5.

RELIQUIAS Sanctórum nobis concéssit Deus, ut nos ad se eórum ópera perdúcat, et sint nobis velut portus quidam, et idóneum solátium malórum, quæ assídue nos afflígunt. Quamóbrem vos omnes cohórtor, Fratres, si quis vestrum ægritúdine ánimi, vel córporis morbo, vel quavis ália calamitáte, aut peccatórum mole prémitur, ut cum fide huc accédat; et ab áliis ómnibus liberátus, magna cum lætítia revertétur, et aspéctu solo consciéntiam tranquilliórem reportábit. Quin étiam éxpedit, ut non solum ii, qui ærúmnis affécti sunt, huc sese cónferant; sed illi étiam, qui et ánimi quiéte, et glória, et poténtia, et magna apud Deum fidúcia perfruúntur, hanc utilitátem non négligant. Qui enim huc accédit, et Sanctum videt, bona hæc effíciet stabilióra: et memória recte factórum ejus ánimum suum reddet moderatiórem; nec consciéntiam suam bonis opéribus efférri atque intuméscere patiétur.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *C.* 20.

IN illo témpore: Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem, et interrogavérunt Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi, Presbyteri.

Adversus Vigilantium, ante medium.

DOLET (Vigilántius) Mártyrum Relíquias pretióso operíri velámine; et non vel pannis, vel cilício colligári. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum Basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constantínus imperátor, qui sanctas Relíquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constan-

tinópolim, apud quas dæmones rúgiunt. Sacrílegus dicéndus est et nunc Augústus Arcádius, qui ossa beáti Samuélis longo post témpore de Judæa tránstulit in Thráciam? Omnes Epíscopi non solum sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam et cíneres dissolútos in sérico et vase áureo portavérunt? Stulti ómnium Ecclesiárum pópuli, qui occurrérunt sanctis Relíquiis, et tanta lætítia, quasi præséntem viventémque Prophétam cérnerent, suscepérunt. Mórtuum suspicáris, et idcírco blasphémas. Lege Evangélium : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuórum, sed vivórum.

Lectio viii. *Longe post.*

Male facit ergo Románus Epíscopus, qui super mortuórum hóminum Petri et Pauli, secúndum nos ossa veneránda, secúndum te vilem pulvísculum, offert Dómino sacrifícia, et túmulos eórum Christi arbitrátur altária? Et non solum uníus urbis, sed totíus orbis errant Epíscopi, qui caupónem Vigilántium contemnéntes, ingrediúntur Basílicas mortuórum, in quibus pulvis vilíssimus et favílla, néscio quæ, jacet linteámine convolúta, ut pollúta ómnia pólluat : et quasi sepúlchra pharisáica foris dealbáta sint, cum intus immúndo cínere, juxta te, immúnda ómnia óleant atque sórdeant. O portúntum in terras últimas deportándum!

Lect. ix *Homil. Dom. occur.*

In Laudibus, Comm. de Dom. et de Simplici occurr.

In II Vesperis, Comm. de Dom. et de seq. Simplici et supra.

DOM. POST OCTAV. OMN. SS.

ANNIV. DEDICATIONIS CATHEDRALIS CATALAUNENSIS CÆTERARUMQUE ECCLESIARUM IN GALLIA.

Duplex I cl. cum Oct.

Omnia de Comm. Dedicationis Eccl., p. cxiv, *additis seq.*

In I Vesperis, fit sola Comm. Dominicæ occ.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Anno ab Incarnatióne Dómini millésimo centésimo quadragésimo séptimo, regnánte in Gálliis Ludovíco séptimo, Eugénius Tértius summus Póntifex a Bartholomæo Catalaunénsi Epíscopo rogátus, Catoláunum venit, comitántibus eum octódecim sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálibus, et Parisiénsi, Autissiodorénsi, Nivernensíque Epíscopis. In urbe cum summo, prout decébat, honóre recéptus est, et séptimo Kaléndas Novémbris Basílica Cathedrális ab eo consecráta est, præséntibus Cardinálibus et Epíscopis supradíctis, atque plúribus Abbátibus, et Canónicis Ecclésiæ Catalaunénsis. Bartholomæus et álii cum ipso Epíscopi Basílicam intus et foris circum-

eúndo, aquæ benedíctæ aspersióne lustrárunt.

LECTIO V.

PAPA vero consecrávit majus altáre in honórem sanctíssimæ Trinitátis, et beatíssimæ Vírginis Dei Genitrícis Maríæ, sancti Protomártyris Stéphani, sancti Joánnis Baptístæ, et sanctórum Valérii, Vincéntii, Chrysánthi et Dáriæ, Mártyrum. Précibus ínsuper Bartholomæi Epíscopi ánnuens, de Relíquiis beátæ Nymphæ Vírginis quas secum deferébat in altári cum álio Sanctuário seu Reliquiário recóndidit. Iis peráctis, Domnus Apostólicus Missam solémniter celebrávit; qua celebráta, pergens cum Cardinálibus et Epíscopis totóque Clero ad locum, qui Jardum dícitur, Sermónem de Solemnitáte Dedicatiónis ad pópulum hábuit. In perpétuam hujúsce Consecratiónis memóriam, Eugénius státuit ut solus Epíscopus ad majus altáre confessiónem ante Missam fáceret.

Lectio VI, Quotiescúmque, *quarta de Dedicat.*, p. CXX.

In III Nocturno, Lect. IX *Homil. Dom. occ., cujus fit Com. in Laudibus.*

Ad II Vesperas, fit Com. de Dom. et de seq. Semiduplici et supra.

De diebus infra Octavam, non fit Comm. in Duplicibus II classis; sed tantum in Vesperis et Laudibus Semiduplicium et Duplicium.

DOMINICA SEQUENTI.

IN OCTAVA DEDICATIONIS.

Duplex.

Officium de Die Octava Dedicationis, p. CXXXVj.

Fit Com. de Dom. occurr. in utrisque Vesperis, tertio Nocturno et Laudibus.

¶ *Si hæc Dom. inciderit in diem* 21 *Novemb., fiet Officium de Præsentatione B.M.V., cum Com. de Die Octava et de Dom., cujus legetur Homilia.*

OFFICIA VOTIVA.

A SS. Trinitate usque ad Adventum, extra Quatuor Tempora, Vigilias Octavasque privilegiatas, modo non occurrat Festum Duplex aut Semiduplex, etiam translatum, vel Officium Dominicæ anticipandum, fit, more votivo et sub ritu semiduplici :

1° *Singulis Feriis* V, *de SS. Sacramento, ut in Sup.*, p. CCXX.

2° *Singulis Sabbatis, de Immaculata Conceptione Deiparæ, ut in Suppl.*, p. CCXXXIV.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE III.

S. MANSUETI, I TULL. EPISC. ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.* *Oratio* Exáudi, *p.* l.

Pridie, Vesperæ de S. Mansueto; Comm. de præcedenti S. Stephano.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Beatum Mansuétum ad Leucórum pópulos a Sede Apostólica missum, primum Tullénsis Ecclésiæ Epíscopum, ex constánti et indubitáta traditióne compértum est. Is, Leucórum appéllens oris, ópere potens et sermóne, verbi divíni prædicatiónem signis obtéstans et virtútibus, perversíssimos immutávit rerum status: vana deórum simulácra sústulit, superstitiónes nefárias et execrábiles ritus discússit, struxit Deo altária, templa dedicávit, olim agréstes hóminum sensus mitigávit, sensímque ab illa morum asperitáte ad Christiánæ religiónis mansuetúdinem pelléxit.

LECTIO V.

Quantum óperi Christi alláboráverit Mansuétus, quot ánimas ab erróribus et flagitiórum cœno expedíverit, quot cœlo fílios præmíserit, quot genúerit pósthumos, vel ex iis solis conjícere licet longe latéque diffúsis Ecclésiæ, cujus pater est, fínibus. Cum charíssimi gregis parva cunábula, magna incrementórum accessióne locupletásset, multis méritis dives, morte plácida defúnctus est, plenus diérum, et in Oratório, quod ipse sub invocatióne sancti Petri Apostolórum Príncipis dedicásse tráditur, ad urbis subúrbium ipsíus nómine subínde vocátum, sepultúram accépit.

LECTIO VI.

In tantum autem increbúerat ipsíus fama et sanctitátis opínio, ut ei, vix e vita defúncto, populórum suffrágiis, Sanctórum honóres deláti sint. Cui quidem religiósæ veneratióni própalam suffragátus est Deus multis illis, quæ ad ipsíus túmulum patráta sunt, miráculis: ex quibus præcípua, quæ suo témpore fiébant, conscrípsit Adso Monastérii sancti Apri Mónachus, et Episcopálium Scholárum Præféctus. Tértio Nonas Septémbris, beátus Ado, et Martyrológium Románum laudant memóriam sancti Mansuéti Epíscopi et Confessóris.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *de Comm.*, *secundo loco*, p. lxiij.

DIE VII.

S. ALPINI, CATAL. EPISC. ET CONFESSORIS.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Alpínum, Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO.

Lectio Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex antiquis Eccl. Catal. Monumentis et veteribus Historicis.

ALPINUS, séptimus a sancto Mémmio Ecclésiæ Catalaunénsis Epíscopus, in vico hujus Diœcéseos, qui Báya dícitur, illústri génere natus est paréntibus Christiánis. A téneris annis ad virtútem institútus, et bonis lítteris imbútus est. Adoléscens beáto Lupo, Trecénsi Epíscopo, quem Sidónius Apollináris vocat normam morum, virtútum colúmnam, Patrem Patrum, et Gallicanórum Pontíficum fácile príncipem, in disciplínam tráditus fuit. Hac in célebri schola quantum profécerit, probat singuláris amor, quo eum Magíster sanctíssimus semper prosecútus est.

LECTIO V.

MISSIS in majórem Británniam Germáno Autissiodorénsi et Lupo Trecénsi, ut novis Pelagianórum mótibus turbátam et concússam Insulam ab ipsórum erróribus expurgárent, et in fide solidárent, num Alpínus itíneris comes fúerit incértum est. Constat autem, eo jam témpore tantam de virtútibus quibus pollébat opiniónem fuisse disseminátam, ut Províncto, Catalaunénsi Præsule mórtuo, Alpínus absens illi succéssor, Cleri populorúmque unánimi consénsu postulátus et designátus fúerit. Commendátur in eo máxime singuláris modéstia, qua regímini animárum ímparem se exístimans, fugam meditabátur; laudátur étiam sincéra ejus erga Magístrum suum Lupum reveréntia, cujus auctoritáti cedens, onus Sacerdotále suis húmeris impóni passus est.

LECTIO VI.

PONTIFEX factus, tam exímia pietáte, quam indeféssæ sollicitúdinis opéribus incláruit. Animam pro sibi commíssis óvibus pónere semper parátus, mira charitáte váriis sui gregis necessitátibus, et quidem témpore difficíllimo, constánter et abundánter subvénit. Bárbaros hostes, quibus ferox

ille Attila præerat, Cataláunicis agris imminére conspiciens, précibus atque méritis ab illórum incúrsibus pópulum et univérsam civitátem incólumem servávit. Suæ autem Diœcéseos partem transeúnte Dei Flagéllo vastátam, in viscéribus misericórdiæ perlustrávit, dissipavítque omne malum in intúitu suo. Quod contra visíbiles hostes, hoc advérsus príncipes tenebrárum pótuit : a dæmone enim obséssos sæpius liberásse tráditur. Tandem Apostólicis Episcopátus diutúrni labóribus sanctíssime perfúnctus, ánimam in suo natáli solo Báya, séptimo Idus Septémbris, post quinti sæculi médium, Deo réddidit, ibíque sepúltus est.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang.. Homo péregre, *de Comm., primo loco*, p. lvij.

Vesperæ de Nativ. B. M. V.; Comm. de S. Alpino.

DIE XXIII.

S. LINI I, PAP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 359, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Lino; Comm. de præced. S. Thoma et de S. Thecla.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I.

S. REMIGII, EP. ET CONF.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 383, *exceptis seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Remigio; Comm. de præced. S. Hieronymo.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex Avito, Fortunato, S. Greg. Turon., Hincmaro, et Flodoardo.

REMIGIUS, Laudúni natus est paréntibus Æmílio et sancta Cilínia jam ætáte provéctis. Ejus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine ; qui et visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte, quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos et vigínti, ob seníles in adolescéntia mores ad Episcopátum Reménsem præter voluntátem raptus est. Onus Episcopále effúgere non valens, tanquam veteránum se gessit in regímine Ecclésiæ suæ. Exímia erat erga páuperes liberalitáte et in pœniténtes singulári cleméntia. Potens in Scriptúris, quod ore docébat, implébat ópere, exémplum factus fidélium. Pópulis ad fidem convérsis, novos Episcopátus instítuit : Terváuæ, ubi sanctum Antimúndum; Atrébatis, ubi sanctum Vedástum ; Laudúni, ubi sanctum Genebáldum præfécit.

LECTIO V.

CUM Clodovéus Alemánnos Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellásset, et instánti Remígio ut fidem profiterétur, respondisset, veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescívit pópulus, statim accla-

mávit : Mortáles deos abígimus, pie Rex; et Deum, quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus. Tum Remígius Clodovéum, quem fídei documéntis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis depóne colla, Sicámber; adóra quod incendísti, incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit chrísmate cum signáculo Crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius Baptísmo initiáti sunt; simul et Alboflédis soror Clodovéi, quæ cum paulo post decessísset, Remígius per lítteras Regem est consolátus. Lanthíldis quoque áltera ejus soror ab Ariána hæresi revocáta, sacro chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Clodovéum Gothis bellum parántem, utilíssimis regno administrándo consíliis per lítteras sanctus Præsul instrúxit; eidémque auctor fuit ut Concílium Aurelianénse indíceret.

LECTIO VI.

REMENSEM Ecclésiam septuagínta ámplius annos summa cum laude bonus Pastor gubernávit. Mirácula prope innúmera édidit : ariáno Epíscopo vocis usum ábstulit, quem póstea, véniam per nutus poscénti réddidit; cæcis visum, et mórtuæ puéllæ vitam restítuit. Sui tránsitus diem non ignórans, finítis Missárum Solémniis, ac plebe sacro Christi córpore confirmáta, valefécit Clero et pópulo, dans síngulis pacem in ósculo oris Dómini, tuncque plenus diérum et óperum, ex hac vita decéssit, Idibus Januárii, anno ætátis nonagésimo sexto, Christi vero quingentésimo trigésimo tértio. Cujus tamen Festum celebrátur die prima Octobris, qua multis cum prodígiis ipsíus veréndum corpus, quod primo in Ædicula sancti Christóphori sepúltum fúerat, in Basílicam nómine Remígii insignítam a sancto Leóne Papa nono translátum est, ubi étiam nunc magna cum veneratióne asservátur et cólitur.

Vesperæ de seq. SS. Angelis Custod.; Com. de S. Remigio.

DIE III.

S. LEUDOMIRI, CATAL. EPISC. ET CONFESSORIS.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

In Hymno, Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Leudomírum, Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfí-

ciant. Per Dóminum nostrum.

Pridie, Vesperæ de S. Leudomiro; Comm. de SS. Angelis Custod. et de S. Juvino, per Ant. Similábo, *p.* lxviij, ℣. Justum, *et Orat.* Adésto, *de Com. Conf. non Pont.*, p. lxxviij.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *de Communi*, p. lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex veteribus Eccl. Catalaunensis Monumentis.

LEUDOMIRUS fratrem hábuit sanctum Eláphium Catalaunénsem Epíscopum. Tanti fratris amóre et desidério ductus, relicta pátria, Cataláunum perréxit. Plúrimum fratérna eórum concórdia Catalaunénsi Ecclésiæ prófuit; cui étiam hæreditária prædia Lemóvicis in pagis sita, donatióne pública tradidérunt. In Diaconátus órdine Leudomírus Eláphio primum ministrávit. Propter autem probátos in sacro ministério mores et notam vitæ sanctitátem, fratre mórtuo, décimus octávus Catalaunénsis Epíscopus ómnium votis eléctus est.

LECTIO V.

TANTO auctus honóre ministérium suum multis virtútibus ac miráculis illustrávit. Crucis signáculo cææ mulíeris óculos apéruit; pestem exitiálem, précibus ad Deum fusis, dépulit; plúrimos energúmenos ab inféta dæmonum possessióne liberávit, et Diœcesim suam perlústrans, multis áliis miráculis cláruit. Si quando ad aulam régiam evocabátur, pastorálem sollicitúdinem non abjíciens, páuperum necessitátibus consulébat, víduas ac pupillos in tutélam recipiébat, et quoscúmque injúste oppréssos nóverat, suo patrocínio tuebátur.

LECTIO VI.

POSTQUAM plebi sibi créditæ præbuísset exémpla virtútum ómnium, inter quas commendátur mirábilis ejus cástitas, beátus Epíscopus migrávit a sæculo, regnánte in Austrásia Childebérto secúndo, anno ætátis suæ septuagésimo quinto. Juxta fratrem suum in Ecclésia sancti Joánnis Baptístæ sepúltus fuit. Sacrum ejus corpus e túmulo edúctum, tránstulit Rogérius secúndus, vergénte undécimo sæculo, in Abbatiálem Ecclésiam, quam ipse sub título ómnium Sanctórum ædificáverat; a quo témpore in eádem Abbátia apud canónicos reguláres honorífice asservátum est. Quæ cum sub fine sæculi décimi octávi solo adæquáta fuísset, veréndi hujus pígnoris pars non mínima in Ecclésiam Cathedrálem asportáta est, ubi piis fidélium obséquiis religióse cólitur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Homo péregre, *de Comm., primo loco*, p. lvij.

Pro S. Juvino, Conf.

LECTIO IX.

Ex Boll., pluribus Martyrol. et Auctoribus.

JUVINUS, seu Jovínus, obscúrus génere, ex agro Reménsi dícitur oriúndus. Circa décimi sæculi médium, multis méritis dives, plácida morte, ad cœléstem pátriam migrásse tráditur. Miráculis autem servi Dei sanctitátem vulgántibus, super túmulum ejus, in território Dulcriménsi, cóndita est Ecclésia, cui adjúnctus pagus sancti Juvíni nómine insignítus fuit. Deínde in Campánia et in áliis quibúsdam Provínciis finítimis, plures Ecclésiæ sub ejus invocatióne dedicátæ sunt.

In Laudibus, pro Com. S. Juvini, Ant. Euge serve bone, *p.* lxxviij, ℣. Amávit, *et Oratio* Adésto, *de Comm. Conf. non Pont.*, p. lxviij.

Ad II Vesperas, Comm. de seq. S. Francisco, p. 391.

DIE VII.

S. MARCI I, PAP. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Exáudi, Dómine, preces, *p.* 396.

Pridie, Vesperæ a Cap. de S. Marco; *Comm. de S. Brunone et de SS. Sergio, etc.*, p. 396.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lectio IV, Marcus Románus, *de Proprio Sanctorum*, p. 396.

Lect. V *et* VI, Sermo sancti Máximi, *de Comm., primo loco,* p. lv.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *secundo loco*, p. lxiij.

In Laudibus, fit Comm. de SS. Sergio, etc., p. 397.

Vesperæ a Cap. de seq. S. Birgitta; Commemor. de S. Marco.

DIE IX.

SS. DIONYSII, EPISCOPI, RUSTICI ET ELEUTHERII, MARTYRUM.

Duplex.

Offic. ut in Brev., p. 398, *præter seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de SS. Dionysio, etc.; *Comm. de præced. S. Birgitta.*

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Francisco Borgia ; Comm. de SS. Martyribus Dionysio, etc.

DIE X.

S. FRANCISCI BORGIÆ, CONFESSORIS.

Duplex.

Offic. ut in Brev., p. 400.

DIE XIV.

S. MANEHILDIS, VIRG.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg., p. lxxxiv, *præter seq.*

Orat. Exáudi, p. lxxxvj.

Pridie, Vesperæ S. Manehildis; *Comm. de præc. S. Eduardo.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex veteribus Eccles. Catalaun. Monumentis et variis Scriptoribus.

MANEHILDIS patrem hábuit Sígmarum, matrem Lintrúdem, et circa quinti sæculi médium nata est in pago Perténsi. Institúta ad pietátem a Presbytero quodam, nómine Eugénio, ejus hortátu spretis sæculi núptiis, Sponso Christo fidem vovens, a sancto Alpíno, Catalaunénsi Epíscopo, Vírginum velámen accépit. Piis exercítiis totam se primum in patérna domo dedit. Mórtuis autem paréntibus, ut libérius Deo vacáret et sacrum propósitum consummáret, beáta Manehíldis in hæreditárium vicum Matrónæ adjacéntem, nómine Bienvíllam, se cóntulit. Ibi Virgo sápiens assíduis oratiónibus ánimam pascébat, corpus affligébat jejúniis, dæmonísque artes et dolos cœléstí prudéntia frangébat.

LECTIO V.

SI quando domésticos excedébat límites, ad sorórem natu majórem properábat, ut cum ea de rebus divínis colloquerétur, vel infírmos adibat et páuperes, quos solándo subleváret. Multis tandem hujúsmodi pietátis offíciis perfúncta, migrávit ad Dóminum, sepúltaque est in eódem loco quem vivens illustráverat. Beátæ Manehildi fuérunt soróres, Lintrúdis, Ama, Hoildis, Pusínna, Fráncula et Líbera seu Libéria, quæ eámdem vitam, sénsibus quidem ásperam, sed Vírginum pietáti cóngruam et suávem, duxérunt, et sicut sanctæ colúntur.

LECTIO VI.

SACRUM Manehíldis corpus in magna veneratióne jam diu hábitum, Erchénraus Catalaunénsis Episcopus e prædicto vico dedúxit solémni pompa in Monastérium sancti Urbáni recens constrúctum et cum áliis sanctis pignóribus recónditum. Ex antedícto monastério bráchium et costa post multos annos in villam quæ ejúsdem Vírginis nómine nobilitáta est, transláta sunt ab Archambáldo Catalaunénsi Præsule, et parochiáli Ecclésiæ concrédita, anno Dómini trecentésimo septuagésimo nono super millésimum, die décima quarta mensis Octobris, regnánte Francórum rege Cárolo Quinto. Qui quidem Archambáldus, ut devótam plebis lætítiam gemináret, eúmdem diem natális et translatiónis festum indíxit.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Símile erit... thesáuro, *de Comm. non Virg., primo loco*, p. cx.

Vesperæ a Capit. de sequenti S. Theresia; Comm. de S. Manehilde.

DIE XVI.

S. BERCHARII, ABB., MART.

Duplex.

Omnia de Comm. unius

Mart., p. xx, *præter sequentia.*

Oratio, Præsta, quæsumus... ut qui, *p.* xxj.

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Berchario; Comm. de præc. S. Theresia.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex S. Bercharii vita auctore Adsone Abb., apud Mabillon.

BERCHARIUS nóbili génere in Aquitánia natus, a púero sacris Ministériis a sancto Nivárdo Reménsi Epíscopo destinátus: ipso quoque accuránte, óptimis magístris usus, magnos in lítteris et in virtútibus progréssus fecit. Ab eódem sancto Præsule missus Luxóvium, sub sancto Walbérto sancti Eustásii successóre, vitæ Monásticæ tirocínium pósuit, compluresque annos ibi commorátus, ipse exímius Religiósæ perfectiónis Magíster evásit.

LECTIO V.

A NIVARDO revocátus, Altivillarénse Cœnóbium ejus jussu ac súmptibus ædificávit, numerosóque Monachórum, quos congregáverat, cœtui, ipso jubénte, præfuit. Post sancti Præsulis óbitum, bene statúta hac servórum Dei statióne, amplificándi Divíni cultus, animarúmque salútis procurándæ desidério incénsus, Dervénsem in silvam concéssit, ubi duo Monastéria, unum sacris Virgínibus, álterum Viris cóndidit; éaque totis vigínti annis singulári prudéntia gubernávit. Jerosólymam ad loca sancta semel, Romam ad límina Apostolórum plúries se cóntulit.

LECTIO VI.

MULTIS demum, pro augménto Religiónis, perfúnctus labóribus, pro sanctæ conversatiónis corónide, a Daguíno pseudomónacho, quem de sacro Fonte suscéperat, disciplínam non feréute; cum in léctulo labóre fessus reclináret, instánte Pascháli Solemnitáte, ferro iníquo appetítus confossúsque, ipso mane Domínicæ Resurrectiónis, vigésima séptima die Mártii felícem ánimam Deo réddidit. Hinc ejus Festívitas Quadragesimálibus vel Paschálibus Sacris obnóxia, hodiérnæ est assignáta diéi, quæ propter ejus córporis Translatiónem célebris evásit. Sancti Mártyris relíquiæ in Ecclésia monastérii Dervénsis, nunc parochiáli, asservátæ summa devotióne colúntur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Nolite arbitrári, *de Com., tertio loco,* p. xxxiv.

Ad II Vesperas, fit Com. seq. S. Hedwigis.

DIE XXI.

S. HILARIONIS, ABBATIS.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., p. lxviij, *præter seq.*

Orat. Intercéssio, *ibid.*

Pridie, ad Vesperas S. Joannis Cantii, fit Com. S. Hilarionis et SS. Ursulæ, etc., p. 417.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lect. IV *et* V, Hilárion ortus, *p.* 417, *divisione facta ad hæc verba*, Domum revérsus.

Lect. VI, In sanctárum litterárum, *p.* 418.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus, *pro Abb.*, p. lxxxij.

Pro SS. Ursula et Soc., Virg. et Mart.

LECTIO IX.

Ex Gild. Sap. Vitaque S. Annonis et aliis.

Ursula, quæ et Saula, Virginésque áliæ plures, in excídio Británniæ, de quo Gildas Sápiens scripsit, cum plúrimi, eódem teste, transmarínas terras péterent, in advérsum Germániæ littus delátæ sunt; et a Bárbaris, qui regiónem tunc vastábant, hostíliter abdúctæ, prope Colóniam Agrippínam ad ripam Rheni, pro Christi nómine occísæ sunt. Eárum córpora sepúlta sunt Colóniæ, ubi plúrimis nobilitáta miráculis, magna fidélium veneratióne multis abhinc sæculis colúntur. Auxit et celebritátem loci sanctus Anno, ejúsdem Ecclésiæ Epíscopus, qui singulári erga beátas Mártyres pietáte affectus, ad sacros illárum cíneres sæpius pernoctábat.

In Laudibus, fit Comm. de SS. Ursula, etc., ut heri, p. 417.

Vesperæ de seq. S. Lupentio; Comm. de S. Hilarione.

DIE XXII.

S. LUPENTII, ABBATIS, MART.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Orat. Præsta, quæsumus.... ut qui, *p.* xxj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex História Francórum scripta a sancto Gregório Turonénsi.

Lib. 6. *Cap.* 37.

Lupentius, Abbas Basílicæ sancti Priváti Mártyris urbis Gabalitánæ, a Brunechílde regína arcessítus advénit. Incusátus enim, ut ferunt, fúerat ab Innocéntio supradíctæ urbis Cómite, quod profánum áliquid effátus de regína fuísset. Sed discússis causis, cum nihil de crímine Majestátis cónscius esset invéntus, discédere jussus est. Verum ubi viam cárpere cœpit, íterum ab antedícto Cómite captus, et ad Ponticónem villam dedúctus, multis supplíciis est afféctus: dimissúsque, íterum ut redíret, cum super Axonam flúvium tentórium tetendísset, íterum írruit super eum inimícus ejus. Cujus vi oppréssi amputátum caput in cúleum onerátum lapídibus pósuit, et flúmini dedit: réliquum vero corpus vinctum cum saxo immérsit gúrgiti.

LECTIO V.

POST dies vero paucos appáruit quibúsdam pastóribus, et sic extráctum a flúmine, sepultúræ mandátum est. Sed dum necessitátes fúneris parréntur, et ignorarétur quis esset a pópulo, præsértim cum caput truncáti non invenirétur, súbito advéniens áquila levavit cúleum a fundo flúminis, et ripæ depósuit. Admirantésque qui áderant, apprehénso cúleo, dum sollícite quid continéret inquírunt, caput truncáti repériunt; et sic cum réliquis ártubus est sepúltum.

LECTIO VI.

Ex veteribus Monumentis.

FACTA subínde a loci íncolis diligénti inquisitióne, innótuit quis esset, quam sancte vixísset, a quo et qua ratióne occísus. Narrat idem sanctus Gregórius Turonénsis, quod sua ætáte assererétur, lumen divínitus apparére super sancti Mártyris túmulum; addit étiam, quod, si infírmus ad hunc véniens, fidéliter deprecátus fúerit, accépta sospitáte, recédat. Sacrum Lupéntii corpus e pago Perténsi Cataláunum translátum est, ubi áliqua pars hujus veréndi pígnoris, perturbatiónibus desinéntis sæculi décimi octávi supérstes, in Ecclésia Cathedráli religióse asservátur.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Nolite arbitrári, *tertio loco*, p. xxxiv.

Vesperæ de seq. SS. Redemptore; Comm. de S. Lupentio.

DIE XXIII.

SS. REDEMPTORIS JESU.

Duplex majus.

Offic. ut in Supplemento, p. ccxlviij.

Ad II Vesperas, Comm. de seq. S. Raphaele.

DIE XXIV.

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Duplex majus.

Offic. ut in Supplemento, p. ccliv.

Ad II Vesperas, Comm. de seq. SS. Chrysantho et Daria.

DIE XXV.

SS. CHRYSANTHI ET DARIÆ, MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., p. xxxv, *præter seq.*

Orat. Beatórum, *p.* 418.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lectio IV, Chrysánthus, *p.* 418.

Lect. V, Deinde bovis, *ibid.*

Lect. VI, Sermo sancti Augustini, *de Com.*, p. xl.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 11.

IN illo témpore: Dicébat Jesus Scribis et Pharisæis: Væ vobis qui ædificátis monuménta Prophetárum: patres autem vestri occidérunt illos. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 74, *al.* 75 *in Matt.* § 1.

Væ vobis, inquit Dóminus, quia ædificátis monuménta prophetárum ; patres autem vestri occidérunt eos. Ergo testámini et consentítis opéribus patrum vestrórum, quia illi occidérunt eos; vos autem ædificátis sepúlchra eórum. Hic mentem eórum damnat, qua ædificábant; quia non in occisórum honórem, sed quasi cædes cum pompa efferéntes, et timéntes, ne témporum injúria dírutis sepúlchris , tanti ausus memória et monuméntum interíret : sic sepúlchra construébant, spléndida ædifícia quasi tropæum erigéntes, ac de illórum facinóribus gloriántes.

Lectio viii. § 2.

Vide autem quómodo Abélem opportúne in médium prodúxerit, osténdens hanc quoque necem ex invídia prodíre. Quid ergo dícere possítis? Annon scitis quid passus sit Cain? An post commíssum scelus quiévit Deus? Annon ille extrémas dedit pœnas? Annon audístis quid passi sint patres vestri, qui prophétas occidérunt? Annon mille supplíciis tráditi sunt? Cur ergo non melióres effécti estis? Sed quis est hic Zacharías? Alii patrem Joánnis esse dicunt; álii prophétam ; álii álium quemdam binóminem sacerdótem, quem Jodae vocat Scriptúra. Tu vero illud animadvérte, scelus duplex fuísse. Non enim sanctos occidébant tantum, sed étiam in locis sanctis. Hæc autem dicens non solum illos terrébat, sed étiam discípulos consolabátur, osténdens justos olim éadem esse passos.

Lectio ix.

O Dei misericórdiam, qui quamvis sciret id illis nihil profutúrum esse, sua præstáre non désiit! Mitto, inquit, licet sciam occísum iri illos. Itaque hinc témere loqui deprehendebántur cum dícerent: Non sócii fuissémus patrum. Nam et hi prophétas in Synagógis occidébant, nec locum reveríti sunt, nec personárum dignitátem : neque enim viros e vulgo occidébant, sed prophétas et sapiéntes, ne se reprehénderent. Hos intélligit esse Apóstolos eorúmque successóres : nam multi prophetábant.

Vesperæ de seq. S. Evaristo; Com. de præced. SS. Mart.

DIE XXVI.

S. EVARISTI I, PAP. ET MART.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart., p. xx, *præter sequentia.*

Oratio, Infirmitátem, *ibid.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Evaristus Græcus natióne, patre Judæo génitus, Christiánæ pietátis studiosíssimus, Trajáno imperatóre ad Cáthe-

dram Petri promótus est, sedítque in ea annos novem, menses tres. Fecit Ordinatiónes quátuor, mense Decémbri, ac creávit Presbyteros decem et septem, Diáconos duos, Epíscopos per divérsa loca quíndecim.

LECTIO V.

ECCLESIARUM Títulos Urbis Romæ Presbyteris eum divisísse légimus, ut unusquísque suæ Paræciæ términis ac limítibus distingueretúr; et mandásse, ut altária, in quibus sacra fiunt, extrúcta ex lápide, benediceréntur; ut septem Diáconi Epíscopum custodírent, ipsíque adéssent, dum prædicatiónis Evangélicæ offício et ministério fúngitur, quasi tráditæ ab illo doctrínæ testes.

LECTIO VI.

CONSTITUIT étiam ex traditióne Apostólica, ut Matrimónium públice celebrétur, et Sacerdótis benedíctio adhibeátur. His aliísque salutáribus, utilibúsque Constitutiónibus edéndis Pontificátus sui tempus transégit, non tamen illud omísit, ut simulacrórum cultum ex ánimis hóminum avélleret; qua in re, cum strénue laborásset, martyrio coronátus est, ac sepúltus prope sepúlchrum Príncipis Apostolórum in Vaticáno, séptimo Kaléndas Novémbris.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evang. Si quis venit, *primo loco*, p. xxviij.

Vesperæ a Capit. de S. Callisto; Com. S. Evaristi.

DIE XXVII.

(*In Brev. 14 hujus.*)

S. CALLISTI I, PAP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 404, *exceptis seq.*

Lectio IX *Homilia Vigiliæ SS. Simonis et Judæ*, p. 419, *cujus fit Comm. in Laudibus.*

Vesperæ de seq. SS. Apostolis; Com. de S. Callisto.

DIE XXIX.

(*In Martyrol.* 25 *hujus.*)

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRUM.

Semiduplex.

Omnia de Comm. plurim. Mart., p. XXXV, *præter seq.*

Orat., Deus, qui nos concédis, *p.* xxxvj.

Pridie, in II Vesperis SS. Simonis et Judæ, Com. SS. Crispini et Crispiniani.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex S. Greg. Tur. et aliis.

CRISPINUS et Crispiniánus fratres, propagándæ fidei stúdio, una cum beáto Quintíno et Sóciis a Románo Pontífice in Gállias missi, imperántibus Maximiáno et Diocletiáno, Suessiónas venérunt: salutémque a Christo homínibus allátam illic prædicavérunt. Apóstolum imitáti, ut victum ópere mánuum quærerent, sutóriam artem, útpote húmilem, quiétam et suo ap-

tiórem ministério, exercuérunt; et quidem prudénti consílio: dum enim vacábant óperi, commeántes ad se docébant verbum Dei, ita ut eórum domus esset non modo officína labóris, sed et schola doctrínæ et salútis, in qua, dante Dómino voci eórum virtútem et benedictiónem, plúrimis persuasérunt, ut, relíctis idólis, verum Deum cólerent.

LECTIO V.

ITAQUE augebátur in dies credéntium númerus, et dum pax et tranquíllitas a princípibus erat, in fide Neóphyti confirmabántur. Sed diúrnam pacem turbávit Maximiáni Hérculis advéntus Suessiónem. Is enim ímperat more suo conquíri Christiános, et Crispínum ac Crispiniánum ad se delátos statim comprehéndi atque addúci. Ubi ad tribúnal perdúcti sunt, eos tam promíssis quam minis et pœnárum metu a pio suo propósito deterrére tentávit. Sed cum sancti fratres Christum intrépide confiteréntur, et profána sacrifícia constánter respúerent, eos efficacióri ratióne ággredi et superáre constítuit.

LECTIO VI.

ADERAT Ríctius Varus Christiáno sánguine cruentátus. Huic Crispínus et Crispiniánus sævíssimis quibúsque supplíciis excruciándi tradúntur. Statim eos tróchleis exténdi, fústibus cædi, et súbulas inter carnem et ungues intromítti pellémque a dorso détrahi jubet. Ad álios étiam cruciátus cónfugit semper devícta rábies præsidis; sed ab ipsis torméntis novos ánimos novásque vires ducébant Mártyres. Quaprópter, defatigáta júdicis ac tortórum immanitáte, gládio fuérunt trucidáti. Fortíssimi púgiles sepúlti sunt Suessióne, et sub eórum invocatióne extrúcta est Basílica, in qua Clodobértus Chilperíci regis fílius sepúltus est. Horum córpora a crypta edúxit sanctus Elígius, eorúmque túmulum mira arte decorávit.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Descéndens Jesus, *secundo loco*, p. xlviij.

Post Lect. VIII, *dicitur* ℟. Hæc est vera fratérnitas, *p.* xlv.

DIE XXXI.

S. QUINTINI, MARTYRIS.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Orat., Præsta, quæsumus, ... ut intercedénte, p. xxj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex S. Gregorio Turonensi et aliis.

QUINTINUS, Maximiáno et Diocletiáno imperatóribus, Roma in Gállias, Christi fidem prædicatúrus, cum sóciis áliquot venit. In his fuisse sanctum Luciánum, qui Bellóvacis Evangélium prædicávit, et

ibi Martyr occúbuit, testátur sanctus Audoénus Rotomagénsis in vita sancti Elígii. Quintínus vero cum Ambiánis fervénti zelo et magna constántia munus idem perfíceret, a Ríctio Varo exquisítis torméntis cruciátus; deínde apud Augústam Veromanduórum, post innúmera supplícia íterum constánter toleráta, duábus súdibus férreis a cervíce usque ad crura transfíxus, postrémo cápite truncátus est.

LECTIO V.

CORPUS ejus in Súminam projéctum Eusébia pia múlier post annos quinquaginta quinque, reveláute Angelo, invénit; statímque oculórum usum, quo dudum fúerat orbáta, recuperávit. Illud in monte sepelívit prope urbem, Sacellúmque túmulo superstrúxit. Glóriam Mártyris sui Deus ibi multis testátus est miráculis. Séptimo vero sæculo ignorántibus pósteris, quo in loco Ecclésiæ jacéret thesáurus ille in terra abscónditus, eum Deus Elígio pateféeit.

LECTIO VI.

SANCTI Quintíni corpus de terra sublátum Elígius pie osculátus, dentes e maxilla in languéntium medélam ábstulit; tumque e dentis radíce, sánguinis gutta stillávit. Clavos étiam prægrándes córpori ejus quondam a tortóribus infíxos, e cérebro cæterísque ártubus avúlsos, et capillos ejúsdem, velut sacras Relíquias sibi servávit. Deínde pállio holosérico obvolútum corpus pone altáre cóndidit : tumulúmque miro ópere désuper fabricávit ex auro, argénto et gemmis; aucta étiam Basílica, in qua, ut in cæteris locis quæ ditávit Elígius, signa et virtútes Dóminus operátus est. Pars cápitis sancti Mártyris, Cataláuni in Ecclésia Cathedráli, cum débita reveréntia asservátur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Nihil est opértum, *in Brev.*, p. 405.

Lect. IX *Homil. Vigiliæ omnium SS.*, p. 423, *cujus fit Comm. in Laudibus.*

Vesperæ de omn. SS. Nihil de S. Quintino.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XII.

S. MARTINI I, PAP. ET MART.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 466, *exceptis seq.*

Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Martino, Papa et Mart.; Com. de præc. S. Martino, Ep.

Hodie, Vesperæ a Capit. de seq. S. Stanislao; Comm. de S. Martino, Papa et Mart.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ,

CONFESSORIS.

Duplex.

Off. ut in Brev., p. 467, *mutato tertio versu in Hymno*, Iste Conféssor.

DIE XIV.
(In Brev. 13 hujus.)
S. DIDACI, CONFESSORIS.
Semiduplex.
Off. ut in Brev., p. 470.
DIE XVII.
S. GREGORII THAUMATURGI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.
Duplex.
Off. ut in Brev., p. 473.
Vesperæ a Capit. de seq. Dedicat. S. Petri ; Com. de S. Gregorio Thaumaturgo.
DIE XXI.
PRÆSENTATIONIS B. M. V.
Duplex II classis.
Off. ut in Brev., p. 481.
DIE XXVI.
S. BASOLI, SOLIT. ET CONF.
Duplex.
Omnia de Comm. Conf. non Pont., p. lxviij, *præter seq.*
Oratio Intercéssio, *omissa voce* Abbátis, *ibid.*
Pridie, Vesperæ a Capit. de S. Basolo ; Comm. de præc. S. Catharina et de S. Petro Alexandrino, Ep. et Mart.
IN I NOCTURNO.
Lect. de Script. occurr.
IN II NOCTURNO.
LECTIO IV.
Ex S. Basoli Actis apud Marlot et Mabillon. Sæc. II. Benedict.

Basolus Lemóvicus, infántiæ metas supergréssus, quo púrius et sánctius Christum sequerétur, spretis hujus mundi illecébris, quinímo relíctis pátria et paréntibus, beáti Remígii sepúlchrum inviséndi desidério captus, Remos venit. Ab Ægídio, Reménsi Epíscopo, cómiter et benígne suscéptus est. Huic cum ánimi sui pium propósitum patefecísset, illúmque rogavísset, ut sibi Deo libérius serviéndi, et secrétius conversándi locum opportúnum concéderet, ejus consílio et auctoritáte Cœnóbium Verziacénse, sancto Columbáno sacrátum, ad radícem nemorósi montis, non longe a Remis pósitum, ádiit.

LECTIO V.

A Monachis perhumáne recéptus, Sacris lítteris imbútus est. Exáctis in commúni fratrum exercítio cum exímia sanctitáte quibúsdam annis, Básolus vitæ strictióris ávidus, Abbátis permíssu, montis cacúmen conscéndens, céllulam cum Oratório constrúxit, ubi per annos quadragínta lectiónibus et oratiónibus vacans, sic jejúniis carnem attrívit, ut ejus spíritus totus et únice Deo militáret. Cum autem ejus sanctitátis fama longe latéque percrebuísset, conflúxit ad eum ingens populórum multitúdo, consília salútis quærens a Solitário, quem inter vepres et duméta inaudíto vivéndi génere promicántem mirabátur.

LECTIO VI.

Post multa pietátis insígnia, sanctus Básolus suæ resolutiónis diem imminére séntiens, Balsémium népotem suum ex Aquitánia accérsit, cui índicat sibi revelátum esse quod post

óbitum in eódem loco futúrus esset ei succéssor. Quæ quidem prophetía evéntu confirmáta est. Tandem circa médium sæculi séptimi, Deo tot labóribus præmium decernénte, Básolus ad cœlos evolávit. Ante et post mortem cláruit miráculis. Sacræ ejus relíquiæ, ab eversióne monastérii in quo honoríficè habebántur, felíciter servátæ, in Ecclésia Verziacénsi colúntur.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evangelium Ecce nos relíquimus, *tertio loco*, p. lxxxij.

Pro S. Petro Alexandrino, Ep. et Mart.

Lect. IX, Petrus Episcopus, *p.* 497.

In Laudibus, pro Commem. S.Petri, Ant. Qui odit, ℣. Justus, *et Orat.* Infirmitátem, *de Com. unius Mart.*, p. xxx.

DIE XXVIII NOVEMBRIS.

S. GREGORII III, PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Oratio, Da quæsumus, *p.* l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GREGORIUS hujus nóminis Tértius, natióne Syrus, patre Joánne, Gregório Secúndo vita functo, unánimi Cleri, et pópuli consénsu, nec non divíno quodam instínctu, cum digníssimus ómnium esset, subrogátus est, anno Christi septingentésimo trigésimo primo. Vir singulári doctrína, et virtúte, latína et græca lingua eruditus, mirábili dicéndi facúndia, atque ádeo felíci memória, ut totum Psaltérium memóriter recitáret, is demum, quem prædecessóri suo Gregório, doctrína et prudéntia sapientíssimi hómines æquiparándum esse duxérunt.

LECTIO V.

CATHOLICÆ fídei propugnátor acérrimus, Leónem Isáurum Imperatórem Iconoclástam patérnis mónitis et ĺítteris ad saniórem mentem redúcere conátus est. Sed cum nihil profíceret, convocáto Romæ nonagínta quinque Episcopórum Concílio, sacrárum Imáginum cultum Apostólico decréto firmávit, et diro anathémate fériit Iconomáchos. Quæ cum ad Leónis aures pervenís-sent, áltius rugíre cœpit, misítque advérsus Gregórium florentíssimam classem cum potentíssimo exércitu; sed hæc, volénte ac víndice Deo, in Hadriático sæva tempestáte agitáta, fœdo naufrágio périit.

LECTIO VI.

MULTA quoque a Luitprándo Longobardórum Rege iníque passus est, qui et Urbem longa obsidióne cinxit, et sancti Petri Basílicam sacrílega manu dirípuit. In his angú-

stiis sanctíssimus Póntifex ad Cárolum Martéllum, antecessóris exémplo, Legátos cum sacris munéribus destinávit. Munívit Urbis mœnia, largas in egénos eleemósynas erogávit, novas Basílicas a fundaméntis extrúxit, antíquas ornávit, ac restaurávit, Vaticánam præsértim, intra quam Oratórium auro, argénto, gemmis, omníque pretiósi óperis génere ditátum eréxit, in quo Sanctórum Apostolórum, et Mártyrum relíquias, summa cura, et diligéntia toto Christiáni orbis ámbitu conquisítas repósuit, et coléndas expósuit, eo máxime témpore, quo illas hagiómachi diabólico furóre proculcábant. Multa Monastéria restítuit, et sanctis légibus instrúxit, statuítque, ut Presbyteri, et Mónachi altérnis noctu, diúque divínas laudes celebrárent. Fractus demum labóribus, méritis licet, atque virtútibus ínclytus, anno sui Pontificátus undécimo nondum perácto, quarto Kaléndas Decémbris pie óbiit in Dómino, et in prædícto Oratório Vaticáno sepúltus est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang., Homo péregre, *primo loco,* p. lvij.

¶ *Si hodie sit Sabbatum, Lectio* IX *Homilia Vigiliæ S. Andreæ*, p. 498, *cujus fit Com. in Laudibus.*

Ad II Vesperas, Commem. de S. Saturnino, Mart.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

S. ELIGII, EPISC. ET CONF.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

Orat. Exáudi, *p.* l.

Pridie, in II Vesperis S. Andreæ, Comm. de S. Eligio.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex vita S. Eligii, auct. S. Audoeno, et aliis.

Eligius Lémovix, aurífaber indústrius, relícta pátria, in Fránciam se cóntulit; ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram Sacerdóte, et gravem pœniténtiam perégit. Ex eo témpore, in ópera pietátis omni stúdio incúbuit: nam étiam cum artem exercébat, subínde in Sacros códices intendébat óculos, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébat humánis. Quidquid vero arte sua comparábat, illud totum fovéndis egénis, et captívis rediméndis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, erogábat. Oratióni vacábat cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera Canónicum cursum solémniter adimplébant.

LECTIO V.

Varia, ejus hortátu et impénsis, exstrúcta sunt Templa

et Monastéria. Plúrimas étiam, auro, argénto et gemmis, Sanctórum capsas et túmulos miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem, quæ altas in Gállia égerat radíces, junctis cum sancto Audoéno stúdiis, extirpávit : et utérque perfécit, ut nullus Epíscopus deínceps eligerétur, nisi qui integritáte morum cæteris præfulgéret. Multis in Ecclésiam méritis clarus, mórtuo Achário, Diœcési Novioménsi præpósitus est. Cavit tamen ex usu Cánonum, ne sibi prius manus imponeréntur, quam sub norma Clericátus áliquod tempus exegísset. Quo transácto, Presbyteris ascríptus est a Deodáto Matisconénsi.

LECTIO VI.

TUM Rotómagi una cum sancto Audoéno, Domínica ante Litánias, mensis Máii vigésima prima, in Epíscopum consecrátus est. In eo Ordine, non modo salúti gregis sibi commíssi consúluit; sed et Flandros ac Frísios, aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre et vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in Concílio Cabillonénsi sub Clodovéo secúndo. Multa præcláre scripsit, ejécit dæmones, futúra divínitus prædixit; aliísque miráculis clarus, Noviómi óbiit septuagenárius, anno salútis sexcentésimo quinquagésimo nono. Ejus funus regina Bathíldis pedes, nec sine lácrymis, cum liberis et tota família prosecúta est.

IN III NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *secundo loco*, p. lxiij.

Ad II Vesperas, *Com. de seq. S. Bibiana.*

Singula Officia pro Clero Catalaunensi in hac Parte Autumnali adnotata sic adprobata fuere Decreto lato die 23, mense Decembris, anno superiori 1852.

In quorum fidem... Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum die 27 Julii 1853.

Dom. GIGLI S. R. C., *Secretar.*

KALENDARIUM

CLERO CATALAUNENSI PROPRIUM.

FESTA MOBILIA.

OFFICIA VOTIVA.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA AUGUSTI.

FESTA SEPTEMBRIS.

FESTA OCTOBRIS.

FESTA NOVEMBRIS.

16
17 S. Gregorii Thaumaturgi, Ep. et Conf., *dupl.* cclxxxviij
18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, Apost., *dupl.* 475
19 S. Elizabeth, Viduæ, *dupl. Comm.* S. Pontiani I, Papæ et Mart. 477
20 S. Felicis de Valois, Conf., *dupl.* 479
21 Præsentatio B. M. V. *dupl.* 2 cl. cclxxxix
22 S. Cæciliæ, Virg. et Mart., *dupl.* 483
23 S. Clementis I, Papæ et Mart., *dupl. Comm.* S. Felicitatis, Mart. 488
24 S. Joannis a Cruce, Conf., *dupl. Comm.* S. Chrysogoni, Mart. 492
25 S. Catharinæ, Virg. et Mart., *dupl.* 495
26 S. Basoli, Solit. Conf., *dupl. Comm.* S. Petri Alexand., Ep. et Mart.
27 *Prima sedes* Adventus.
28 S. Gregorii III, Papæ et Conf., *dupl.* ccxc
29 Vigilia. *Comm.* S. Saturnini, Mart.
30 S. Andreæ, Apost., *dupl.* 2 cl. 499

FESTA DECEMBRIS.

1 S. Eligii, Noviom. Ep. et Conf., *dupl.* ccxcj
2 S. Bibianæ, Virg. et Mart., *semid.* 506

PARISIIS.—TYPIS ADRIANI LE CLERE,
Via dicta *Cassette*, 29.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS.

PARS HIEMALIS.

Parisiis. — Typis Adriani Le Clere et Soc.,
via Cassette, 29.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

DD. PAULI-ARMANDI-IGNATII-ANACLETI DE GARSIGNIES,

EPISCOPI SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS,

REMENSIS PROVINCIÆ DECANI ET PRIMI SUFFRAGANEI,

AUCTORITATE,

NECNON VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI

CONSENSU ET OPERA,

CUM S. SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIONE

edita.

PARS HIEMALIS.

PARISIIS.

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPOLARUM CATHOLICORUM

LITURGIÆ ROMANÆ EDITORUM.

M DCCC LII.

DECRETUM APPROBATIONIS.

Quod animo sibi proposuerat Reverendissimus Suessionensis Episcopus ab exordio spiritualis regiminis hujus suæ Diœcesis, illud ipsum confirmatum fuit a novissima Provinciali Synodo Rhemis coadunata, anno 1849 (1), ut nimirum ibidem resumeretur sacra Liturgia juxta Breviarium ac Missale Romanum. Quum vero ipsa Suessionensis Diœcesis inpræsentiarum coalescat ex civitatibus et oppidis, quæ prius aliarum Diœcesium partem constituebant, multique sancti penes quæcumque speciali cultu venerentur, vel qui celebriores sunt in universa Gallia, vel loca illa, ortu, vita aut pretiosa morte illustrarunt, ad eorumdem cultum perenniter servandum de consilio immo et sedula opera Reverendissimi Cathedralis Capituli, Proprium Sanctorum Diœcesis diligenter digessit addendum ad calcem Breviarii Romani, illudque SS. Domino nostro PIO Papæ IX exhibuit, ut legitime admitteretur ac probaretur. Sanctitas sua, referente me subscripto Secretario, attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit juxta Episcopi Oratoris preces, prævia tamen consueta revisione : accurate propterea reviso, correcto et emendato Proprio Sanctorum recensitæ Suessionensis Diœcesis eo modo, quo superiori in exemplari jacet ; illud eadem Sanctitas sua adprobavit, atque in divinis persolvendis laudibus a Clero Civitatis ac Diœcesis ejusdem lectiones legi et orationes recitari posse concessit, servatis in omnibus Rubricis, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18, mense Julio, Anno 1851.

Signavit A. Card. Lambruschini, S. R. C. P.
Subsignavit Fatati, S. R. C. *Secretarius.*

(1) *Concilium Provinciæ Remensis, Suessione habitum est.*

KALENDARIUM
PROPRII SUESSIONENSIS.
PARS HIEMALIS.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V non impedita, Offic. SS. Sacramenti, *semid.*
Quolibet Sabb. non impedito, Offic. Immaculatæ Conceptionis B. M. V., *semid.*

FESTA MOBILIA.

Feria III post. Dom. Septuag. Orationis D. N. J. C., in monte Oliveti, *dupl. maj.*
Feria III post Dom. Sexages. Commem. Passionis D. N. J. C., *dupl. maj.*
Feria VI post Cineres. SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., *dupl. maj.*

PROPRIUM SANCTORUM.

DECEMBRIS.

1 S. Eligii, Episc. et Conf., *dupl. maj.*
9 S. Leocadiæ, Virg. et Mart., *Comm.*
10 S. Edibii, Episc. et Conf., *dupl.* — S. Eulaliæ, Virg. et Mart., et S. Melchiadis, Papæ et Mart., *Comm.*
11 SS. Fusciani, Victorici et Gentiani, Mart., *Comm.*
18 Expectationis partus B. M. V., *dupl. maj.*

JANUARII.

3 S. Genovefæ, Virg., *Comm.*
4 S. Rigoberti, Episc. et Conf., *Comm.*
17 S. Sulpitii, Episc. et Conf., *Comm.*
23 Desponsationis B. M. V., *dupl. maj.* (*Tranfertur* S. Raymundus de Pennafort *ad diem* 9 *febr.*)

MARTII.

1 S. Albini, Episc. et Conf.
2 S. Macræ, Virg. et Mart., *semid.*
5 S. Drausii, Episc. et Conf., *dupl.*
18 S. Gabrielis, Archang., *dupl. maj.*
27 S. Ruperti, Episc. et Conf., *Comm.*

APRILIS.

17 S. Ursmari, Episc. et Conf., *Comm.*
26 S. Ermini, Episc. et Conf., *Comm.*
29 S. Probæ, Virg. et Mart., et S. Eutropii, Episc. et Mart., *Comm.*
30 S. Marculphi, Conf., *Comm.*

MAII.

1 S. Theodulphi, Abbatis, *Comm.*
4 S. Cyriaci, Episc. et Mart., *Comm.*
5 S. Mauronti, Abbatis, *Comm.*
6 S. Victricii, Episc. et Conf., *Comm.*
7 S. Generici, Abbatis, *Comm.*
9 S. Beati, Conf., *Comm.*
12 S. Gangulphi, Mart., *Comm.*
13 S. Onesimi, Episc. et Conf., *dupl.*
16 S. Joannis Nepomuceni, Mart., *dupl.*
17 S. Montani, Conf., *Comm.*
21 S. *Ubaldi, Episc. et Conf.*, *semid.* (*e die* 16.)
22 S. Boetiani, Conf.
23 S. Desiderii, Episc. et Mart.
24 B. M. V., sub titulo, Auxilium Christianorum, *dupl. maj.*
28 S. Germani, Episc. et Conf.
29 S. Restitutæ, Virg. et Mart.

JUNII.

2 SS. Pothini et Soc., Mart., *semid.* — SS. Marcellini, Petri et Erasmi, Mart., *Comm.*
3 S. Clotildis, Reginæ Franc., *dupl.* — S. Algisi, Conf. non Pont., *Comm.*
4 S. Bonifacii, Episc. et Mart., *Comm.*
8 S. Medardi, Episc. et Conf., *dupl. maj.*
16 SS Cyrici et Julittæ, Mart. — SS. Ferreoli et Ferrutionis, Mart., *Comm.*

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS SUESSIONENSIS.

PARS VERNA.

OFFICIA VOTIVA.

QUALIBET FERIA V
non impedita.
OFFICIUM
DE SS. SACRAMENTO.
Semiduplex.
Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. ccxlvj.

QUOLIBET SABBATO
non impedito.
OFFICIUM
IMMAC. CONCEPT. B. M. V.
Semiduplex.
Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. cclx.

FESTA MOBILIA.

FERIA VI
POST DOM. I QUADRAG.
SS. LANCEÆ ET CLAVORUM
D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. ccxix.

FERIA VI
POST DOM. II QUADRAG.
SS. SINDONIS D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. ccxxvj.

FERIA VI
POST DOM. III QUADRAG.
SS. VULNERUM D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. ccxxxij.

FERIA VI
POST DOM. IV QUADRAG.
PRETIOSISSIMI SANGUINIS
D. N. J. C.
Duplex majus.
Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. ccxxxvij.

FERIA VI
POST DOM. PASSIONIS,
SEPTEM DOLORUM B. M. V.
Duplex majus.
Omnia ut in Breviario, *p.* 460.

DOMINICA III POST PASCHA.
PATROCINII S. JOSEPH
SPONSI B. M. V.
Duplex II *classis,*
Omnia ut in Brev., *p.* 478.

DOMINICA V POST PASCHA.
IN FESTO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS MISERICORDIÆ MATRIS.

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V. per annum, p. clj, *præter sequentia.*

ORATIO.

Deus, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis, atque gubérnas, præsta nobis fámulis tuis, ut intercedénte Beáta Maria semper Vírgine Misericórdiæ Matre, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit Comm. Dominicæ.

IN I NOCTURNO.

LECTIO I, *Cap.* 8 *et* 9.

De Parábolis Salomónis.

Ego sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilingue detéstor. Meum est consilium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me Reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judicii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam.

℟. Sancta, et immaculáta Virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: Quia quem Cœli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. * Allelúia, Allelúia. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Allelúia, allelúia.

LECTIO II.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar. Adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam; quando certa lege, et gyro vallábat abyssos, quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum, quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos, quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens, et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciæ meæ esse cum filiis hóminum.

Nunc ergo, filii, audíte me, beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula plácui Altíssimo: Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. * Allelúia, allelúia. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancillam húmilem respéxit Deus. Allelúia, allelúia.

LECTIO III.

Beatus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis: si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem Mundi: Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo: * Allelúia, allelúia. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Allelúia, allelúia.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 12. in Apoc.

Amplectamur Maríæ vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est médium inter rorem, et áream; múlier inter solem, et lunam; María inter Christum, et Ecclésiam constitúta. Sed forte miráris non tam vellus opértum, quam amictam sole mulíerem. Magna siquidem familiáritas, sed mira ómnino vicínitas solis, et mulíeris. Quómodo enim in tam veheménti fervóre tam frágilis natúra subsístit? Mérito quidem admiráris, Móyses Sancte, et curiósius desíderas intuéri. Verúmtamen solve calceaménta de pédibus tuis, et involúcra pone carnálium cogitatiónum, si accédere concupíscis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. * Allelúia, allelúia. ℣. Et Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Allelúia, allelúia.

LECTIO V.

Ejusdem in Assumpt. B. M. V.

Jam te Mater misericórdiæ, per ipsum sinceríssimæ tuæ

mentis affectum, tuis jacens provolúta pédibus, Luna, id est Ecclésia, Mediatricem sibi apud Solem justitiæ constitútam, devótis supplicatiónibus interpéllat, ut in lúmine tuo videat lumen, et Solis grátiam tuo mereátur obténtu, quam vere amávit, et ornávit, stolam glóriæ induens, et corónam pulchritúdinis ponens in cápite tuo. Plena es gratiárum, plena rore cœlésti, innixa super Diléctum, deliciis áffluens. Ciba hódie páuperes tuos, Dómina, ipsi quoque cátuli de micis edant, nec púero Abrahæ tantum, sed et camélis potum tribuas de superfluénti hydria tua.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem: Vidérunt eam filiæ Sion, et beátam dixérunt, et reginæ laudavérunt eam. * Allelúia, allelúia. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lilia convállium. Allelúia, allelúia.

LECTIO VI.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 18. de Sanctis.

O Beáta María, áccipe quascúmque éxiles, quascúmque meritis tuis impáres, gratiárum actiónes; et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admitte nostras preces intra Sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis. Sit per te excusábile, quod per te ingérimus, fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus; quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, Beatissima, nostrórum est exspectátio præmiórum.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: Et vidéntes eam filiæ Sion, beatissimam prædicavérunt dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. * Allelúia, allelúia. ℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte. Allelúia, allelúia. Glória. Allelúia.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

LECTIO VII. *Cap. 19.*

In illo témpore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cléophe, et Maria Magdaléna. Et réliqua.

Homilía S. Petri Damiáni.

Ex Serm. I. in Nat. B. M. V. in fin.

Virgo Dei Génitrix, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur, súbveni, Dómina, clamántibus ad te júgiter: revértere, revértere, Sunamitis, revértere, revértere, ut intueámur te. Tu benedicta, et superbenedicta, revértere primo per natúram. Numquid quia ita deificáta, ídeo nostræ

humanitátis oblita es? Néquaquam, Dómina : scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jáceant, quantum delínquant servi tui : non enim cónvenit tantæ misericórdiæ, tantam misériam oblivísci, quia etsi súbtrahit glória, révocat natúra : non enim ita memoráris justítiæ Dei solíus, ut misericórdiam non hábeas, neque ita es impassíbilis, ut non sis compassíbilis. Natúram nostram habes, non áliam, et justum est, ut de rore tantæ pietátis diffúsius infundámur.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster. * Allelúia, allelúia. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero : intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem. Allelúia, allelúia.

LECTIO VIII.

REVERTERE secúndo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cœlo et in terra. Nil tibi impossíbile, cui possíbile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscépit oríginem? Accédis enim ante illum áureum humánæ reconciliatiónis Altáre non solum rogans, sed ímperans, Dómina, non ancílla. Móveat te natúra, poténtia móveat; quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debes. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcísci nolle, cum possit. Revértere tértio per amórem. Scio, Dómina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincíbili, quos in te, et per te Fílius tuus, et Deus tuus summa dilectióne diléxit. Quis scit quóties refrígeres iram Júdicis, cum justítiæ virtus a præséntia Deitátis egréditur? * Revértere quarto per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia concéditur. Absit, ut cesset manus tua, cum occasiónem quæras salvándi míseros, et misericórdiam effundéndi; neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœniténtes ad véniam justificáti, ad glóriam assumúntur. Revértere ergo, Sunamítis, id est, despécta, cujus ánimam pertransívit gládius, quæ fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur te. Summa glória est post Deum te vidére, adhærére tibi, et in tuæ protectiónis munímine demorári. Audi nos, nam et Fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedíctus in sæcula sæculórum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi

Dóminus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. * Allelúia, allelúia. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Allelúia, allelúia.

Si occurrat hoc Festum transferri, tunc loco Homiliæ Dominicæ occurrentis, IX *Lectio incipiet a verbis:* *Revértere quarto.

DOM. INTRA OCT. ASCENS.

IN FESTO

SS. RELIQUIARUM.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Martyrum, Tempore Paschali, p. xxxvij, *præter seq.*

IN I VESPERIS.

ORATIO.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes; cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per.

Fit Comm. Dominicæ intra Octav. et Octavæ Ascensionis.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Comm. plur. Martyr. extra tempus Paschale, Fratres debitóres, *p.* xlviij, *cum* ℟℟. *de Tempore Paschali*, p. xxxix.

IN II NOCTURNO.

Ex Tractátu S. Joánnis Damascéni de Fide orthodóxa.

LECTIO IV. *Lib.* 4. *c.* 15.

Christus Dóminus Sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxilla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosiliit, erítne, cur cuiquam incredíbile videátur, ex Mártyrum Relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe; iis quidem, quibus Dei poténtia, honórque, quo Sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Lux perpétua, *p.* xxxix.

LECTIO V.

Ex quo enim ípsamet vita, ac vitæ auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe surrectiónis fideíque erga eum diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera, ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, de-

scéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui tótius humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. In servis, *p.* xl.

LECTIO VI.

HONORANDI certe, et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo extruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimirum lætitia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat, ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iisdem quoque servi ípsius oblectántur; quibus autem Deus offénditur, iisdem étiam ipsius milites offendúntur. Quocirca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, Sanctos colámus, státuas ipsis, et visíbiles imágines erigámus; imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

℟. Filiæ Jerúsalem, *p.* xl.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evangel. Ego sum vitis, *de Communi,* p. xlj.

Lectio IX, *de Homil. Dom. intra Octavam Ascensionis, in* Breviario, *p.* 374.

AD LAUDES ET VESPERAS.

Fit Comm. Dominicæ et Octavæ Ascensionis.

FESTA SANCTORUM.

FESTA FEBRUARII.

DIE VI.

S. VEDASTI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont., p. lx, *præter seq.*

Orat. Da quæsumus, *p.* lxj.

IN UTRISQUE VESPERIS.

Fit Commem. Feriæ occurrentis.

IN I NOCTURNO.

Lect. Fidélis sermo, *in Communi, Conf. Pont.*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

VEDASTUS, relictis ab adolescéntia paréntibus, prædiísque amplissimis, Tulli-Leucórum solitárius inter dulcíssimos vitæ contemplativæ fructus degébat, cum Clodovæus rex, superátis divínitus Alamánnis, Remos ad sanctum Remígium baptizándus festínans, eum sibi sócium assúmpsit, ut ab ipso, inter eúndum, christiánæ fídei imbuerétur doctrínis. Quibus iter pergéntibus, dum in pago Vungiso Axonæ flúvii pontem transírent, obviávit cæcus quidam, quem beátus Vedástus, toto spectánte Clodovæi comitátu, signo crucis lúmini restítuit, ut intélligat, inquit, Dómine Jesu, pópulus iste præsens, quia tu es Deus solus.

℟. Invéni David, *p.* lxvj.

LECTIO V.

REMIS aliquándiu commorátus, ita charitátis munificéntia, verbíque divíni instántia cláruit, ut hunc beátus Remígius Atrebaténsis Ecclésiæ ordináverit Episcopum. Qui cum urbem primum introíret, mendicántes duos, cæcum scílicet et claudum, signo iterum crucis statim sanávit. Exinde pópulum ad agnitiónem veri lúminis perdúcere stúduit, et Ecclésias passim ad culmen summi decóris érigere, magis tamen divínis ornans láudibus, quam pompáticis séculi divítiis. Céterum, in páuperes largus, necnon divítibus affábilis fuit, quorum étiam convívia non contémpsit, prædicatiónis nempe obténtu; ómnia ómnibus factus, ut omnes Christo lucrifáceret.

℟. Pósui, *p.* lxvj.

LECTIO VI.

EXACTIS in episcopátu annis circiter quadraginta, febre corréptus et sacrosáncto Córporis ac Sánguinis Christi confirmátus viático, inter manus lacrymántium ánimam Deo réddidit, anno Christi círciter

quingentésimo quadragésimo. Multæ per totam Gálliam in ejus honórem dedicátæ sunt Ecclésiæ, quarum una Collegiáta Augústæ Suessiónum visebátur, multis príncipum donis, maximéque Ludovici Séptimi Francórum regis fundatióne nóbilis. Quæ quidem, exeúnte século décimo octávo, témporum calamitáte collápsa, íterum sequénti século, obsecundántibus fidélium votis, donariisque feliciter ædificáta est.

℟. Iste est, *p.* lxvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Homo, *de Communi*, p. lxviij.

IX *Lectio de Homil. Feriæ occurr. cujus fit Comm. ad Laud.*

DIE IX.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, CONF.

Semiduplex.

(E die 23 Januar.)

Omnia de Comm Confess. non Pont., p. lxxix, *præter ea, quæ hic habentur.*

In Hymno Iste conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ Sacraménti insignem ministrum elegísti, et per maris undas mirabiliter traduxísti: concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per.

Deinde fit Commem. Feriæ et S. Apolloniæ, Virg. et Mart., ut in Breviario, p. 417,

IN I NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir, *de Comm. Conf. non Pont.*, p. xc.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Beatus Raymúndus Barcinonénsis ex nóbili familia de Pénnafort, Christiánæ Religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi, et córporis indòle magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres litteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis officiis, ac pontifício, civilique juri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignitus, ibidem sacros Cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Berengárius Barcinonénsis Epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam rediret, eum conveniéndi causa, Bonóniam iter instituit, et tandem summis précibus, ut secum in pátriam reverterétur, obtínuit. Mox ejúsdem Ecclésiæ Canonicátu, et Præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo, integritáte, modéstia, doctrina, et morum suavitáte præfúlsit, ac Deiparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus auxit.

℟. Honéstum, *p.* lxxxiv.

LECTIO V.

Annum circiter quintum supra quadragésimum agens, in Ordine Fratrum Prædica-

tórum, solémni emíssa profes-sióne, ut novus miles, in omni virtútum génere, sed præcípue in charitáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos se exércuit. Unde cum ejus hortátu sanctus Petrus Noláscus (cujus ipse confessiónes audiébat) suas opes piissimo huic óperi conférret: tum eídem, tum beáto Raymúndo, et Jacóbo Primo Arragóniæ Regi appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi, et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur Ordo Religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, Ordinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis Captivórum fundavérunt: cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit ad ejúsdem Ordinis vocatiónem accommodatíssimas, quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório Nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum Generálem Ordinis Magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. Amávit eum, *p.* lxxxv.

LECTIO VI.

Ab eódem Gregório Romam accersítus et Capellàni, ac Pœnitentiárii, et Confessárii sui múnere decorátus, ejúsdem jussu Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis Concíliis et Epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem ab ipso Pontífice sibi oblátum constantíssime recusávit. Et tótius Ordinis Prædicatórum generále Magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Jacóbo Arragóniæ regi Sacræ inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula; inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Majóri Barcinónam reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit, et suum Cœnóbium jánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto, quem Clemens Octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo, *p.* lxxxv.

In III. Noct., IX. *Lectio de Homil. Feriæ occurr.*

In Laud. fit Commem. Feriæ et S. Apolloniæ, Virg. et Mart., ut in Breviario, *p.* 417.

DIE XI.

S. GAUDINI, MART. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xxij, *præter seq.*

Oratio, Infirmitátem nostram, *p.* xxiij.

In I Vesp. Comm. præcedentis (in Brev., *p.* 417), *et Feriæ.*

IN I NOCTURNO.

Lect. A Miléto, *de Communi unius Mart.*, p. xxv.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GAUDINUS, tértius a sancto Draúsio in sede Suessionénsi succéssor, cum in reprehendéndis vítiis acer esset ac véhemens, in fœneratórum quorúmdam usúras inexplébiles gravíssima oratióne invéctus, in ódium Evangélicæ quam prædicábat veritátis, ab ipsis clánculum intercéptus est, et in viam raptátus, tunc Herlini nómine, nunc autem Sancti Gaudini nuncupátam. Ibi, várie tortus, postquam revocáre dicta constánter ábnuit, in paténtem púteum præceps ab ipsis dejéctus et suffocátus, non multo post annum a Christo nato septingentésimum, eóque nómine in Mártyrum album reférri méruit.

℟. Honéstum, *p.* xxviij.

LECTIO V.

CORPUS ejus, in Cathedrálem Ecclésiam translátum, cum corpóribus sanctórum Episcopórum Princípii et Lupi simul et Agricolæ Presbyteri, elevátum légitur caléndis Júnii, et in capsa argéntea repósitum, quæ ab hæréticis, anno millésimo quingentésimo sexagésimo séptimo, combústis Relíquiis, expiláta est. Locus vero martyrio ejus consecrátus a pópulis usque ad finem séculi décimi octávi frequentári non désiit.

℟. Desidérium, *p.* xxviij.

LECTIO VI.

Lect. I *II Noct. in Comm. Mart. Pont., cum* ℟. Stola jucunditátis, *p.* xxix.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homil. in Evangel. Si quis venit ad me, *de Comm.*, p. xxx.

IX *Lectio de Homil. Feriæ occurr. cujus fit Comm. ad Laud.*

DIE XIII.

S. GUILLELMI, CONF. PONT.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. lx, *exceptis quæ sequuntur.*

Oratio, Da, quæsumus, *p.* lxj.

Commem. Feriæ occurr. et S. Gilberti, *Conf. Pont.*

Oratio, Exáudi, quæsumus, *p.* lxj.

IN I NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo, *de Communi*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

GUILLELMUS in pago Nivernénsi natus, ex illústri Cómitum Nivernénsium génere, sub avúnculi, Ecclésiæ Suessionénsis Archidiáconi, ob severiórem vitam Eremitæ dicti, disciplína institútus, plúrimum profécit tum in sacrárum litterárum sciéntia, tum in virtútum exercitatióne. Canónicus primum Suessionénsis, deinde Parisiénsis factus, perfectióris vitæ amóre, Grandimonténsem ingréssus est Ordinem, quem, ob subórtas in eo turbas, cum Cisterciénsi commutávit. Ibi, Pontiniacén-

sis Monastérii Prior, dein Fontis-Joánnis Abbas, ac subinde Caróli-Loci factus est.

℟. Invéni, *p*. lxvj.

LECTIO V.

Odo Parisiénsis ex compromísso eléctus, ut víduæ Bituricénsi Ecclésiæ, quem vellet, pastórem præficeret, Guillélmum renuntiávit Episcopum, qui támdiu reluctátus est, donec ab Abbáte suo, necnon a Sedis Apostólicæ Legáto acceptáre jussus fúerit. Episcopáli múnere suscépto, monásticum institútum non derúit Guillélmus. Paupertátis et humilitátis cultor assíduus; inter negotiórum strépitus nunquam non siléntio et oratióni vacans, cárnium esu ábstinens, cilício indútus, dicere solébat novam sibi facto Epíscopo victus austerióris subésse causam, qui peccáta et pópuli et sua perférre ac expiáre tenerétur.

℟. Pósui, *p*. lxvj.

LECTIO VI.

Episcopatus inítio, váriis jactátus procéllis, et Philippi-Augústi regis iram, et Optimátum minas, quos ex amícis inimícos expértus est, et graves étiam a Cléricis suis illátas contumélias singulári cum patiéntia sustínuit. Sed Deus pacis Regem et Cléricos Pontífici reconciliávit. Paulo post Guillélmi sánctitas multis et rebus advérsis, et diáboli tentaméntis probáta, váriis miráculis illustráta est. Ad Albigénsium conversiónem, et Catholicórum quos vexábant defensiónem, Innocéntio Tértio hortánte, profectúrus, omnibúsque jam ad iter parátis, in febrim paulo ante Epiphániam íncidit: nec minus illo sacro die pópulum, ut solébat, divíni verbi pábulo refécit. Vi morbi urgénte, sancta infirmórum unctióne suscépta, necnon sacra pastus Eucharístia, postrídie ad cœlos evolávit.

℟. Iste est, *p*. lxvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homil. in Evang., Vigiláte, *de Comm.*, p. lxviij.

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurr.

In Laudib. Comm. Feriæ occurr. et S. Gilberti.

In II Vesp. Comm. Feriæ et sequentis (in Brev., *p.* 419).

FESTA MARTII.

DIE I.

S. ALBINI, CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, *p*. lxj.

DIE II.

S. MACRÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi, Virg. Martyr., p. xcv, *præter sequentia.*

Oratio, Deus, qui inter cétera, *p*. xcvij.

AD I VESPERAS.

Fit Commem. Feriæ occurr.

IN I NOCTURNO.

Lectiones De Virginibus, *in Communi*, p. c.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

MACRA summa in Christum fide et virginitátis professióne cláruit. Hæc, cum incrédulis Christum prædicáret, a Rictiováro Galliárum tunc Præfécto, in finibus Paróchiæ Reménsis, quo Augústam Suessiónum véniens divérterat, deprehénsa est. Quam cum a fide, nec blanditiis, nec minis deterrére potuísset, tormentórum acerbitáte adoriri státuit.

℟. Propter veritátem, *p.* civ.

LECTIO V.

JUSSIT ergo sanctam Vírginem in ínsulam quæ Litia vocátur perdúci, ut ibi viva comburerétur. Cum vero in flammis divínitus illǽsa permansisset, mamillis abscíssis, et squalóre cárceris afflícta, super testas étiam acutíssimas, prunásque volutáta, orans migrávit ad Dóminum.

℟. Dilexísti, *p.* civ.

LECTIO VI.

CORPUS sanctæ Vírginis, haud procul a loco ubi passa est tumulátum, cum áliquot séculis latuisset, juxta quamdam in honóre sancti Martini constrúctam Ecclésiam detéctum est, et in præfáta Ecclésia honorificéntius repósitum. Inde miráculis clarum, imperánte Cárolo Magno, translátum est in magnificentiórem basilicam. Hinc vero, post Hungáricam persecutiónem quæ regióni décimo século incúbuit, Macræ virginis insignes Relíquiæ, Faram in pago Tardanénsi translátæ, in Ecclésia ejus nómine Deo dicáta honorífice cónditæ sunt.

℟. Afferéntur, *p.* civ.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Simile erit, *de Comm.*, p. cvj.

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit Comm. in Laudib.

DIE V.

S. DRAUSII, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pontificis, p. lx, *præter sequentia.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Draúsium Antístitem nostrum, pópulo tuo præésse, et quibus prǽerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dirige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perficiant. Per Dóminum.

In I Vesperis Commem. præcedentis (in Breviario, *p.* 430), *et Feriæ occurr.*

IN I NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo, *de Comm.*, p. lxiij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

DRAUSIUS, in agro Suessiónico, a Leudomáro et Rachilde piis ac nobílibus paréntibus natus est anno circiter

sexcentésimo vigésimo octávo. Mater, concépto fœtu, in pósterum vino abstínuit, sublevandisque paupéribus, ipsómet juvánte marito, totam se dicávit. His puer informátus móribus, mox beáto Suessiónum Pontífici oblátus est Ansárico; qui exímium adolescéntem, ob ejus humilitátem ac mansuetúdinem tantum diléxit, ut pro fílio habúerit, et ántequam ipse morerétur, Clericátus primórdiis volúerit initiátum. Dein a Bertoléno beáti Ansárici successsóre creátus est Archidiáconus, nec multo post, cum ille Cáthedram Episcopálem, propter quoddam sui ingréssus vítium, ultro piéque abdicásset, in ipsíus locum, ob vitæ et doctrínæ mérita, ómnium plausu suffé-ctus.

℟. Invéni David, *p.* lxvj.

LECTIO V.

INFIRMA licet sǽpius valetúdine, óptimi tamen Prǽsulis partes implévit, nec ulli offício, úllive labóri sese prǽbuit impárem. Præsértim nihil omísit quod monástici Ordinis propagatiónem, immunitátes, ac regulárem disciplínam assérere posset. Imprimis vero memorándum venit illud celebérrimum Beátæ Maríæ cœnóbium quod pro sanctimoniálibus Suessióne in subúrbio primum cónditum, mox, crescénte confluéntium vírginum número, ab Ebroíno régiæ domus Præfécto obtínuit ut intra muros transferrétur, magnificéque ædificarétur. E Jotrénsi autem monastério Actériam abbatíssam accersívit quæ in hoc cœnóbio eámdem quam in suo disciplínam et psalmódiam institúeret. Demum méritis plenus, matúrusque cœlo, migrávit ad Dóminum Nonas Mártii, anno Christi sexagésimo septuagésimo sexto.

℟. Pósui, *p.* lxvj.

LECTIO VI.

CORPUS ejus, sicut præcéperat, in prima sanctimoniálium basilica, quæ in subúrbio fundáta fúerat, sepúltum est, quod post quátuor annos, íntegrum repértum, et intra urbem ad novam monastérii basílicam quarto Nonas Junii solémni pompa translátum, plúribus refúlsit miráculis, quórum fama permótus Thomas Cantuariénsis Episcopus a sede sua exul Suessiónem venit, in persecutióne quam pro defensióne libertátis Ecclésiæ ab Hénrico Angliæ rege patiebátur, beáti Draúsii opem patrociniúmque imploratúrus.

℟. Iste est, *p.* lxvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homil. in Evang. Vigiláte, *de Comm., p.* lxxiv.

Nona Lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, et de ea fit Commem. in Laudib.

DIE XVIII.

S. GABRIELIS, ARCHANG.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. cclxvj.

DIE XXVII.

COMMEMORATIO

S. RUPERTI, CONF. PONT.

In I Vesp. et Laud.

Oratio, Exáudi, *p.* lx.

FESTA APRILIS.

DIE XVII.

COMMEMORATIO

S. URSMARI, CONF. PONT.

In I Vesp. et Laud.

Oratio. Da, quǽsumus, p. lxj.

DIE XXVI.

COMMEM. S. ERMINI,

CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, quǽsumus, *p.* lxj.

LECTIO IX.

Erminus Ercliæ in território Laudunénsi natus ex ingénuis paréntibus, eminénti ingénio et singulári pietáte a púero cláruit. Crescéntibus in dies virtútibus a Madalgário Episcopo Laudunénsi sacerdótio méruit initiári. Deínde sub disciplína sancti Ursmári Laubacénsis Abbátis, cui se cómitem et discípulum addíxerat, monásticam vitam proféssus, non nisi demissióri ánimi modéstia, austerióri vitæ institutióne, et ardentióri evangélicæ paupertátis amóre frátribus præcellére stúduit. Quem póstea sanctus Abbas ætáte jam provéctus, cum sciret Ermínum ad régimen animárum máxime idóneum, in sui locum suffécit, ómnium conspirántibus votis. Dum hujúsce offícii onus digne sustinéret, caráctere Episcopáli, velut Ursmárus et quidam post eum Abbates Laubacénses, insígnitus, nec tamen certæ diœcési addíctus, circumvicínis provínciis Evangélii lucem íntulit. Multis tandem perfúnctus labóribus, plenus méritis perréxit ad Dóminum séptimo Caléndas Máii, anno septingentésimo trigésimo séptimo. Ejus memória speciáli veneratióne cólitur in vico Ercliæ, qui nomen sibi assúmpsit Sancti Ermíni, et ejúsdem patrocínio máxime gloriátur.

Te Deum laudámus, *p.* 10.

In Laud. Comm. S. Ermini.

DIE XXIX.

COMMEM. S. PROBÆ,

VIRG. MART.

Oratio. Indulgéntiam nobis, *p.* xcvij.

ET S. EUTROPII, MART. PONT.

Orat. Infirmitátem, *p.* xxiij.

LECTIO IX.

Ecclesiæ Laudunénsis antíqua fert tradítio, vírginem Probam ex Scótia oriúndam, spretis mundi illécebris, se Christo Vírginem sponso devovísse, ut córpore et spíritu vitam illibátam perpétuo tradúceret. In território Laudunénsi pro Christo passa créditur. Cólitur ejus memória in duábus ejúsdem antíquæ diœcéseos paróchiis, quarum una sub ipso sanctæ Probæ nómine et invocatióne : áltera autem, Scalæ dicta, quibúsdam sanctæ Mártyris pignóribus ditátam se jamprídem gloriátur. ¶ Eódem die cólitur memória beáti Eu-

trópii Epíscopi, qui in Gállias ad prædicándam fidem missus, post adimplétum rite munus, apud Sánctonas, ab incrédulis cápite abscisso, martyr occúbuit.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Prima commem. S. Probæ. Secunda S. Eutropii.

DIE XXX.

COMMEM. S. MARCULPHI,

Conf. non Pont.

Oratio, Intercéssio nos, *p.* lxxviij.

Lectio ix.

Marculphus, ineúnte sexto século, apud Bajocásses natus, relictis ómnibus, sanctum Possessórem Episcopum Constantiénsem ádiit, ab eóque présbyter, et sacri verbi præco institútus est. In conciónibus, id passim fidélibus inculcábat, ut quod in sacro fonte promíserant, et móribus tenérent et exercérent opéribus. Subínde a Childebérto locum in eádem diœcesi construéndo monastério aptum, Nantum nómine, consecútus, informándis discípulis totus incúbuit. Quibus mox per céllas non paucas multiplicátis, ipse quasi Abbas monachórum totíus regiónis efféctus est. Plura mirácula ibídem edidísse fertur, nonnúlla étiam in Castro Suessiónum Compéndio sub óculis ejúsdem Childebérti regis. In monastérium redux, sanctíssima morte quiévit, ibíque honorífice sepúltus est. Sancti Marcúlphi Relíquiæ, evérso ad finem noni séculi a Normánnis Nanténsi cœnóbio, in villam régiam pagi Laudunénsis Corbiniacum dictam translátæ sunt, ibíque erécta est in ejus honórem basílica in qua virtus ejus máxime in curándis strumis enítuit. Unde mos solémnis invaluérat ut Francórum reges quos ad hujus morbi curatiónem jam a témpore Philíppi Primi expetitos légimus, statim a sua inauguratióne Corbiniacum adírent ad corpus sancti Marcúlphi, quem hujus grátiæ sequéstrum invocábant atque venerabántur. Versus finem séculi décimi octávi, basílica illa profánis úsibus mancipáta, et non multo post destrúcta, beáti Marcúlphi Relíquiæ in parochiálem translátæ sunt Ecclésiam, ubi háctenus frequénti fidélium concúrsu pie celebrántur.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Commem. S. Marculphi.

FESTA MAII.

DIE I.

COMMEM. S. THEODULPHI,

Conf. non Pont.

In Offic. Noct. et Laudibus tantum.

Lectio ix.

Theodulphus in secúnda Aquitánia præcláro génere ortus, anno ætátis vigésimo, monastérium in monte Hor, prope Remos, póstea sancti Theodórici dictum ingréssus est. Ibi abjectióra quæque of-

ficia, sub ipsius sancti Theodórici disciplína ferventíssime ampléxus est, et per contínuos viginti duos annos arátrum indefésso labóre circumdúxit. Theodórici successóre vita functo, unánimi fratrum suffrágio Abbas renuntiátus est, statímque sacerdótio inaugurátus. Exínde omnes superáre stúduit non tam dignitáte quam severióri régulæ monástica observántia, et austerióri vivéndi ratióne, de qua nihil remísit ad annum usque nonagésimum, quo, post laboriósum quinquagínta annórum régimen, ad ætérnam beatitúdinem est evocátus, Caléndis Máii, labénte século sexto.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Commem. S. Theodulphi.

Oratio, Intercéssio, *p.* lxxix.

DIE IV.

COMMEMORATIO
S. CYRIACI, CONF. PONT.

In I Vesp. et Laud. tantum.

Orat. Da quǽsumus, *p.* lxj.

DIE V.

COMMEM. S. MAURONTI,
CONF. NON PONT.

Oratio. Intercéssio, *p.* lxxix.

LECTIO IX.

SANCTUS Mauróntus, in Gallo-Flándria ex beáto Adaldáldo sanctáque Rictrúde tam virtúte quam régio sánguine præclaríssimis natus, ínter tres soróres páriter sanctas primogénitus, a sancto Richário baptizátus est. Qui cum adolevísset, aulæ régiæ, spléndidis sponsálibus cunctísque mundi illécebris strénue valedíxit, suadénte sancto Amándo Trajecténsi Epíscopo, qui eum tonsúra clericáli insignítum, mox in Diáconum ordinávit. Tunc monastérium Broylénse, quod in prǽdiis suis ipse fundáverat, non minus humíliter quam diligénter rexit; nec non, post mortem scílicet præfátæ sanctæ Rictrúdis Abbatíssæ, cœnóbium Marchiánum, in quo ipse pie obdormívit anno Christi septingentésimo secúndo, ætátis vero suæ sexagésimo octávo. Ossa ejus íbidem sepúlta, deínde in urbem Dúacum translata sunt, quæ eum singulári cultu ut patrónum venerátur. Haud procul Suessióne, extat paróchia, Marchiána - Vallis nómine, quæ beáti Mauránti gaudet patrocínio, et hæc quidem território ádjacet Vreníaco, in quo sita est villa, quæ ex dono sanctæ Eusébiæ, sorórís sancti Maurónti, ad cœnobium Marchiánum non ita pridem adhuc pertinébat.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Commem. S. Mauronti.

DIE VI.

COMMEM. S. VICTRICII,
CONF. PONT.

Orat. Da, quǽsumus, *p.* lxj.

LECTIO IX.

VICTRICIUS in adolescéntia primum milítiæ nomen dedit; simul et christiánæ fídei

initiári vóluit. Mox autem Christi amóre vehementius accénsus, ab armis discédere decrévit. Itaque quo die consilium militáre habebátur, missiónem petit, et arma ad tribúni pedes prójicit. Quam ob causam in cárcerem conjicitur, et ad mortem damnátur. Multis vero magnísque miráculis, teste sancto Paulino, liberátus, secéssum pétiit, Christum paúperem pauper ipse secutúrus. Hinc propter virtútis famam, raptus est ut Rotomagénsem Ecclésiam régeret, quam et verbo et exémplo ad eam prope vitæ sanctitátem addúxit, quæ in Ecclésia Jerosolymitána primum fuerat. Victrícium tanti fecit Martínus Turonénsis, ut apud Carnútas ipsi honórem detúlerit edéndi miráculi, quod quidem Victrícius præ humilitáte attentáre recusávit, nec ipse beátus Martínus adoríri vóluit, nisi ejúsdem précibus accínctus. Scripsit ad Innocéntium Pontíficem quinam esset Ecclésiæ Románæ usus circa vária disciplínæ cápita. Rescríptum dedit Summus Póntifex quod háctenus extat; ab eóque pétiit ut quas ad eum mittébat régulæ in vicínis Ecclésiis promulgaréntur. Obiit Victrícius, imperánte adhuc Honório, séptimo Idus Augústi. Sequéntibus autem séculis, bello provínciam vastánte, corpus ejus Brénnacum, villam régiam pagi Suessiónici translátum est, ubi magna fidélium devotióne recólitur. Cujus étiam insígnes Relíquiæ in Ecclésia Cathedráli asservántur.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Commem. S. Victricii.

DIE VII.

COMMEM. S. CENERICI,

CONF. NON PONT.

Oratio, Intercéssio nos, *p.* lxxix.

LECTIO IX.

Cenericus, nóbili génere, Spoléti in Umbria natus, assídua sacrórum Códicum lectióne magnum hausit pietátis sensum. Relictis ómnibus, Romæ aliquándiu commorátus est, ibíque a Summo Pontífice ad Diaconátum evéctus. Cum autem ejus virtus magnæ jam esset apud Romános existimatiónis, in Gálliam venit, et in Diœcesim Sagiénsem juxta Sartam flúvium se recépit. Ibi, virtútum splendóre et sanctitátis fama mónachos ad centum quinquagínta adunátos refert Orderícus Vitális. Cenerícus miram semper præ se tulit erga fratres quos regébat sollicitúdinem, erga páuperes charitátem, erga persecutóres patiéntiam et benignitátem. Obdormívit in pace Nonis Maii, anno círciter sexcentésimo sexagésimo nono. Corpus ejus sepúltum est in ipso loco, étiamnum Castro ac munícipio Sancti Cenerici cognomináto : unde, cum Neústriæ fines a Danis vastaréntur, in

Castrum-Theodoríci ad Mátronam intra términos Suessiónicæ Diœcéseos translátum est.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Commem. S. Cenerici.

DIE IX.

COMMEM. S. BEATI,

CONF. NON PONT.

Oratio, Adésto, Dómine, p. lxxix.

LECTIO IX.

SANCTI Beáti ignóta sunt genus et primórdia. Ad Garúmnæ ripas, in Convenárum Diœcesi, primum innótuit, ubi nunc extat cívitas ipso Sancti nómine insigníta. Inde ad Lígeris oras se recépit, látebras frustra quæsitúrus: nam sua próditus fama, brevi ómnium veneratiónem sibi conciliávit, ut testántur plúrimæ in ejus memóriam ibi extrúctæ Basílicæ. Tandem, quo secrétius delitésceret, Laudúnum secéssit, et spelúncam Cheversónium dictam, ad plagam montis orientálem ingréssus est, quæ póstea sancti Beáti Crypta nuncupáta est, et quámdiu éxtitit, pia fidélium veneratióne colebátur. Ibi in extréma senectúte, vitam continuis pœniténtiæ labóribus afflictátam pretiósa morte finivit. Corpus ejus miráculis clarum fidélium cúltui fuit expósitum. Relíquiæ sancti Beáti ab Ansélmo Præsule in capsa argéntea repósitæ sunt, et quotánnis in festo ejus, per urbem solémniter circumferúntur, magna comitánte fidélium multitúdine, quorum frequéntia per octo festivitátis dies devóta persevérat.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Comm. S. Beati.

DIE XII.

COMMEM. S. GANGULPHI,

MARTYRIS.

In I Vesp. et Laud. tantum.

Oratio, Præsta..... ut qui, *p.* xxiij.

DIE XIII.

S. ONESIMI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. lx, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Onésimum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commissis, dirige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesp. Comm. præcedentis (in Breviario, *p.* 550).

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

ONESIMUS adhuc puer Clero Suessiónico adscriptus est a Mercúrio Epíscopo, qui, Constántis Imperatóris témpore, Sýnodo Sardicénsi intérfuit atque subscrípsit. Huic matúra

morte defúncto, Onésimus, a quo pridem pópulus mónita salútis accípere assuéverat, commúni ómnium consénsu, succéssor datus est. Mirum quantum sédula ejus cura et labóre in circúitu invalúerit christiána Relígio, Gratiáno et Theodósio exímiæ pietátis Imperatóribus, post túrbidos Arianórum motus, fídei libertátem tandem asseréntibus.

℟. Invéni David, *p.* lxvj.

LECTIO V.

FRETUS horum Imperatórum edictis, Onésimus, idóla passim ac delúbra destrúere, tum aras atque Ecclésias eórum loco constrúere cœpit. Ad eum úndique confluébant tam ex agris quam ex vicis pópuli, supplíciterque orábant ut Christiáni fierent. Eos peramánter excipiébat pius Póntifex; et si qui rei domésticæ angústia aut ália calamitáte premeréntur, his misericórditer áderat; si vero ad commovéndos incrédulos miráculis aut virtútibus aliquándo opus esset, eos ægris et male habéntibus per Apostólicæ grátiæ charísmata efficáciter subveniéndo pertrahébat.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lxvj.

LECTIO VI.

CÆTERUM inter labóres assíduos, cum grávibus ipse quandóque dolóribus et incómmodis vexarétur, aut carnis afflictatióne seipsum ultro cruciáret, longum sine ferro pértulit martyrium. Tandem, plenus diérum, cœlo réddidit spíritum, tértio Idus Máii, exeúnte século quarto. Ejus corpus Suessióne sepúltum, póstea Dúacum translátum est, ubi váriis morbis ægróti, ad ejus túmulum orántes, domum sæpe sani rediérunt.

℟. Iste est, *p.* lxvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*, p. lxxiv.

In II Vesp. Comm. sequentis (*in* Breviario, *p.* 552).

DIE XVI.

S. JOANNIS NEPOMUCENIS, MART.

Duplex.

(*Transfertur* S. Ubaldus *ad diem* 21).

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. cclxxxix.

DIE XVII.

COMMEM. S. MONTANI, CONF. NON PONT.

Oratio, Adésto, *p.* lxxix.

LECTIO IX.

MONTANUS, nóbili género ortus, a téneris annis totum se pietáti et virtútis opéribus dedit. Adúltus in solitúdinem se recépit, ubi vigíliis et pœniténtiæ labóribus, eníxe a Deo flagitábat pacem dari Ecclésiæ, quæ váriis calamitátibus, máxime in Gállia Bélgica premebátur. Exaudítum a Deo se séntiens, sanctæ Céliniæ, provéctæ licet ætátis, prænuntiávit ex ea brevi nascitúrum fílium nómine Remígium, qui Dei miníster ad multórum salútem foret, et ínsuper nato

púero, se lacte puérperæ, oculórum usum, quo dudum orbátus erat, recuperatúrum. Prædictiónis veritátem probávit evéntus. Obiit circa séculi quinti finem, in solitúdine quam prope Faram ad Isaram, in extréma senectúte, incoluisse fertur. Hujus pretiósa pignora quæ in últimi séculi perturbatióne, Deo favénte, serváta sunt, quotánnis fidélium veneratióni gaudens expónit Farrénsis Ecclésia.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Comm. S. Montani.

DIE XXI.

S. UBALDI,

EPISC. ET CONFESS.

Semiduplex.

(E die 16.)

Omnia ut in Breviario, *p.* 553.

DIE XXII.

S. BOETIANI,

CONFESS. NON PONT.

Oratio, Deus, qui, *p.* lxxix.

LECTIO III.

BOETIANUM in vico Petrapónte Diœcesis Laudunénsis quidam nátum arbitrántur, álii autem ex Hybérnia oriúndum, et cum Gobbáno, Algiso et áliis ad oras Gálliæ, ut irruéntium turbárum tumúltibus se subdúceret transmeásse. Is, sanctórum Mummóli et Furséi discipulus, omnes ab eis austerióris vitæ mores haúserat, quos in omni humilitáte ad últimum usque excóluit, sicque plenus méritis, ad Deum migrávit. Pretiósæ sancti Confessóris Relíquiæ eódem in vico Petrapónte prius Canónicis beáti Boetiáni nómine insignítis feliciter concréditæ, póstea vero apud parochiálem Ecclésiam quæ ejus patrocinio et cliëntéla gaudet, summo cum honóre etiámnum asservátæ, illic ánnua celebritáte pióque concúrsu fidélium colúntur.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

DIE XXIII.

S. DESIDERII,

MART. PONT.

Orat. Infirmitátem, *p.* xxiij.

LECTIO III.

QUO témpore bárbari ab extréma Germánia profécti, tradúcto Rheno, per Gállias hostiliter grassabántur, sedébat Língonis Desidérius Epíscopus. Illi, váriis provinciis igne ferróque vastátis, Língonas obsedérunt. Cum vidéret sanctus Præsul urbem premi, et bárbaros extréma quæque tectis ac cívibus minitári, assúmptis secum Cleri et pópuli primóribus, ex urbe egréditur, hostilis exércitus ducem pro suis supplex rogatúrus. Bárbarus venerándi senis nec dignitáte motus, nec précibus, eum extémplo cum sóciis trucidári jubet. Desidérius autem pro créditis sibi óvibus ultro caput objíciens, migrávit ad Christum. Sancti mártyris corpus viri religiósi curárunt, et in lóculo compósitum lapídeo, in crypta subterránea condidérunt.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

in crypta subterránea condidérunt.

Te Deum laudámus, p. 15.

DIE XXIV.

B. M. V. SUB TITULO AUXIL. CHRISTIANORUM.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplem pro aliquibus locis, p. ccxxxiv.

DIE XXVIII.

S. GERMANI, CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, *p.* I.

LECTIO III.

GERMANUS, apud Æduos natus, présbyter primum, et monastérii Sancti Symphoriáni Æduénsis Abbas, ob morum sanctitátem ad Episcopátum Ecclésiæ Parisiénsis assúmptus est. Nihil ídeo remísit de austerióri vita quam in monastério égerat. Hora noctis tértia Ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi ínvicem ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conféret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et dum iter ágeret, horas canónicas nudo cápite, étiam inter equitándum persólveret. Mira erat ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos beneficéntia, et Childebérto Regi ádeo probáta, ut e regáli ærário ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam subministráret. Caribérto Regi qui uxóris sorórem dúxerat, sacris interdíxit. Sigebértum per litteras a cæde Chilperíci fratris deterrére conátus est, et suis mónitis reluctántem brevi moritúrum prædixit. In Sýnodo Bituricénsi plúrimos Judæos Christo lucrátus est. Aliquot ante tránsitum diébus, hæc verba: Quinto Caléndas Június, ad lectum scribi vóluit: qua die, fere octogenárius, in pace quiévit.

Te Deum laudámus, p. 15.

DIE XXIX.

S. RESTITUTÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS.

Oratio, Indulgéntiam, *p.* lxxxvj.

LECTIO III.

RESTITUTA, virgo Africána, sub Aureliáno Imperatóre, et Agáthio Procónsule, fídei certámine suscépto, dæmonum ímpetus, paréntum blanditias, et tortórum sævitiam superávit, demum cum áliis Christiánis, cápite truncáta, martýrio decoráta est; cujus Relíquiæ in pago Suessionénsi, qui Arsitii nómine appellátur, et a sancta Vírgine cognómen accépit, magno peregrinántium concúrsu et pietáte colúntur.

Te Deum laudámus, p. 15.

FESTA JUNII.

DIE II.

S. POTHINI ET SOC. MART.

Semiduplex.

Omnia de Comm. plurimorum Martyrum, p. xxxv, *præter seq.*

Oratio, Deus, qui nos concédis, *p.* xxxvj.

IN I NOCTURNO.
Lect. de Script. occurr.
IN II NOCTURNO.
LECTIO IV.
Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.
Euseb. Hist. Eccl. L 5, *c.* 1.

BEATUS Pothínus, Ecclésiæ Lugdunénsis Epíscopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martýrii, mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tanquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a Prǽside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est; cum ii quidem qui própius astábant, cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjicerent; omnes denique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabántur. Exinde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est; tandémque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus vero neóphytus, et Sanctus, Diáconus Viennénsis, cum Blandína ancilla, et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt.

℟. Lux perpétua, *p.* XXXIX.

LECTIO V.

BLANDINA autem ad palum suspénsa, béstiis objécta est. Quæ cum in crucis spéciem cernerétur, Deoque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persóna cérnerent Illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Attalus quoque cum per amphitheátrum circumducerétur, præcedénte eum tabélla, in qua latíno sermóne scriptum erat: Hic est Attalus Christiánus; Præses postquam Románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Cǽsarem datis de his qui inclúsi tenebántur. Ineúnte ígitur solémni apud nos mercátu, Præses addúci jubet Mártyres ad tribúnal, tanquam in theatráli pompa eos pópulis

osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis.

℟. In servis, *p*. xl.

LECTIO VI.

Cæterum ingens glória accéssit Christo per eos qui prius quidem negáverant, tunc vero confitebántur fidem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cum illos ad fidei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant tanquam partúriens videbátur. Instans íllico Præses interrogávit eum quis esset. Qui cum Christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur una cum Attalo ingréssus est; nam et hunc Præses béstiis íterum tradíderat. Ambo ítaque cum ómnia tormentórum génera, in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandina rursus illáta est, una cum Póntico adolescénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est, a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

℟. Filiæ, *p*. xl.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Ego sum vitis vera, *de Comm.*, p. xlj.

IX *Lectio* (ex duabus una) *de SS. Marcellino, Petro, etc., ut in* Breviario, *p*. 573.

In Laud. Comm. SS. Mart.

DIE III.

S. CLOTILDIS,

NEC VIRG. NEC MART.

Duplex.

Omnia de Comm. non Virg. nec Mart., p. cxiij, *præter seq.*

Oratio. Exáudi nos, *p*. cxiv.

In I Vesp. Comm. præcedentis, et S. Algisi, Confess. non Pont.

Oratio, Deus, qui, *p*. lxxix.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Clotildis, Chilpeŕici Burgundiónum Regis fília, Suessióne quæ tunc Francórum Impérii caput erat, Clodovæo adhuc infidéli fidélis in matrimónium juncta est, certo Dei consilio. Quæ cum intra annum primogénitum suscepísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovæo, baptizári jussit: cui nomen impósitum fuit Ingoméres. Cum autem infántis in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovæus, ac baptismo imputáret, gráviter Clotildem objurgávit, ásserens deos pátrios ob contémptum núminis sui irátos,

gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíre. Alterum fílium Regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit; et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpisset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit.

℟. Propter, *p.* cvij.

LECTIO V.

At Regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhǽsit; donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium qui Clodováeum fidem edóctum, baptizávit, et chrísmate sacro inúnxit.

℟. Dilexísti, *p.* cviij.

LECTIO VI.

Post mortem Clodovǽi, Turónos ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni, summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, munífica erga Ecclésias et Monastéria, Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium, et Clodoáldum educávit. Tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum, et Parísios inter psalléntium choros translátа, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovǽi, in sacrário basílicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiescébat. Unde póstea váriæ Relíquiæ divérsis tempóribus accéptæ sunt, inter quas non ínfimum locum tenent quæ ante secúlum décimum tértium in Diœcesim Suessionénsem allátæ sunt ad vicum Viviriénsem, ubi tunc Ordinis Præmonstraténsis erat monastérium, póstea autem Parochiális Ecclésia surréxit.

℣. Fallax grátia, *p.* cviij.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evangel.

Símile est, *de Comm.*, p. cx.

LECTIO IX.

Algisus, seu Adalgísus, quem ex Hibérnia claro génere natum tradunt, sancto Furséo discípulum se dedit, a quo monásticæ disciplínæ régulas fuit edóctus. Sacerdótio insignítus, paupéribus ac præsértim rurícolis evangelizándi desidério sensit se inflammátum, et Apostolórum Límina adeúndi pium cepit consílium. Quare a sancto Furséo benígne dimíssus cum Gobbáno et

sem diversátus est. Inde ab amícis sejúnctus ad Isaræ ripas in território Laudunénsi se cóntulit, et in desertíssimo sylvæ Theorásciæ loco, juxta montem, tunc sancti Juliáni nómine dictum, céllulam seu monasteriolum constrúxit, in quo cum quibúsdam alúmnis, quos ejus sanctitátis fama illuc accersiverat, aspérrimam vitam duxit. Campéstribus Missiónibus totum se devóvit, et pagánæ superstitióni Evangélicam fidem fórtiter oppónens, quam exímiis opéribus comprobábat, innúmeros Christo péperit. Romam tandem perréxit, et voti compos fáctus, ad céllulam lætus rédiit cum multis Sanctórum pignóribus, ibíque non multo post cursum suum feliciter explévit. Corpus ejus in ipso céllulæ oratório cónditum est, quod miráculis plúrimis ita incláruit, ut ex pio peregrinórum concúrsu insurréxerit vicus qui Sancti Algísi nómine et patrocínio nunc insignítur.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Comm. S. Algisi.

DIE IV.

COMMEM. S. BONIFACII,

MART. PONT.

Orat. Infirmitátem, *p.* xxiij.

LECTIO IX.

BONIFACIUS in Majóri Británnia nóbili génere ortus, a patre septénnis ductus in monastérium, pietáte et rerum divinárum sciéntia excélluit. Présbyter ordinátus, singulárem in tractándis negótiis Ecclesiásticis peritiam exhibuit: unde crescénte in dies illius fama, ipse sibi fuga consuléndum ratus, obténta Abbátis licéntia, Frísiam áppulit, Evangélium infidélibus annuntiatúrus. Sed messe nondum matúra, in pátriam revérti cógitur. Abbas eléctus, ut onus refúgiat, Romam petit. A Gregório Secúndo benigne excipitur, et mittitur in Germániam, ad prædicándum Evangélium. Ob insígnem Evangélii fructum, Romam post annum revocátus, consecrátur Episcopus, et Apostólici Legáti dignitáte auctus, remíttitur in Germániam. Incredíbile est quantis labóribus opus Evangélicum provéxerit. Multa concília celebrávit, inter quæ Suessionénse primum, et in eádem civitáte Pippinum Francórum regem sacra unctióne inaugurávit. Sedem Moguntinam suscípere coáctus, cum illam Ecclésiam annos áliquot sancte administrásset, suffécto in locum suum sancto Lúllio Epíscopo, ipse ad prædicándum Frísiis Evangélium íterum progréditur. Ibi cum innúmeros ad Christi fidem convertísset, martýrio coronátur, anno Christi septingentésimo quinquagésimo quinto. Cujus insígnes Relíquiæ in Ecclésia Suessionénsi honorífice asservántur.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laud. Comm. S. Bonifacii.

DIE VIII.
S. MEDARDI, CONF. PONT.
Duplex majus.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. lx, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Medárdum Antistitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluisti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commissis dirige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perficiant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Comm. Conf. Pontif., *p.* lxiij.

IN II NOCTURNO.
LECTIO IV.

MEDARDUS apud Salentíacum in agro Viromanduénsi, nóbili génere natus, piéque ádmodum educátus, a púero exímia sanctitátis, pietátis ac modéstiæ præbuit indicia, necnon præclárae in páuperes charitátis exémpla : quippe qui puérulus adhuc et cibis ad victum sibi necessáriis mendícos infirmosque reficiébat, et veste pretiósa qua eum pia mater indúerat, páuperem nudum ac cæcum contéxit. Missus póstea Augústam Viromanduórum, ut litteris instituerétur, indéque Tórnacum, ut stúdia absólveret, celérrimos in sciéntia progréssus hábuit, in pietáte vero máximos, ita ut condiscípulis doctrína et morum integritáte præiret. Hic autem Eleuthérium egrégiæ indolis adolescéntulum sibi sócium elégit, ambóque pia æmulatióne decertábant. Cui Medárdus Spiritu Sancto plenus prænuntiávit in aula régia dignitátem, et triginta post annis Episcopálem infulam : quod deinde rei probávit evéntus.

℟. Invéni, *p.* lxvj.

LECTIO V.

TOT ac tantórum audíta meritórum fama, Sophrónius Viromanduénsis Episcopus, Medárdum in sacerdótem órdinat, sibíque in docéndis ac pascéndis óvibus adjúngit, quod munus quadraginta annis tanta prudéntia, tanto charitátis zelo, tamque felici éxitu, sustinuit, ut defúncto Sophrónii successóre Aloméro, unánimi consénsu ad Episcopátum evocátus sit sexagenário major. Onus quidem angélicis húmeris treméndum; præ humilitáte primum declináre tentávit, sed ómnium précibus victus assíduis, tandem suscépit. Exinde, ómnia ómnibus factus, operárius plane inconfusibilis, non ópibus, non óperæ, non viribus pepércit, ut gregem suum in omni virtútum génere institúeret. Anno autem Episcopátus secúndo, cum Augústa Viromanduórum a Vándalis evérsa fuisset, Noviómum, tunc munitius óppidum, sedem Episcopálem, gre-

a Vándalis evérsa fuisset, Noviómum, tunc munítius óppidum, sedem Episcopálem, gregi suo sibíque prudentíssime cónsulens, cénsuit transferéndam.

℟. Pósui, *p.* lv.

LECTIO IV.

INTERIM sanctus Eleuthérus, Tornacénsis Epíscopus, móritur. Post cujus exéquias, cum clerus et pópulus Tornacénsis Medárdum sibi dari Epíscopum postulássent, sancto Remígio cætérisque Provínciæ Epíscopis annuéntibus, Rege et procéribus sua auctoritáte rem promovéntibus, utriúsque Ecclésiæ curam suscépit, Episcopális sedis honóre utríque serváto, quamvis Tornacénses ab eo témpore per annos círciter sexcéntos non álios quam Novioménses habúerint Epíscopos. Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quinquagésimo sexto, eumque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas in villa sua régia sepelíri jussit, et Basílicam ad ejus túmulum cœpit ædificáre, quam Sigebértus fílius ejus absólvit et ornávit. Unde póstea celebérrimum illud Monastérium Sancti Medárdi nómine insignítum, quod usque ad séculi décimi octávi finem éxstitit. Exínde íbidem, promovénte Julii de Simónio, Suessionénsis Epíscopi, largitáte et sollicitúdine, opitulantibusque fidélis pópuli eleemósynis, pia et perútilis Surdo-Mutórum Institútio fundáta est.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang. Vigiláte, *de Comm.*, p. lxiij.

In II Vesp. Comm. sequentis (*in* Breviario, *p.* 365).

DIE XV.

SS. RUFINI ET VALERII, MARTYRUM.

Duplex majus.

Omnia de Communi, plur. Mart., p. xxxv, *præter seq.*

Oratio, Deus, qui nos concédis.

In I Vesp. Comm. 1° *præcedentis,* 2° *SS. Viti, Modesti et Crescentiæ, Mart.* (*in* Breviario, *p.* 378.)

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Communi.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

RUFINUS et Valérius, insígnes inter Gálliæ Bélgicæ Mártyres, Quintíno Viromanduénsi et collégis ejus, inprimísque Crispíno et Crispiniáno conjúncti fuisse tradúntur. Hos enim, cum urbe Reménsi propter Christi testimónium pelleréntur, ad Suessiónes, ubi propagándi facílius Evangélii spes illúxerat, secúti sunt, et cum ipsis in imperiáli víllula, sexto ab urbe lápide sedem fixére. Ibi, recépta horreórum regálium custódia, viventesque parvo, victum quo se contínuis fraudábant jejúniis in paúperes liberáliter ef-

fundébant. Hac vivéndi ratióne, non paucos ex rústicis ad Christum convertérunt : quibus ad públicas preces, quoad ferrent témpora, congregándis extruxére ædículam, quæ séculis sequéntibus amplificáta, in tota regióne Basílica vocáta est, et tandem vico ipsi quem ábluit Vídula, nomen dedit.

℟. Sancti tui, *p*. xlj.

LECTIO V.

Cum autem in Gállias Maximiánus Imperátor advenísset, orta súbito persecutióne, Rictióvarus præféctus Galliárum, apud Remos primo quotquot cómperit Christiános morte damnávit. Tum Vídulæ cursum secútus, dum contígua flúmini loca quasi pro pública re disponénda perlústrat, delátos ad se Rufínum et Valérium jubet addúci. Qui quidem, etsi ad patiéndum paráti erant, præcépto Christi dóciles, ut se quæréntium furóri subtráherent, in spelúncam itíneri público vicínam et spinis ac vépribus circumvallátam secessérunt. Diu ínterim noctúque cœléste auxílium implorábant, quo fortióres inde prodírent ad pugnam. Látebra a milítibus brevi detécta, comprehénsi et ad Præféctum addúcti, cum, sprétis et irrísis coram multitúdine Diis inánibus, Christum Deum intrépide confiteréntur, catenárum mole constricti, in cárcerem ad diem álterum retrúsi sunt, glóriæ ducéntes dignos se hábitos qui pro Christi nómine público ludíbrio fúerint objécti.

℟. Vérbera, *p*. xlj.

LECTIO VI.

Postridie íterum ad tribúnal addúcti, nec blandítiis, nec minis, nec suppliciórum apparátu ab integritáte fídei et confessiónis libertáte avocári potuérunt. Unde exacerbátus Præféctus ambos in equúleum exténdi, ibíque membra eórum plumbátis sævíssime lacerári præcépit, et in ergástulo rursus inclúdi. Unde tértia die ad septem pássuum míllia edúctos Præféctus lata senténtia ad Vídulæ ripam cápite truncári jussit. Córpora eórum reláta sunt in eum quem incolúerant locum, ubi póstea constrúcta est basílica insígnis cui témpore sancti Remígii, septuagínta Clérici serviísse scribúntur. Unde propter exórta bella, sacræ Relíquiæ Suessiónem translátæ sunt, ubi in Ecclésia cathedráli magna religióne usque ad finem séculi décimi octávi asservabántur.

℟. Tanquam, *p*. xlj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang. Descéndens Jesus, *de Comm.*, p. xlviij.

Lect. IX (ex duabus una) *de SS. Vito, Modesto, etc.* (*in* Breviario, *p*. 378).

In Laud. De eisdem Comm.

In II Vesp. Comm. sequentium.

DIE XVI.

SS. CYRICI ET JULITTÆ, MARTYRUM.

Oratio. Deus, qui nos concédis, *p.* xxxvj.

Pro Comm. SS. Ferreoli et Ferrutionis, Martyrum.

Oratio. Deus, qui nos ánnua, *p.* xxxvj.

LECTIO III.

Ex Martyrologio, et Theodoro Iconii Episcopo.

Cyricus et Julitta mater ejus ex Lycaóniæ civitáte Icónio, nóbili génere oriúndi, Tarsi in Cilícia Diocletiáno imperánte, Martýrii corónam adépti sunt. Comprehénditur inclyta Martyr Julitta, tenélla valde ætáte puéllum Cyricum compléctens : tum illa tribunáli adhíbita, noménque ac fortúnam, patriámque; rogáta Dómini nostri Jesu Christi sibi nomen ascívit, dicens : Christiána sum. Ira accénsus Prætor Alexánder, tolli ab ea púerum jussit, ac ad se addúci, quippe elegántem, ac necdum per ætátem quidquam sciéntem. Matrem vero compósito córpore atque disténto crudis nervis immániter cædi imperávit. Vi autem abs strénuæ Mártyris sinu avúlsum púerum, totúmque in matrem gestiéntem, nec ab ea océllos avocántem, carnífices Prætóri ádhibent. Accéptum púerum Prætor manu blande deliniens a fletu cohibére ómnino nitebátur. Puer vero, inténtis in matrem lumínibus, caput avertébat, manibúsque obnítens Prætóris fáciem unguículis scalpébat. Æmulam vocem pronuntiávit, ipsam matris prædicatiónem edens, ac clamans : Christiánus sum. Excandéscens agréstis fera, nec enim homo nuncupándus, e sublími sólio púerum terræ allídit, præclári Mártyris cérebro ea in confessióne, ad gráduum ángulos colliso. Judex senténtiam dicit, cædi gládio féminæ cervícem. ¶ Eódem die cólitur memória sanctórum Ferreóli presbýteri et Ferrutiónis diáconi, qui a beáto Irenǽo Lugdunénsi Epíscopo ad vitæ apostólicæ ratiónem institúti dicúntur, et Vesuntiónem missi, ut Evangélium prædicárent, illic magnam pópuli partem ab idolórum cultu ad fidem Christi adduxérunt, quique hac de causa sub Claúdio júdice váriis tormentórum genéribus cruciáti, martýrium gládio consummárunt.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud Comm. SS. Mart.

DIE XVIII.

VIGILIA

SS. GERVASII ET PROTASII, MARTYRUM.

(*Pridie ad Vesperas, fit Comm. SS. Martyrum Marci et Marcelliani, in* Brev., *p.* 379.)

LECTIO I. *Cap.* 6. 17.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri; et turba disci-

pulórum ejus et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa et Jerúsalem, et maritima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant ut audirent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et réliqua.

Homilia sancti Cypriáni Episcopi et Mártyris.

Epist. 58. *de Exhortatione Martyrii.*

GAUDERE nos et exultáre vóluit in persecutiónibus Dóminus; quia quando persecutiónes fiunt, tunc dantur corónæ fidei, tunc probántur milites Dei, tunc Martýribus patent cœli. Neque enim sic nomen militiæ dédimus ut pacem tantúmmodo cogitáre, et detrectáre et recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa militia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis et toleràntiæ et passiónis magister: ut quod fieri dócuit, prior fáceret; et quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur.

℟. Vidi sub altáre Dei ánimas interfectórum propter verbum Dei quod habébant, et clara voce dicébant: * Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Sub throno Dei omnes sancti clamábant. * Vindica.

Lect. II, Adverte, ℟. Propter; *Lect.* III, Beáti, ℟. Sancti; *de Comm. plur. Mart.*, p. xlviij.

ORATIO.

MARTYRUM tuórum, Dómine, Gervásii et Protásii natalítia præeúntes, súpplices te rogámus, ut quos cœlésti glória sublimásti, tuis adésse concédas fidélibus; Per Dóminum.

In Laud. Comm. SS. Marci, etc.

DIE XIX.

SS. GERVASII ET PROTASII, MARTYRUM, ET DIOECESEOS SUESSIONENSIS PATRONORUM.

Duplex I Classis cum Octava.

Omnia de Communi Plurimorum Martyrum, p. xxxv, *exceptis quæ sequuntur.*

AD I VESPERAS.

HYMNUS.

FIDES, triúmphos concínimus tuos,
Et mille fætam prodígiis manum,
Regum treméndas quæ poténti
Arbitrio moderátur iras.

STIPATUS armis error in ímpia
Tollébat aula sacrílegum caput:
Parábat et cultu nefándo
Pura Dei violáre templa.

QUI sceptra nutu cóncutit, ímpios
Risit tumúltus; jam plácido graves
Inter procéllas ore surgens,
Frænat aquas rabiémque venti.

SIC est. Ad aures Ambrósii sonat
Cœléste verbum: prótinus e sinu
Illos reservátas in usus
Divítias pia terra profert,

Soli ferácis nóbilis o seges!
Surgunt sepúlcris córpora Mártyrum;
Et eloquénti purpurátos
Sánguine plebs venerátur artus.

Salvete, fratres, dúlcia pígnora,
Salvéte, testes quos Deus éligit,
Fidem labántem sustinére,
Et trépidam recreáre gentem.

Laus summa Patri, quo duce non timet
Sævos leónum grex tener ímpetus:
Laus summa Nato: laus sit æqua
Perpétuo tibi, Flamen, ævo.

Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

Largiente te, Dómine, Beatórum Gervásii et Protásii natalítium nobis effúlsit; concéde, quæsumus, ut hodiérna glória passiónis, sicut illis glóriam tríbuit sempitérnam, ita nobis munímen operétur perpétuum. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Nunc tolle cœlo sidéreum, truci
Ab hoste victrix, Rellígio, caput:
Regum cruentátis trophǽis
Nobilior tibi pompa surgit.

Lætam per urbem spléndida Mártyrum
Circumferúntur pígnora, mox sacris
Sisténda templis, quæ profánæ
A rábie tueántur aulæ.

Quæ pompa transit! certa præit salus:
Jussæ fugántur corpóribus febres:
It claudus, et surdus paténti
Insolitas bibit aure voces.

Panni e sepúlcris vim médicam trahunt,
Raptámque cæco restítuunt diem,
Fons lucis almæ, dum fugábas
Pectóribus Deus ipse noctem.

Quin et malígni córpora spíritus
Obséssa linquunt: error et írritas
Centum caténis illigátus,
Sanguíneo vomit ore pestes.

Laus summa Patri, quo duce non timet
Sævos leónum grex tener ímpetus:
Laus summa Nato; laus sit æqua
Perpétuo tibi, Flamen, ævo,

Amen.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Communi.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Gervasius et Protásius, Vitális et Valériæ filii, quo-

rum pater Ravénnæ, mater Mediolâni, pro Christi Dómini fide martýrium subiérunt, distribúto paupéribus património, domésticos servos libertáte donárunt. Quo facto gentílium sacerdótes immáne in illos concéptum ódium habébant. Quare cum Astásius Comes in bellum proficísci vellet, hanc occasiónem perdéndi pios fratres se nactos esse putavérunt.

℟. Sancti, *p.* xlj.

LECTIO V.

ITAQUE Astásio persuádent se a diis admónitos esse, nullo modo eum in bello victórem futúrum, nisi Gervásio et Protásio coáctis Christum negáre, eósdem ad sacra diis faciénda compélleret. Quod cum illi detestaréntur, Astásius imperávit Gervásium támdiu cædi, dum inter vérbera expiráret; Protásium fústibus contúsum secúri pércuti jubet. Quorum córpora Philíppus Christi servus clam sústulit, et in suis ǽdibus sepelívit : quæ póstea sanctus Ambrósius Dei mónitu invénta, in loco sacro et insígni collocánda curávit. Passi sunt Mediolâni décimo tértio Caléndas Július.

℟. Vérbera, *p.* xlj.

LECTIO VI.

PORRO, dum sanctórum Mártyrum córpora in Ecclésiam solémni pompa deferréntur plúrimis et máximis claruérunt miráculis quæ a sancto Ambrósio descrípta sunt. Insuper sanctus Gregórius Turonénsis Epíscopus ex fama refert, dum in honórem sanctórum Mártyrum missárum solémnia celebraréntur, cecidísse e cámera tábulam unam quæ illísa capítibus Mártyrum rivum sánguinis elicúerit; de quo inf écta linteámina, vel pállulæ, sive vela ecclesiástica in quibus beátus cruor colléctus est, qui usque adeo confluxísse fertur, quoadúsque linteámina quæ suscíperent, sint reférta. Hinc per totíus mundi términos grátiam sui diffudére martýrii, sparsis Relíquiis quæ affátim colléctæ per univérsam Itáliam et Gálliam sunt delátæ; quæ váriis Ecclésiis et áliquot étiam Cathedrálibus fecére nomen : inter quas Ecclésia Suessionénsis jam a plúribus séculis tantórum gaudet patrocínio Mártyrum.

℟. Tanquam, *p.* xlj.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 12, 4.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Dico vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quod fáciant. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 286, *n°* 3.

QUASI sémine sánguinis impléta est Martýribus terra, et de illo sémine seges sur-

réxit Ecclésiæ. Plus asseruérunt Christum mórtui, quam vivi. Hódie ásserunt, hódie prædicant; tacet lingua, sonant facta. Tenebántur, ligabántur, includebántur, producebántur, torquebántur, urebántur, lapidabántur, percutiebántur, béstiis subrigebántur. In ómnibus suis mórtibus quasi viles irridebántur; sed pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Tunc in conspéctu Dómini tantum pretiósa, modo et in conspéctu nostro. Tunc enim quando oppróbrium erat esse Christiánum, vilis erat mors sanctórum in conspéctu hóminum: detestabántur, execratióni habebántur; pro maledícto objiciebátur, Sic moriáris, sic crucifigáris, sic incendáris. Modo ista maledícta quis fidélis non optat?

℟. Propter, *p.* xliv.

LECTIO VIII. *n*° 4.

CELEBRAMUS ergo hodiérno die, fratres, memóriam in hoc loco pósitam sanctórum Protásii et Gervásii, Mediolanénsium Mártyrum. Non eum diem quo hic pósita est, sed eum diem hodie celebrámus, quando invénta est pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus per Ambrósium Episcópum, hóminem Dei: cujus tunc tantæ glóriæ Mártyrum étiam ego testis fui. Ibi eram, Medioláni eram, facta mirácula novi, attestánte Deo pretiósis mórtibus sanctórum suórum; ut per illa mirácula, jam non solum in conspéctu Dómini, sed étiam in conspéctu hóminum, esset mors illa pretiósa. Cæcus notíssimus univérsæ civitáti illuminátus est, cucúrrit, addúci se fecit, sine duce revérsus est. Nondum audívimus quod obíerit; forte adhuc vivit. In ipsa eórum Basílica, ubi sunt eórum córpora, totam vitam suam servitúrum se esse devóvit. Nos illum gavísi sumus vidéntem, relíquimus serviéntem.

℟. Hæc est vera, *p.* xlv.

LECTIO IX. *n*° 5.

NON cessat Deus attestári, et novit quómodo ipsa mirácula sua débeat commendáre. Novit ágere, ut magnificéntur: novit ágere, ne viléscant. Non ómnibus donat per Mártyres sanitátem; sed ómnibus promíttit imitatóribus Mártyrum immortalitátem. Quod non ómnibus dat, non quærat cui non dat, nec múrmuret advérsus eum quia non dat; ut det quod in fine promísit. Nam et qui modo sanántur, post paúlulum aliquándo moriúntur: qui in fine resúrgunt, cum Christo vivent. Præcéssit caput, expéctat membra secutúra: implébitur totum corpus, Christus et Ecclésia. Ibi nos cómputet scriptos: et in hac vita quod éxpedit det. Novit enim ille quid expédiat fíliis suis. Si ergo vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris; quanto magis

Pater vester qui in cœlis est, dabit bona peténtibus se? Quæ bona? numquid temporália? Dat et ipsa; sed et infidélibus dat. Dat et ipsa; sed et ímpiis dat, sed et blasphematóribus suis dat. Bona quærámus, quæ non nobis sint cum malis commúnia. Novit ille Pater dare ista bona filiis suis.

Te Deum laudámus, p. 15.

AD LAUDES.

HYMNUS.

O invidenda Mártyrum,
O pœna felix córporis!
Quæ dura solvens víncula,
Mortem domas, vitam paris!

Post longa vitæ tædia,
Post inclytæ decus necis,
Cœléstis ætérna Patris
Fratres quiéscunt in domo.

At ossa credúntur solo,
Piis rigáta flétibus,
Semen bonum, multam suo
Frugens datúra témpore.

Quam nempe vivi sánxerant,
Fuso cruóre Mártyres,
Hanc membra luci réddita,
Tuéntur et firmant fidem.

Quorum triúmphos pángimus,
Tenére da fidem, Deus:
Da, quam triumphándo duces
Signáverant viam, sequi.

Cujus sub armis militant,
Mundúmque vincunt Mártyres,
Sit laus Patri, laus Filio;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD II VESPERAS.

Hymnus et ℣ ut in I Vesperis.

DIE XXI.

COMMEM. OCTAVÆ
ET S. GOBBANI, MART.

Oratio. Præsta..... ut intercedénte, p. xxj.

LECTIO IX.

Gobbanus in Hybérnia, ut tradunt, claro génere ortus, primum sancto Furséo, qui in hac regióne fulgébat, adhæsit, monásticam disciplínam edocéndus, in qua tantum profécit, ut sanctus Abbas ad eremíticam vitam transíre cúpiens, illi monastérii regímen crédere non dubitáverit. Cum autem bellórum tumúltus imminérent, Gobbánus, quo libérius Deo vacáret, feliciúsque, pro sacerdótii múnere, animárum salúti incúmberet, adjúnctis sibi sóciis, mare transmeávit, et ad oras Gálliæ áppulit. Tunc amici ab ínvicem, licet ægre, sejúncti, ordinatióni divínæ totos se commisérunt, et quisque regiónem petiit, ad quam supérno nutu diréctus est; Gobbánus vero pervénit ad locum pagi Laudunénsis cui nomen Mons Erémi, quem a Rege Clotário Tértio obtínuit. Ibi, constrúcta céllula et ædificáto oratório, assíduis précibus, verbo et exémplo ómnibus prodésse studébat; erga álios blandus, sibi soli austérus. Tandem a bárbaris regiónem vastántibus ímpie mactátum esse paulo post médium séptimi séculi com-

múnis est et antíqua tradítio. Ad ejus memóriam extrúcta in ipso Monte Erémi Ecclésia célebris, in paróchiam erécta est sub ejus invocatióne, et sensim ex piórum peregrinórum frequéntia burgus surréxit cui sicut et vicínæ sylvæ sancti Gobbáni nomen est índitum. In hac eádem Ecclésia insígne sancti Mártyris caput reverénter asservátum, plúries in anno piæ fidélium peregrinorúmque veneratióni expónitur, et solémni pompa per vicos circumfértur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. Octavæ et S. Gobbani.

DIE XXII.

DE OCTAVA SS. MART GERVASII ET PROTASII.

Semiduplex.

Commem. S. Paulini Episcopi (*in* Breviario, *p.* 386).

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Ex libro S. Ambrósii Epíscopi ad Marcellínam sorórem.

LECTIO IV. *Epist.* 22.

SCIAS sanctos Mártyres a nobis repértos. Nam cum ego Basílicam dedicássem, multi tanquam uno ore interpelláre cœpérunt : Sicut Románam, sic basílicam dedíces. Respóndi : Fáciam, si Mártyrum Relíquias invénero. Statímque súbiit véluti cujúsdam ardor præságii. Quid multa? Dóminus grátiam dedit. Formidántibus étiam Cléricis, jussi eruderári terram eo loci qui est ante cancéllos sanctórum Felícis atque Nabóris. Invéni signa conveniéntia, adhíbitis étiam quibus per nos manus imponénda foret.

℟. Sancti, *p.* xlj.

LECTIO V.

SIC Sancti Mártyres eminére cœpérunt, ut adhuc nobis siléntibus, arriperétur urna, et sternerétur prona ad locum sancti sepúlcri. Invénimus miræ magnitúdinis viros duos, ut prisca ætas ferébat; ossa ómnia íntegra, sánguinis plúrimum. Ingens concúrsus pópuli per totum illud bíduum. Quid multa? Condívimus íntegra ad órdinem : transtúlimus, véspere jam incumbénte, ad Basílicam Faustæ : ibi vigíliæ tota nocte, manus impositio. Sequénti die, transtúlimus ea in Basílicam quam appéllant Ambrosiánam. Dum transférimus, cæcus sanátus est.

℟. Vérbera, *p.* xlj.

LECTIO VI.

VIDETIS ut eos cum princípibus pópuli sui collocávit. Príncipes pópuli, quos álios nisi sanctos Mártyres æstimáre debémus, quorum jam in númerum diu ante ignoráti Protásius Gervásiusque proferúntur, qui stérilem Martýribus Ecclésiam Mediolanénsem, jam plurimórum matrem filiórum, lætári passiónis própriæ fécerint et títulis et exém-

plis? Non immérito autem pleríque hanc Mártyrum resurrectiónem appéllant; vídero tamen utrum sibi, nobis certe Mártyres resurréxerint. Cognovístis, immo vidístis ipsi multos à dæmóniis purgátos: plúrimos étiam, ubi vestem Sanctórum mánibus contigérunt, iis quibus laborábant debilitátibus absolútos: reparáta vetústi témporis mirácula, quo se per advéntum Dómini Jesu grátia terris major infúderat: umbra quadam sanctórum córporum pleròsque sanátos cérnitis. Quanta orária jactitántur? Quanta induménta super Relíquias sacratíssimas et tactu ipso medicabília reposcúntur? Gaudent omnes extréma línea contíngere; et qui contígerit, salvus erit.

℟. Tanquam, *p.* xlj.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii.

Secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 12. 4.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Dico vobis, amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quod fáciant. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni. Epíscopi.

Serm. 65. *Cap.* 12.

Admonent nos elóquia divína timéndo non timére, et non timéndo timére. Advertístis, cum Sanctum Evangélium legerétur, Dóminum Deum nostrum, ántequam pro nobis morerétur, firmos nos esse voluísse; sed admonéndo ne timerémus, et admonéndo ut timerémus. Ait enim: Nolíte timére eos qui corpus occídunt, ánimam autem non possunt occídere: ecce ubi mónuit ne timerémus. Sed eum, inquit, timéte qui potestátem habet et corpus et ánimam occídere in gehénna. Ergo timeámus ut non timeámus; hoc est: prudénter timeámus, ne inániter timeámus. Mártyres sancti, propter quorum solemnitátem, hoc ex Evangélio recitátum est, timéndo non timuérunt: quia Deum timéndo, hómines contempsérunt.

℟. Propter, *p.* xliv.

Lectio viii.

Quid enim ab homínibus hómini metuéndum est? Et quid est unde álterum térreat homo hóminem? Terret et dicit: Occído te; et non timet, ne cum minátur, prius moriátur. Occído, inquit, quis dicit? cui dicit? Duos aúdio: unum terréntem, álterum metuéntem. Quorum unus est potens, alter infírmus, sed ambo mortáles. Quid se ergo exténdit in honóre inflátior potéstas, in carne æquális infírmitas? secúrus minétur mortem, qui non timet mortem. Si vero unde terret, timet, atténdat se, et ei cui minátur, compáret se. Invéniat ei cui minátur parem conditiónem, et a Dómino simul cum illo petat miseratiónem. Homo est enim

et hómini minátur. Creatúra creatúræ; sed una infláta sub creatóre, áltera fúgiens ad creatórem.

℟. Hæc est vera, *p.* xlv.

Lectio IX, *de S. Paulino* (ex duabus una) *in* Brev., *p.* 386.

In Laud. Comm. S. Paulini.

DIE XXIII.

DE OCTAVA SS. MART. GERVASII ET PROTASII.

Semiduplex.

Omnia ut in die Festi exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Ex libro S. Ambrósii. Ad Marcellínam sorórem:

LECTIO IV. *Epist.* 22.

GRATIAS tibi, Dómine Jesu, quod hoc témpore tales nobis Sanctórum Mártyrum spíritus excitásti, quo Ecclésia tua præsídia majóra desíderat. Cognóscant omnes quales ego propugnatóres requíram, qui propugnáre possint, impugnáre non sóleant. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nocéant. Tales ego ámbio defensóres, tales mílites hábeo, hoc est, non séculi mílites, sed mílites Christi. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum quo majóra, eo tutióra patrocínia sunt.

℟. Sancti tui, *p.* xlj.

LECTIO V.

APERUIT óculos nostros Dóminus; vídimus auxília quibus sumus sæpe defénsi. Non videbámus hæc, sed habebámus tamen. Itaque trepidántibus nobis quasi díxerit Dóminus: Aspícite quantos vobis Mártyres déderim: ita reserátis óculis glóriam Dómini speculámur, quæ est Mártyrum passióne prætérita, et operatióne præsens. Evásimus, fratres, non mediócrem pudóris sárcinam: patrónos habebámus, et nesciebámus. Invénimus unum hoc quo videámur præstáre majóribus. Sanctórum Mártyrum cognitiónem quam illi amisérunt, nos adépti sumus.

℟. Vérbera, *p.* xlj.

LECTIO VI.

ERUUNTUR nóbiles Relíquiæ e sepúlcro ignóbili: ostendúntur cœlo trophǽa; sánguine tellus madet; appárent cruóris triumphális notæ; inviolátæ Relíquiæ loco suo et órdine repértæ; avúlsum húmeris caput. Nunc senes répetunt audísse se aliquándo horum Mártyrum nómina, titulúmque legísse. Perdíderat cívitas suos Mártyres, quæ rápuit aliénos. Etsi hoc munus Dei est, tamen grátiam quam tempóribus sacerdótii mei Dóminus Jesus tríbuit, negáre non possum; et quia ipse martyr esse non méreor, hos vobis Mártyres acquisívi. Succédant víctimæ triumpháles in locum ubi Christus hóstia est: sed ille super altáre, qui pro ómnibus passus est; isti sub

altári, qui illius redémpti sunt passióne.

℟. Tanquam, *p.* xlj.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii Secúndum Lucam.

Lectio vii, *Cap.* 12-4.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Dico vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Episcopi.

De Fide ad Petrum.

Propheta dicit: Mihi adhærére Deo bonum est. Adhǽre ígitur Deo, fili caríssime; et in ipso spem tuam toto corde, fide et charitáte constítue. In milítia sǽculi éxhibe regi terréno fidéle servítium; quia hoc díligit Deus, hoc mandat Apóstolus. In causa vero fidei, qua Christus nos redémit in sánguine suo, omnis de corde tuo timor abscédat. Illi ánimas nostras debémus, cujus sánguine redémpti sumus. Illum debémus præ ómnibus dilígere, quem nostrárum nóvimus animárum clementíssimum Redemptórem. Illius debémus timére præ ómnibus ætérnam et veram potestátem, quem ventúrum sperámus æquíssimum júdicem. Illius debémus promíssa toto cordis afféctu appétere, qui potest ánimæ et córpori donáre vitam ætérnam.

℟. Propter, *p.* xliv.

Lectio viii.

Illius timére debémus iracúndiam, qui potest corpus et ánimam míttere in gehénnam: in cujus judício, sine acceptióne personárum, sine ambitu potestátum, æquáliter judicabúntur dómini et servi, reges et mílites, dívites et páuperes, húmiles et súblimes: ubi servus quisquis hic fidem Dei in veritáte tenúerit, regno potiétur ætérno: dóminus autem infidélis sempitérno exurétur incéndio: ubi servórum dominórumque fidélium nec vita terminábitur, nec lætítia finiétur; infidélium vero sive servórum, sive dominórum ignis non extinguétur, et vermis non moriétur.

℟. Hæc est vera, *p.* xlv.

Lectio ix.

De Vigilia Sancti Joannis B., in Breviario, *p.* 387.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. Vigiliæ.

DIE XXV.

COMMEM. S. ALBANI,

Martyris.

Lectio ix.

Albanus in Británnia Majóri, proto-mártyris título insignítus, tanquam inter mártyres illústrior, quamvis idolórum cúltui addíctus, Cléricum qui a pagánis quærebátur ad necem, hospítio excépit et domi ábdidit. Hæc tanta humánitas ipsi felicíssime cessit. Mox enim hóspitis fidem virtútemque mirátus, motus grátia, abjéctis idólis, Christo se

totum dedit. Paulo post, Præféctus cértior factus ubi Cléricus latéret, misit qui eum comprehénderent. Sed Albánus hóspiti métuens, mutátis mútuo véstibus, illum evádere jubet, et in ejus locum se súfficit. Verolámium in urbem, nunc Sancti Albáni nómine dictam, ducitur, et Præfécto sistitur, qui se delúsum indígnans, Albáno torménta minátur quæ Clérico paráverat, nisi ad eam quam ejuráverat Religiónem rediret. Sed minas spernens athléta Christi statim flagéllis inhumáne cæditur, et plaudénte Christianórum multitúdine, cápite pléctitur, décimo Caléndas Júlii, desinénte século tértio.

Te Deum laudámus, p 15.

In Laud. Comm. Oct. et S. Albani, mart.

Oratio, Præsta... ut qui, etc., *p.* xxx.

DIE XXVI.

OCTAVA

ET FESTUM INVENTIONIS AC TRANSLATIONIS SS. MARTYRUM GERVASII ET PROTASII.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur :

In I Vesp. Comm. 1° *præced.* (*in* Breviar., *p.* 396,) 2° *Octavæ S. Joannis Baptistæ,* 3° *S. Maxentii Conf. non Pont. Oratio,* Intercéssio nos, *p.* lxviij, 4° *S. Salvii, Conf. Pont. Oratio,* Exáudi, *p.* l.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Ex libro Paulini Presbýteri, de vita sancti Ambrósii, ad beátum Augustínum conscrípto.

Cap. 12 *et seq.*

AMBROSIUS Justínæ Regínæ immúneras insídias sustínuit, quæ munéribus atque honóribus advérsus sanctum virum oblátis, pópulum excitábat. Exércitus étiam armátus ad custodiéndas fores Ecclésiæ est diréctus, ut nemo audéret Cathólicam Ecclésiam íngredi. Sed Dóminus, qui de adversáriis suis Ecclésiæ suæ triúmphos donáre consuévit, ad Ecclésiæ suæ muniméntum, militum corda convértit; ut avérsis scutis Ecclésiæ fores custodirent, nec égredi dimitterent, sed íngredi Ecclésiam plebem Cathólicam mínime prohibérent : sed nec hoc satis erat missis milítibus, nisi étiam pro Cathólica fide, cum plebe páriter acclamárent.

℟. Sancti tui, *p.* xlj.

LECTIO V.

HOC in témpore primum antiphónæ, hymni ac vigiliæ in Ecclésia Mediolanénsi celebrári cœpérunt. Cujus celebritátis devótio, usque in hodiérnum diem, non solum in eádem Ecclésia, verum per omnes pene occidéntis provincias manet. Per idem tempus sancti Mártyres Protásius et Gervásius sacerdóti se revelavérunt.

℟. Verbera, *p.* xlj.

LECTIO VI.

Ubi sanctórum Mártyrum córpora sunt leváta, et in lécticis pósita, multórum ibi sanátæ ægritúdines perdocéntur. Cæcus étiam, Sevérus nómine, qui nunc usque in eádem Basílica, quæ dícitur Ambrosiána, in quam Mártyrum córpora sunt transláta, religióse servit, ubi vestem Mártyrum áttigit, lumen recépit. Obséssa étiam córpora a spíritibus immúndis curáta summa cum grátia domum repetébant.

℟. Tanquam, *p.* xlj.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 4. 33.

In illo témpore; In synagóga erat homo habens dæmónium immúndum, et exclamávit voce magna, dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazaréne? Venísti pérdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Ep. 22 *ad Marcellin. sororem.*

Qui celebritátem vestram ínvidis ánimis ferre non possunt, causam celebritátis odérunt, atque in tantum améntiæ prorupérunt, ut negent Mártyrum mérita, quorum ópera étiam dæmones confiténtur. Sed hoc non mirum; siquidem tanta est incredulórum perfídia, ut tolerabílior sit diábolo plérumque conféssio : dicébat enim diábolus : Jesu Fili Dei vivi, quid venísti ante tempus torquére nos? Et cum hæc audírent Judæi, ipsi tamen Fílium Dei denegábant.

℟. Propter testaméntum, *p.* xliv.

LECTIO VIII.

Et nunc audístis clamántes dæmones, et confiténtes Martýribus quod pœnas ferre non possint, et dicéntes : Quid venístis, ut nos tam gráviter torqueátis? Et Ariáni dicunt : Non sunt isti Mártyres, nec torquére diábolum possunt, nec áliquem liberáre ; cum torménta dæmonum voce probéntur, et benefícia Mártyrum remédiis sanatórum, et absolutórum indíciis declaréntur.

℟. Hæc est vera, *p.* xlv.

Pro Comm. S. Maxentii.

LECTIO IX.

Adjutor, qui et Maxéntius, Agathæ ex nóbili prosápia oriúndus, adoléscens sancti Séveri abbátis disciplínæ commíssus est, in qua mirabíliter profécit. Hinc ad Diœcesim Pictaviénsem divértit, ubi sub nómine Maxéntii aliquándiu delitéscens, beáti Agapíti præcéptis lætus utebátur; verum próditus méritis in dies emicántibus, ad Monastérii regímen evéctus est, in quo, assídua oratióne quæ ei corpus deprésserat, et insólita vitæ austeritáte máxime excélluit. Circa annum quingentésimum décimum quintum, vita functus

est vir sanctus, ætátis suæ sexagésimo séptimo.

Te Deum laudámus, p. 15.

In Laud. Comm. 1° *Octavæ S. Joannis,* 2° *S. Maxentii,* 3° *S. Salvii.*

DIE XXVII.

COMMEM. S. IRENÆI, ET SOC. MARTYRUM.

Oratio, Deus, qui nos concédis, p. XXXV.

LECTIO IX.

IRENÆUS, gente Asiáticus, cum adhuc puer esset, Sancti Polycárpi auditor fuit : a quo multa de Apóstolo Joánne et áliis discípulis qui et Dóminum víderant, de doctrína Christi ejúsque miráculis accéperat, quæ studióse aúdiens, non in charta sed in corde suo descríbens, assídue étiam senex repetébat ac mente revolvébat. Ab eódem Polycárpo ad Gállias diréctus est quem sanctus Pothínus Ecclésiæ Lugdunénsis primus Epíscopus presbyterum ordinávit. Romam ad Eleuthérum missus de Páschatis quæstióne, rem ad felícem éxitum perdúxit. Intérea beátus Pothínus illústri martýrio coronátur, cui successúrus elígitur Roma redux Irenæus. Sedáta persecutióne, multa et præclára scripsit præsértim advérsus hæréses. Cum in controvérsia de die Páschatis, Victor Románus Póntifex Orientálibus excommunicatiónem comminarétur, nisi Ecclésiæ Románæ consuetúdinem amplecteréntur, Irenæus eum per litteras commónuit non fácile debére unitátem collégii scíndere. Tandem postquam prædicatióne sua civitátem Lugdunénsem pene in íntegro fecísset christiánam, adveniénte íterum persecutióne sub Sevéro príncipe, Irenæus divérsis cruciátibus afféctus, per martyrium Christo Dómino dedicátus fuit; tántaque cum eo multitúdo Christianórum fuit juguláta, ut per pláteas flúmina currérent de sánguine christiáno.

Te Deum laudámus, p. 15.

In Laud. Comm. S. Irenæi et sociorum.

DIE XXX.

COMMEM. S. THEOBALDI, CONFESS. NON PONT.

Oratio. Adésto. p. lxviij.

LECTIO IX.

THEOBALDUS Pruvini e stirpe Cómitum Campániæ natus, adoléscens vitam eremíticam elégit. Ut autem libérius Deo inservíret, pátrium solum desérens, in Itáliam proféctus, intra colles Salanicénses prope Vicéntiam aspérrimum vitæ genus, et quod humánas vires excédere videbátur, ampléxus est. Hinc, accedénte post áliquot annos miraculórum fama, a Vicentíno Epíscopo invítus promótus est ad sacerdótium. Demum ætáte non minus quam austeritáte conféctus, migrávit ad Christum, anno millésimo sexagésimo sexto, prídie caléndas Július. Corpus ejus Se-

nónas primum, postrémo Latiniacum solémni pompa relátum est.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Theobaldi.

FESTA JULII.

DIE XXII.

COMMEM S. VICTORIS,

MARTYRIS.

Oratio, Præsta, quæsumus...... ut qui, *p.* xxx.

Ex Passióne sancti Victóris Massiliénsis Mártyris.

Apud Ruinart, ad ann. 290.

LECTIO IX.

Inter sanctórum Mártyrum gemmas Victor sanctíssimus gloriósus cláruit; vel quod esset nobílior, vel quod in religióne nostra instrúctior et fervéntior; deprehénditur, Præfectórum tribunálibus præsentátur. Ille statim se Christi mílitem protestátur; sed quia vir clarus erat, judicátum a Præféctis est, ut ejus causa ad Cæsaris audiéntiam referrétur. Cæsar sanctum Mártyrem fúnibus coarctátum per totam urbem præcépit volutári. Tali ludíbrio cum satis supérque vulgi óculos satiásset, ad tribunália Præfectórum lacerátus cruentusque redúcitur. De negándo Christo et diis adorándis ácrius perorátur. Cumque perorásset Martyr; Adhuc, inquiunt, Victor, philosophári non désinis. Tunc Astérius Christi mílitem jubet áffigi. Jam totum corpus et ánimam Deo redditúrus, edícto Cǽsaris ad molam pistóriam dúcitur. Ad perféctam ejus plenámque victóriam, gládio illi caput abscindunt.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Victoris.

DIE XXXI.

COMMEM. S. GERMANI,

CONF. PONT.

Oratio. Exáudi, quæsumus, etc., *p.* I.

LECTIO IX.

Germanus nóbili génere Autissiodóri natus, post auditória Gallicána, Romæ juris perítiam adéptus causas egit, ibique uxórem duxit. Provínciæ suæ Visitátor constitútus, in Gálliam rédiit. Hunc ubi successórem sibi futúrum divínitus cómperit Amátor Autissiodorénsis Epíscopus, clericáli veste índuit. Germánus vero Epíscopus creátus, sǽculi pompam aspernári cœpit, uxórem habére pro soróre, vitam ásperam dúcere, sua paupéribus erogáre, oratiónem vix unquam intermíttere. Cumque Pelagiána hǽresis in Británnia Majóri grassarétur, ad eam extirpándam Gálliæ Epíscopi, rogántibus Británnis, misérunt Germánum cum Lupo Trecénsi, qui ínsulam purgárunt ab erróre. Cláruit ibi Germánus miráculis, et Británnis insígnem procurávit victóriam non armórum vi, sed clericórum et mílitum précibus, et clamóre quo divínitus hostes extérriti in fugam acti sunt.

In Gálliam rédux, pro plebe váriis calamitátibus vexáta Auxiliárem ádiit Gálliæ Præféctum, qui ultro ejus précibus ánnuit. Deínde Ravénnam proféctus ad Valentiniánum Imperatórem, véniæ rebéllibus Aremóricis conciliándæ causa, ibi paucis post diébus ex hac vita decéssit, anno quadringentésimo quadragésimo octávo. Corpus ejus póstea honorífico comitátu Autissiodórum delátum est.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Germani.

FESTA AUGUSTI.

DIE VIII.

COMMEM. S. SIGRADÆ, NEC VIRG. NEC MART.

Oratio. Exáudi nos, *p.* cij.

LCETIO IX.

SIGRADA ex nobilíssima Francórum progénie, fratrem hábuit Didónem Pictaviénsem Epíscopum. Non impáris ipsa géneris aut dignitátis sortíta cónjugem, duos ex eo fílios Gairínum et Leodegárium suscépit. Hic annos natus quadragínta, Epíscopus Æduénsis creátus est; ille autem Cómitis título insignítus, in aula Regum Clotárii tértii, et Childérici mansit, donec Ebroínus regni gubernáculis admótus, Leodegárium vexáre et insectáre cœpit. Sígrada vero, cum a Leutrúde Ebroíni cónjuge fundátum esset Suessióne puelláre Sanctæ Maríæ cœnóbium, jam áliquot ab annis vídua, amplis facultátibus derelíctis, servis ancillísque manumíssis, sola cómite Eleuthéria Leodegárii nutríce, eam in domum se cóntulit. Ibi duce Actéria abbatissa, oratiónes inter Scripturǽque sacræ lectiónem et meditatiónem tempus omne pártiens, una cum soróribus quibus cor unum erat et ánima una, vitam agébat. Sed ecce ínterim Sanctæ Víduæ acerbíssimus et contínuus dolor; quippe quæ ambóbus fíliis cruentíssima nece interféctis sese víderit orbátam. Quibus supérstes ad áliquot annos vixit, amaritúdinem ánimæ solátio sanctæ spei témperans, et filiórum exémplo ad cœléstis pátriæ desidérium accénsa, pie tandem requiévit in Dómino prídie nonas Augústi. Nomen ejus in antiquíssimis Litániis jam ante Cároli Magni impérium scriptis invocátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Sigradæ.

DIE IX.

S. BANDARIDI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont, p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum Bandáridum antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salú-

tis ætérnæ, ut omnes te donánte, tibi plácita cúpiant et tota virtúte perfíciant. Per.

In I Vesp. Comm. precedentis (*in* Breviar., *p.* 533), *et S. Romani Martyr.* (*in* Breviar., *p.* 536).

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

BANDARIDUS Clotárii Francórum regis senióris tempóribus, post óbitum sancti Lupi Suessionénsis Episcopi in ejus locum suffectus est. Hic decessóris sui ut auctoritátis sic et virtútum hæres, Ecclésiam inculpátæ vitæ exémplo verbum corroboránte dócuit, eámque mira prudéntia rexit. Eleemósynis præsértim ita déditus erat, ut omnem fere substántiam in aléndis paupéribus erogáret. Quápropter ab aúlicis quibúsdam quorum fastum vita símplice redarguébat, irrísus primum tanquam amens ac stólidus, tandem étiam velut rerum Ecclésiæ male pródigus, apud Clotárium insimulátus est, et príncipis edícto per calúmniam extórto, nulla synodo hábita, aut judiciário órdine de ejus vita ac móribus institúto, Episcopátu cédere cóactus est.

℟. Invéni David, lv.

LECTIO V.

EJECTUS a sede, hortum coléndo, labóre mánuum victum quæritáre non dubitávit. Clotárius demum, cógnita post septem annos sancti Pontíficis innocéntia, eum revocávit. Redeúnti tota cívitas óbviam effúsa, sexto ab urbe milliário ad locum quem Arthésiam vocábant, occúrrit. Ut vero urbem est ingréssus, ipso ad aram stante ac deprecánte, morbus quo jámpridem laborábat pópulus, cessávit.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

NON multo post, beáti Pontíficis Medárdi exéquias, toto Clero extra urbem cum eo procedénte prosecútus est, sanctúmque corpus, prout decébat, honorífice suscépit. Clotário Regi, qui ad annos inde quindecim víxerat, supervixisse créditur. Acri febre corréptus, óbiit Caléndis Augústi, ea sanctitátis opinióne quam de se vivus concitáverat. In Ecclésia Sancti Crispini Majóris ad dextrum altáris sanctæ Maríæ latus, sepúltus est.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Hom. in Evang. Vigiláte, *de Comm.* p. lxiij.

LECTIO IX.

De vigilia S. Laurentii (*in* Breviar., *p.* 536).

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. Vigiliæ et S. Romani martyris.

In I Vesp. S. Laurentii, commem. præcedentis.

DIE XII.

COMMEM. S. GAUGERICI,

CONF. PONT.

Oratio. Exáudi, *p.* l.

LECTIO IX.

GAUGERICUS, Epúsio in castro ad fines Trevirórum vetérrimo, paréntibus cathólicis atque honésto loco natus est. Ab iis primas litteras edóctus, cum in sapiéntia plúrimum proficeret, a Magnérico Trevirórum Epíscopo tonsúra clericáli initiátus et ad levíticum póstea ministérium promótus fuit. Fertur quadam die, cum orándi causa loca sacra adiret incidísse in óbvium hóminem pagánum qui lepra laborábat, eique, cum in ejus ánima evangélicæ doctrínæ desidérium accendísset, tum morbi curatiónem, tum salutárem baptísmi medicínam contulísse. Intérea quum Gaugérici fama longe latéque percrebuísset, post mortem Vedúlfi Cameracénsis Epíscopi, a Clero populóque postulátum est, ut ipse in locum mórtui Pontíficis succéderet; ac, jubénte Childebérto Austrasiórum Rege, Ægídius Reménsis Metropolitánus Gaugéricum sine mora consecrátum ad viduátam Ecclésiam misit. Multa facta ab eo mirácula memorántur, curáti précibus ejus morbi quam plúrimi; idóláque, eo prædicánte, sæpissime evérsa ac succísa. Tandem annis trigínta novem in Episcopátus labóribus transáctis, in Dómino obdormívit, tértio Idus Augústi, anno Clotárii regis trigésimo sexto.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Gaugerici.

DIE XIII.

S. RADEGUNDIS,

NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

Semiduplex.

Omnia de Comm. non Virg. nec Mart., p. cj. *præter seq.*

Oratio. Exáudi nos, Deus, *p.* cij.

In I Vesp. Commem. Octavæ et SS. Hippolyti et Cassiani martyrum (*in* Breviar., *p.* 548 et 549).

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO VI.

RADEGUNDIS, filia Berthárii Toringórum príncipis, Clotárii Primi ex captiva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigílias, statas et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem cum régia dignitáte conjúnxit. Occiso fratre jussu Clotárii, ipso permitténte ab aula discédens, sanctum Medárdum ádiit; cumque monásticam vestem suscepísset, in Diáconam ab eo benedícta est.

℟. Propter veritátem, *p.* cvij.

LECTIO V.

PICTAVOS profécta, ibi ex munificéntia regis, monastérium vírginum sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit: impetravítque póstea a concílio Turonénsi secúndo, congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Cœnóbio so-

rórem Agnétem Abbatíssam præfécit quam consecrávit sanctus Germánus Parisiénsis.

℟. Dilexísti, *p.* cviij.

LECTIO VI.

Ea autem pietáte Radegúndis sacrifícium Eucharistiæ prosequebátur, ut in illíus usum panes própriis mánibus confícéret, quos divérsis suppeditábat Ecclésiis: ac, præter cætera pietátis offícia, id illi máxime curæ erat ut pro régibus indesinénter preces fíerent in monastério. Abiit ad Dóminum anno quingentésimo octogésimo séptimo. Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in Diœcési obeúnda Merovæo Pictaviénsi; cui tamen reservátum est, ut revérsus Missam celebráret, tumulóque opérculum impóneret.

℟. Fallax grátia, *p.* cviij.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang. Simile est, *de Comm.*, p. cx.

Lect. IX, de SS. Mart. in Breviar., *p.* 551.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. Oct. et SS. Martyrum.

In II Vesp. Comm. Octavæ et S. Eusebii (*in* Breviar., *p.* 551).

DIE XVI.

S. ROCHI, CONF.

Duplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. cciv.

(*Transfertur Festum S. Hyacinthi in diem* 18.)

DIE XVIII.

S. HYACINTHI, CONF.

(*E die* 16.)

Duplex.

Omnia ut in Breviario, p. 564, *exceptis quæ sequuntur.*

IN III NOCTURNO.

IX Lectio de S. Agapito Martyre (*in* Brev., *p.* 573).

In Laud. Comm. Octavæ Assumpt. et S. Agapiti, Mart.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XIX.

S. ARNULPHI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

Omnipotens Deus, qui Beátum Arnúlphum antistitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesp. Commem. præcedentis (*in* Breviar.) *et Octav.*

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Arnulphus illústribus in Bélgio paréntibus natus, postquam áliquo témpore, propinquórum impúlsu, militáverat; mórtuo demum patre, discipli-

nam monásticam sub Reináldo Sancti Medárdi Abbáte, Suessióne est ampléxus. Tum céllula inclúsus, ac siléntii perpétui tenax, per tres annos vitam aspérrimam egit. Deinde cum ipse Reináldus obiisset, ac Póntius áliquis, qui contra jus ei succésserat, fuisset e loco túrpiter dejéctus, magna fratrum consensióne Arnúlphus Abbas eléctus est. Fugit autem noctu, ut dignitáti oblátæ se subdúceret; sed ab insequéntibus invéntus, et in monastérium revocátus, Philippo quoque Rege jubénte, magnum onus coáctus suscépit.

℟. Inveni David, *p.* lv.

LECTIO V.

DISCIPLINAM ferme collápsam instauráre statim aggréssus, proptérea in ódium venit Odóni cuidam aliisque frátribus, qui legum monasticárum jugum ferre non póterant. Ii vero malis ártibus a rege obtinuérunt ut Abbas sanctissimus ad milítiam, ut ántea solébat, redire juberétur. At ille, cum id esse a monástico propósito aliénum plane sentiret, multo magis se abdicáre dignitáte máluit, quam in seculári milítia iterum versári. Diléctam ígitur céllulam lætus repétiit, donec, mórtuo Theobáldo Suessionénsi Episcopo, succédere in ejus locum, inauguratiónemque Episcopálem ab Hugóne Diénsi, Apostólico Legáto accípere cogerétur. Occupáta vero per vim Cáthedra ab Ursióne quodam qui régio favóre utebátur, ipse ad Castrum Ulciacum sedem constituit; eóque loci concurréntibus úndique pópulis, salútis ætérnæ adjuménta dividébat.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

ANNO elápso, cum hábitum esset apud Meldas Concílium, in eóque Ursio damnátus et ejéctus; tum Arnúlphus inter festívas cívium ómnium gratulatiónes urbem Suessionénsem ingréssus est, unde nunquam póstea discéssit, nisi pública Ecclésiæ utílitas illum álio vocáret. A Gregório enim Papa séptimo in Flándriam missus est, ut exórta illic magna dissídia compóneret; ac reipsa pacem Robértum Cómitem inter ac nóbiles dissidéntes humaníssime conciliávit. Deinde Altembúrgum cum venisset, donátam a cívibus Ecclésiam accépit, congregátisque frátribus in monastérium erectam dotávit. In eo ipso póstea monastério morbo corréptus, anno millésimo octogésimo séptimo, décimo octávo Caléndas Septémbris, in Dómino obdormívit. Corpus ejus ibidem sepúltum est in Ecclésia sancti Petri, ac post annos trigínta, miraculórum fama cogénte, a Lambérto, Tornacénsi Epíscopo, Concílii Belvacénsis jussu, ex humo in lucem elátum.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evan-

gelium Vigiláte, *de Comm.*, p. lxiij.

In Laud. Comm. Octavæ.

DIE XXI.

COMMEM. S. PRIVATI,

MART. PONT.

Oratio, Infirmitátem, *p.* xx.

LECTIO IX.

SANCTUS Privátus, Gabalitánus, seu Mimátensis in Gállia Epíscopus, tum religiónis stúdio fervens, tum de pia quiéte sollícitus, in vicini supercílio montis cryptam sibi conféceràt unde non nisi ad agénda pro more solémnia prodíre solébat. Valeriáno autem et Galliéno imperatóribus, cum Alamánni, Gálliis jam magna ex parte vastátis, ipsam Gabalitánam regiónem inváderent, sanctus Póntifex, non ut cæteri mǽnium præsídia, sed cryptæ suæ pétiit receptáculum, ubi jejúniis et oratiónibus eo inténsius vacábat, quo diriori pópulus suus obsidióne cingerétur. Sed ibi tandem a bárbaris repértus, cum nec oves suas bonus pastor lupis trádere vellet, spontáneam deditiónem suadéndo, nec ínsuper dæmóniis sacrificáre, ideo támdiu fústibus et flagris, necnon adustiónibus est afflíctus, quoadúsque crederétur exánimis; et paucis interpósitis diébus, liberáto ínterim quasi divínitus pópulo, inter gratulántium óscula et lácrymas, ánimam exhalávit. Ejus túmulum tot ac tanta illustrárunt mirácula, ut, confluénte pie peregrinántium multitúdine, e vículo cívitas surréxerit Mimaténsis. Ibidem, in Ecclésia Cathedráli sancti Mártyris caput, et in monte crypta multo populórum concúrsu religiosíssime háctenus invisúntur. Extat étiam in agro Laudunénsi Paróchia Coverónis nómine, quæ sacram ex ejúsdem cápite particúlam simul et antíquam capéllam quasi cryptæ sancti Mártyris memóriam et imáginem possidére et magna devotióne venerári gloriátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Privati.

DIE XXIV.

COMMEM. S. AUDOENI,

CONF. PONT.

In offic. Noct. et Laudibus tantum.

LECTIO IX.

AUDOENUS, qui et Dádo, Sanciaci in agro Suessionénsi paréntibus piis et nobílibus natus, custos fuit ánnuli Dagobérti regis, et amícum sociúmque in Palátii negótiis hábuit Elígium. Ambo, adhuc laïci, in synodo Aurelianénsi, Monothélitam quemdam erróris convicére. Ambo eódem die comam deposuére, et Clero addícti sunt. Ambo eódem die, post longam præparatiónem Epíscopi consecráti sunt, Elígius Noviomėnsis, Audóenus vero Rotomagénsis. Qui cœpit exínde tanto magis sese humiliáre, quanto majóri dignitáte excellébat, et peccáta pópuli

tanquam própria deflére, ita ut corpúsculum jam jejúniis fractum non nisi super virgúltis noctu repóneret, collúmque et bráchia circulis férreis stringere ad mortem usque non desierit. Jam vero tali flagrábat animárum zelo, ut non modo in civitáte religiónem mirum in modum verbo et exémplo promóverit, sed étiam locos suæ Diœcesis remotíssimos et aspérrimos inviseret, et evangelizáret, nihil existimans beátius, nihil antíquius quam paúperes et rústicos, exémplo Christi, verbo divino páscere. Sæpíssime étiam, pro públicæ pacis causa, utilíssimam navávit óperam. Transáctis in tali Pontificátu quadraginta quátuor annis, Clippíaci prope Parísios febre corréptus, impetráto successóre Ansbérto, óbiit anno vitæ circiter septuagésimo quarto, Christi sexcentésimo octogésimo tértio. Corpus ejus Rotómagum translátum, in basílica Sancti Petri Príncipis Apostolórum cónditum est, cui et nomen dedit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

Oratio, Da quǽsumus, *p.* lix.

DIE XXV.

COMMEM. S. HUNEGUNDIS, VIRG. NON MART.

Oratio, Exáudi nos, *p.* lxxxvj.

LECTIO IX.

Hunegundis nóbili génere nata in ea Viromandúensis agri villa quam Lambáïdem vocant, a sancto Elígio nondum Epíscopo, e sacro fonte suscépta est. Desponsáta præter voluntátem Eudáldo nóbili viro, tácite cógitans quómodo se et dotem suam offérret Christo, sponso persuásit ut connubiáli licéntia abstinéntes, ambo ad Apostolórum límina se conférrent, póstea matrimónium felíciter auspicatúri. Cum Romam pervenissent, post salutátas devóte Sanctórum Basílicas, Martínum primum Pontíficem sola, inscio Eudáldo, ádiit, et ad ejus pedes provolúta, virginitátem Christo óbtulit, cápitis velámen, et sigíllum castimóniæ humíliter expóscens. Hujus ut devotiónem Póntifex agnóvit, eam Christo servitúram consecrávit. In pátriam redux, ómnia bona sua Humolariénsi, quod jam extábat, cœnóbio dedit. Quod quidem sponsus primum tulit ægérrime, sed póstea approbávit, seque Deo servum perpétuum cum suis bonis ómnibus coram altári Vírginis Deipáræ óbtulit. Fuit ítaque réliquo vitæ suæ témpore monastérii in rebus exterióribus procurátor, ibíque dignum hábuit sepúlcrum, curante ipsa Hunegúnde tunc Abbatissa. Evolávit ad cœléstem sponsum sanctíssima Virgo octávo Caléndas Septémbris, anni sexcentésimi nonagésimi. Corpus ejus multis illustrátum miráculis e terra elevátum est prídie Nonas Octóbris anni nongentésimi quadragésimi sexti.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Hunegundis.

DIE XXVI.

S. CÆSARII, PONT. ET DOCT.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Doct. Pont., p. lxiv, *præter seq.*

Oratio, Deus, qui pópulo tuo, *p.* lxiv.

Comm. S. Zephyrini (*in* Breviar., *p.* 590).

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Cæsarius, pátria Cabilonénsis, monastérii Lirinénsis primum mónachus, tum Abbas, ob exímiam doctrínæ et virtútum famam Æónio in sede Arelaténsi, invítus licet, subrogátur. Mox próvidus Pastor de cunctórum salúte sollícitus, instítuit ut Tértiæ, Sextæ et Nonæ Offícium in Sancti Stephâni Basílica Clérici quotídie persólverent, quo láïci, et pœniténtes quotidiáno possent Offício interésse. In hac singulis fere diébus prædicábat; áliis vero Ecclésiis homilías pópulo recitándas suppeditábat.

℟. Inveni, *p.* lxv.

LECTIO V.

Ter apud reges Gothos proditiónis accusátus, ac tóties in exílium et in cárcerem detrúsus, ter innocéntia ejus maniféstis arguméntis comprobáta, absolútus est, et ad Ecclésiam suam remíssus. Inter bella quibus tunc fere contínuis Arelaténsis Província deflagrábat, captívis rediméndis sacram suppelléctilem distráhere non dubitávit: in hoc, cum Ambrósio consénţiens, ei displicére non posse de suppelléctili sua dari redemptiónem, qui prius semetípsum pro redemptióne hóminis tradidísset.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lxvj.

LECTIO VI.

Plúribus intérfuit Concíliis, quibus et plerúmque præfuit. Dénique postquam, Floriáno teste, vixit inter bárbaros pius, inter bella pacátus, pater orphanórum, pastor egéntium, et Cathólicæ régulam disciplínæ dictis factísque demónstrans, migrávit ad Dóminum; et sepúltus est in monastério Vírginum quod ipse Aréláte condíderat.

℟. Iste est, *p.* lxvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Hom. in Evang. Vos estis sal terræ, *de Comm.*, p. lxvj.

Lect. IX, de S. Zephyrino, (*in* Breviar., *p.* 591).

In Laud. Comm. S. Zephyrini.

DIE XXVII.

COMMEMORATIO

SS. TIMOTHEI ET APOLLINARIS

MART.

Oratio, Deus, qui nos concédis, *p.* xxxvj.

LECTIO IX.

Timotheum et Apollinárem sub Neróne Remis in Gállia martýrii corónam adéptos esse

tráditur. Timótheus quídem ante Lampádium Præféctum addúctus, cum sacrificáre renúeret, gravíssime torquétur: Apollináris autem gentilis huic áderat spectáculo, Timotheíque constántiam mirátus, et Religiónem, adeo torméntis quibuscúmque fortiórem, intus movénte Deo, gentilitáte depósita, fidem ampléxus est; et una cum Timótheo váriis cruciátibus attrítus est. Ambo post innúmera torménta senténtiam capitálem excepérunt décimo Caléndas Septémbris.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. SS. Martyrum.

DIE XXVIII.

COMMEM. S. JULIANI, MART.

Oratio, Præsta, quæsumus... ut intercedénte, *p.* xxj.

Et sancti Hermetis, Martyris (*in* Breviar., *p.* 594).

LECTIO IX.

Ex libro sancti Greg. Tur. de Miraculis.

Lib. 2. *Cap.* 1.

JULIANUS, Viennénsi ortus urbe, cum esset apud Beátum Ferréolum, cujus in milítia comes erat, jam tunc martýrii ardóre flagrábat. Relíctis divítiis ac propínquis, ob solíus amórem martýrii, cóntulit se in Arvérnum territórium, ut facílius perveníret ad palmam; metuébat enim ne ei paréntes essent óbvii, si inter eos hoc certámen iniísset, et pérderet miles Christi corónam glóriæ, si legítime non certásset. Igitur instánte persecutióne, ad Brivaténsem vicum, in quo fanátici erróris næniæ colebántur, advénit. Et cum insequi adversários nutu Dei sensisset: Nolo, ait, diútius commorári in hoc século, quia sítio tota ánimi aviditáte jam Christum. At illi, edúctam vibránti déxtera frámeam, decíso cápite, in tres, ut ita dicam, partes gloriósus divíditur Martyr. Nam caput Viénnam defértur, artus Briváte recondúntur, felix ánima a Christo conditóre suscipitur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. 1° *S. Juliani,* 2° *S. Hermetis, p.* 594.

DIE XXXI.

COMMEM. S. THEODULPHI, CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, quæsumus, *p.* 1.

LECTIO IX.

THEODULPHUS, Laubacénsi in Hannónia monastério, tértius post sanctum Erminum fuit præféctus; quo in múnere et consummátæ prudéntiæ et perféctæ sanctitátis dedit specímina, sub Pippino príncipe et Cárolo rege. Is, sicut quidam decessóres ejus, Episcópali dignitáte, absque diœcesi, fuit decorátus. Obiit anno septingentésimo septuagésimo sexto. Corpus ejus e terra levátum est circa annum millésimum centésimum tértium, et ad Ercliam in pago Laudunénsi, ob fidem suscitándam allátum. Sacræ Relíquiæ per

viros istius regiónis circumdúctæ úbique miráculis claruérunt; unde una ex Ecclésiis Ercliæ, nunc Sancti Ermíni dictæ, beáti Theodúlphi patrocínio se commísit. Póstea vero corpus ejus Laubácum redúctum est, et postrémo in Ecclésia canonicórum Laubacénsium urbis Binchii depósitum.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Theodulphi.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

SS. SIXTI ET SINICII,

PRIMORUM EPISC. SUESSIONENSIUM.

Duplex II Classis.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. xlix, *exceptis quæ sequuntur.*

AD I VESPERAS.

CAPITULUM. *Is.* 66. 19.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam et Lýdiam tendéntes sagíttam; in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS.

CHRISTE, jam longum stériles in agros
Misit optátum tua dextra semen;
Fértilis per te grávidis abúndat
Campus arístis.

QUIS tamen fruges Dómino parátas
Hórreis messor pátriis recóndet?
Quæ manus mixtas ségeti revéllet
Próvida spinas?

VOBIS hæc nostri pia cura cessit,
Sixte, dux verbi, cómiti nec impar,
Sínici: tales viduáta poscit
Terra colónos.

CHARITAS junxit sócios viárum;
Díssitos terris regit unus ardor;
Una vox unum váriis Magistrum
Pérsonat oris.

JAMQUE quos ritus véteris tenáces
Hácteņus lusit male sanus error
Eluunt, flecti dóciles, amáro
Crímina fletu.

FORMA fit gentis nova; sol fugárat
Non adhuc cunctas óriens ténebras;
Clárior per vos medióque fulget
Férvidus axe.

LANGUET heu! nostris, quoque seminátum
Córdibus verbum; Bone Cultor, imbres
Mitte fecúndos, Deus, efficácem
Mitte calórem.

CONDITOR frugum, Dominusque messis
Christus ætérno celebrétur hymno,

Et bonum nostro memor usque servet
Péctore semen.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum. ℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

Ad Magnif. Ant. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem : celébra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjíciet ultra ut pertránseat in te Bélial ; univérsus intériit.

ORATIO.

DEUS, qui nobis per ministérium Beatórum Pontificum Sixti et Sinícii, veritátem Evangélii patefíeri voluísti : concéde, quæsumus, ut quod ab illórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

Comm. præcedentis tantum, (*in* Breviar.).

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

VOS, o Christiadæ, festa vocat dies:
Per quos sancta fides hic stetit, et sacram
Hic primum státuit Relligio Crucem,
Lætis pángite cántibus.

NON hos terrúerant fúnera Mártyrum ;
Mittit Roma ; volant, fœdere spléndido
Juráti míseram, sánguine vel suo,
Christo quærere Gálliam.

JAM Remos súbeunt : urbs male pértinax
Obláti réfugit múnera lúminis :
Quidquid tentat amor, pérfida súbruit
Cæcis impíetas dolis.

AT secréta, Deus, quis tua détegat !
Vix nostris sacra vox insónuit plagis,
Late fana ruunt ; Sede nova micat,
Sixto Præsule, civitas.

ERGO Christíadis spes profúgis redit :
Silvárum látebras, ántraque déserunt
Tristes relliquiæ, quas plácidis bonus
Pastor pórtubus excipit.

A QUO fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri ;
Par sit, Nate, tibi ; par tibi, qui moves
Nutu péctora, Spíritus.
Amen.

IN I NOCTURNO.

℣. Confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis. ℟. A templo tuo in Jerúsalem.

De Epistola Beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

LECTIO I. *Cap.* 10. *v.* 9.

SI confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad justítiam ; ore autem conféssio

fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judǽi et Græci ; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Euge, serve bone, *p.* lij.

LECTIO II.

QUOMODO ergo invocábunt in quem non crediderunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu ; auditus autem per verbum Christi.

℟. Ecce Sacérdos, *p.* liij.

LECTIO III.

SED dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem ; in gentem insipiéntem in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me ; palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

℟. Jurávit Dóminus, *p.* liij.

IN II NOCTURNO.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem. ℟. Et fortitúdinem plébi suæ.

LECTIO IV.

SIXTUS et Sinícius post gloriósam in Gálliis Crispíni et Crispiniáni passiónem, cum rari in his regiónibus superéssent Christi minístri qui convérsis ad fidem Evangélicam pópulis auxiliaréntur, a Cáïo Pontífice destináti sunt, ut in beatórum Mártyrum labóres succéderent ; et oves quas Deo lucráti fúerant regéndas susciperent. Igitur ambo profécti et Christi doctrínam disseminántes, apud Remórum urbem primam sedem fixére. Ubi aliquándiu commoráti, cum assíduo labóre parum aut nihil profícerent, Suessiónem venérunt.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

HIC, colléctis ubi primum lícuit quas persecutiónis acérbitas dispérserat, fidélium relíquiis, apposuére sensim gregi qui parvus ac pusillus erat, plebis a se convérsæ multitúdinem. Huic primum erécto Episcopátus título præfuit Sixtus ; sed brevi ad beátum Sinícium deláta est Episcopális auctóritas. Nam Sixtus tandem Remos revocátus, plúrimis ibi a majórum superstitióne ad veri Dei cultum tradúctis, paráto jam ad cele-

bránda sacra loco, lectisque minístris, novæ páriter Ecclésiæ fecit initium. Dénique post annos decem in apostolátus ópere consúmptos, de mortis die a Deo præmónitus, in pace requiévit Caléndis Septémbris, et a Sinício, cui móriens iterum curam Reménsis Ecclésiæ commendávit, in Ecclésia a se constrúcta sepúltus est.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lxj.

LECTIO VI.

ANTEQUAM vero Suessióne discéderet Sinícius, suum in locum Divitiánum ordinávit. Postquam uno anno pópulum Reménsem secúndum Deum pavit, unius ejusdémque templi ac túmuli cum Sixto decessóre méruit consórtium. Hinc sanctæ utriúsque Epíscopi Relíquiæ nono século in Ecclésiam beáti Remígii translátæ sunt, ubi post altáre sancti Petri repósitæ, ad séculum usque décimum séptimum magna religióne frequentátæ sunt. Dénique, ad annum millésimum sexcentésimum vigésimum nonum, a Simóne Epíscopo Suessionénsi partim íbidem in capsam pretiosiórem inclúsæ sunt, partim Suessiónem allátæ, in majóri Ecclésia, honorífice asservátæ sunt usque ad finem séculi décimi octávi.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos. ℟. Et nomen tuum invocábimus.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

LECTIO VII. *Cap.* 24, 44.

IN illo témpore: Dixit Jesus ad discípulos suos: Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam nécesse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi, et Prophétis, et Psalmis de me. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 18, *de Civit. Dei.* *Cap.* 49-50.

CHRISTUS, semináto, quantum per ejus oportébat præséntiam corporálem, sancto Evangélio, passus est, mórtuus est, et resurréxit: sua passióne osténdens quid sustinére pro veritáte; resurrectióne, quid speráre in æternitáte debeámus. Conversátus est in terra quadraginta dies cum discípulis suis; atque ipsis vidéntibus, ascéndit in cœlum, et post dies decem misit promíssum Spíritum sanctum: cujus veniéntis in eos qui tunc credíderant, tunc signum erat máximum et máxime necessárium, ut unusquísque eórum linguis ómnium géntium loquerétur; ita signíficans unitátem Cathólicæ Ecclésiæ per omnes gentes futúram, ac sic linguis ómnibus locutúram.

℟. Amávit eum, *p.* lviij.

LECTIO VIII.

DEINDE, secúndum illam prophétiam: Ex Sion lex pródiet, et Verbum Dómini ex Je-

rúsalem; et secúndum ipsíus Dómini Christi prædícta, primum se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia : et cum in Judǽa, et Samaría plúrimi credidissent, et in álias gentes itum est, annuntiántibus eis Evangélium, quos ipse sicut luminária et aptáverat verbo, et accénderat Spíritu sancto. Dénique per ipsos non solum qui eum et ante passiónem et post resurrectiónem víderant et audíerant, verum étiam post óbitum eórum per pósteros eórum prædicátum est toto orbe Evangélium, contestánte Deo, signis et osténtis, et váriis virtútibus, et Spíritus sancti munéribus; ut pópuli géntium, ipsíque reges quorum légibus vastabátur Ecclésia, ei nómini salúbriter subderéntur, quod de terra crudéliter auférre conáti sunt: et falsos deos inciperent pérsequi, quorum causa cultóres Dei veri fúerant ántea persecúti.

℟. Sint lumbi, *p.* lviij.

LECTIO IX.

De Sancto Ægidio abbate (*in* Breviar., *p.* 606.)

AD LAUDES.

Capitulum, ut in primis Vesperis.

HYMNUS.

Late fama novi Pontíficis volat:
Pastórem cúpiunt, quem modo spréverant,
Remi : tum vácuæ Sinícius comes
Pondus súscipit ínfulæ.

Ergo jam, váriis unánimes locis,
Pascunt ambo gregem : scilicet ǽmulus
Ambos urget amor, se simul ómnibus,
Se totos dare síngulis.

Hæc inter, médio venit ab ǽthere
Vox, o Sixte, tibi núntia fúneris :
Malles, martýrium : pro grege, pro Deo
Malles, si liceat, mori.

Quis sensus mémoret péctoris íntimos!
Mortem spe, lácrymis et précibus vocat :
Mortem non réputat, qua datur éxuli
Veram cérnere pátriam.

Quos vivus dócuit, sic móriens docet :
Flevit Relligio, turbáque páuperum
Flevit, quos tóties veste, cibis, ope,
Christi membra, leváverat.

Remos hinc ráperis, tu quoque, Sínici;
Rursum desérimur : vestra tamen, Patres,
Hic exémpla manent; vestra manet fides
Altis ínsita méntibus.

A quo fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri :
Par sit, Nate, tibi, qui moves
Nutu péctora, Spíritus.
Amen.

℣. Quanta audivimus, et cognóvimus ea. ℟. Et patres nostri narravérunt nobis!

Ad Bened. Ant. In generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus : qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum.

Commemoratio S. Ægidii Abbatis et SS. duodecim Fratrum Martyrum (in Breviar.).

AD TERTIAM.

Ant. Non est inventus.

Capit. Mittam *ut in I Vesp.*

℟. *br.* Confírma hoc Deus * Quod operátus es in nobis. Confirma. ℣. A templo tuo in Jerúsalem. * Quod operátus es. Glória. Confirma.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem. ℟. Et fortitúdinem plebi suæ.

AD SEXTAM.

Ant. Ideo jurejurándo.

Capitulum. II *Thess.* II, 13, 14.

Vocavit vos Deus per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state et tenéte traditiónes quas didicístis.

℟. *br.* Deus Israel * Ipse dabit virtútem. Deus Israel. ℣. Et fortitúdinem plebi suæ. * Ipse dabit. Glória Patri. Deus Israel.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos; ℟. Et nomen tuum invocábimus.

AD NONAM.

Ant. Serve bone.

Capitulum. *Eph.* II, 21, 22.

In Christo Jesu omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

℟. *br.* Non discédimus a te, * Vivificábis nos. Non discédimus. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Vivificábis. Glória. Non discédimus.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

AD II VESPERAS.

Capitulum et Hymnus, ut in I Vesperis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Ant. Nomen eórum permáneat in ætérnum; permánens ad fílios illórum sanctórum virórum glória.

Comm. Sequentis (in Breviar., *p.* 606), *et S. Lupi.*

DIE II.

COMMEM. S. LUPI,

Conf. Pont.

Oratio, Da, quæsumus, *p.* I.

Lectio ix.

Lupus in território Aureliánensi ex nóbili génere ortus, ab Episcopis Aurelianénsi et Autissiodorénsi avúnculis suis, prǒpter déditos religióni mores, adhuc puer in Clerum cooptátus est. Cum ætáte crescéntibus sciéntia meritísque, Artémio in Cáthedra Senonénsi sufféctus est. Quo in múnere admirándis tum pietátis, tum

sollicitúdinis pastorális, tum patiéntiæ opéribus elúxit. Váriis calúmniis impetítus in aula Theodórici Burgundiórum regis, contra detrahéntes hoc reponébat : Nihil aliórum dicta nocent ei quem própria non máculat consciéntia. Post Theodórici mortem, Sanctus Póntifex, serváta Sigebérto filio ejus intemeráta fide, missas a Clotário Secúndo contra Sénones cópias suis ad Deum précibus répulit. Unde Clotárius Burgundiórum regno potítus, invísum sibi Prǽsulem in Neustriam relegávit. Ibi cum multos infidéles Lupus ad veri Dei cultum adduxísset, cógnita tandem ejus innocéntia, Clotárius eum ab exílio revocávit, et ad pedes ejus advolútus véniam deprecátus est. In prǽdio Briennonénsi suæ Diœcesis, óbiit Lupus vitæ sanctitáte et miráculis clarus. Sepúltus est, ut ipse jússerat, sub stillicídio véteris Basílicæ sanctæ Colúmbæ, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus. Inter paróchias quæ patrónum habent beátum Lupum, una est in agro Laudunénsi, in qua ejus memória magno peregrinórum, præsértim epilépsi correptórum, concúrsu quotánnis per novem contínuos dies celebrátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Lupi.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

Parisiis. — Typis Adriani Le Clere et Soc.,
via Cassette, 29.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS SUESSIONENSIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

DD. PAULI-ARMANDI-IGNATII-ANACLETI DE GARSIGNIES,

EPISCOPI SUESSIONENSIS ET LAUDUNENSIS,
REMENSIS PROVINCIÆ DECANI ET PRIMI SUFFRAGANEI,

AUCTORITATE,

NECNON VENERABILIS EJUSDEM ECCLESIÆ CAPITULI
CONSENSU ET OPERA,

CUM S. SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIONE

edita.

PARS AUTUMNALIS.

PARISIIS.

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPOLARUM CATHOLICORUM
LITURGIÆ ROMANÆ EDITORUM.

M DCCC LII.

DECRETUM APPROBATIONIS.

Quod animo sibi proposuerat Reverendissimus Suessionensis Episcopus ab exordio spiritualis regiminis hujus suæ Diœcesis, illud ipsum confirmatum fuit a novissima Provinciali Synodo Rhemis coadunata, anno 1849 (1), ut nimirum ibidem resumeretur sacra Liturgia juxta Breviarium ac Missale Romanum. Quum vero ipsa Suessionensis Diœcesis inpræsentiarum coalescat ex civitatibus et oppidis, quæ prius aliarum Diœcesium partem constituebant, multique sancti penes quæcumque speciali cultu venerentur, vel qui celebriores sunt in universa Gallia, vel loca illa, ortu, vita aut pretiosa morte illustrarunt, ad eorumdem cultum perenniter servandum de consilio immo et sedula opera Reverendissimi Cathedralis Capituli, Proprium Sanctorum Diœcesis diligenter digessit addendum ad calcem Breviarii Romani, illudque SS. Domino nostro PIO Papæ IX exhibuit, ut legitime admitteretur ac probaretur. Sanctitas sua, referente me subscripto Secretario, attentis expositis, de speciali gratia benigne annuit juxta Episcopi Oratoris preces, prævia tamen consueta revisione : accurate propterea reviso, correcto et emendato Proprio Sanctorum recensitæ Suessionensis Diœcesis eo modo, quo superiori in exemplari jacet ; illud eadem Sanctitas sua adprobavit, atque in divinis persolvendis laudibus a Clero Civitatis ac Diœcesis ejusdem lectiones legi et orationes recitari posse concessit, servatis in omnibus Rubricis, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18, mense Julio, Anno 1851.

Signavit A. Card. LAMBRUSCHINI, S. R. C. P.
Subsignavit FATATI, S. R. C. *Secretarius*.

(1) *Concilium Provinciæ Remensis, Suessione habitum est.*

KALENDARIUM

PROPRII SUESSIONENSIS.

PARS AUTUMMALIS.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V non impedita, Officium SS. Sacramenti, *semid.*

Quolibet Sabbato non impedito, Offic. Immacul. Conceptionis B. M. V., *semid.*

PROPRIUM SANCTORUM.

AUGUSTI.

31 S. Theodulphi, Ep. et Conf., *Comm.*

SEPTEMBRIS.

1 SS. Sixti et Sinicii, Ep. et Conf., *dupl. 2 cl.* — S. Ægidii, Abbat., et SS. duodecim Fratrum, Mart., *Comm.*
2 S. Lupi, Episc. et Conf., *Comm.*
3 S. Fiacri, Conf.
4 S. Genebaldi, Episc. et Conf, *dupl.* — S. Marcelli, Mart., *Comm.*
6 S. Canoaldi, Ep. et Conf., *dupl.*
7 S. Ansarici, Ep. et Conf., *dupl.* — S. Grimoniæ, Virg. et Mart., *Comm.*
14 S. Leobini, Ep. et Conf., *Comm.*
15 S. Baldi, Ep. et Conf., *Comm.*
17 S. Lamberti, Ep. et Mart., *Comm.*
18 S. Ferreoli, Mart., *Comm.*

24 S. Salabergæ, Abbat., *Comm.*
25 S. Principii, Ep. et Conf., *dupl.*

OCTOBRIS.

1 S. Remigii, Ep. et Conf., *dupl.* 2 *cl.*
3 S. Leodegarii, Episc. et Mart., *dupl.* — S. Juvini, Conf., *Comm.*
5 S. Divitiani, Ep. et Conf., *dupl.* — SS. Placidi et Soc., Mart., *Comm.*
8 S. Benedictæ, Virg. et Mart., *Comm.*
Dom. II Octobris, Maternitatis B. M. V., *dupl. maj.*
9 S. Vulgisi, Conf., *Comm.*
10 S. Evodi, Ep. et Conf., *Comm.*
15 S. Basoli, Conf., *Comm.*
Dom. III Octobris, Puritatis B. M. V., *dupl. maj.*
16 S. Balduini, Mart.
17 S. Anstrudis, Abbat., *Comm.*
20 S. Agricolæ, Conf., *Comm.*
21 S. Celiniæ, Viduæ, *dupl.* — S. Hilarionis, Abbat., et SS. Ursulæ et Soc., Mart., *Comm.*
22 S. Lupi, Ep. et Conf., *dupl.*
Dom. IV Octobris, Patrocinii B. M. V., *dupl. maj.*
23 SS. Redemptoris Jesu, *dupl. maj.* — SS. Frontonis, Ep. et Conf., et Caprasii, Mart., *Comm.*
24 S. Raphaelis, Archang., *dupl. maj.* — Vigiliæ SS. Crispiniani, Mart., *Comm.*
25 SS. Crispini et Crispiniani, *dupl.* 1 *cl. cum* Octava.
26 De Octava. — S. Evaristi, Papæ et Mart., *Comm.*
27 De Octava. — Vigiliæ SS. Simonis et Judæ, Apost., *Comm.*
29 De Octava.
30 De Octava.
31 S. Quintini, Mart., *dupl.* 2 *cl.* — Octavæ, *Comm.*

NOVEMBRIS.

Dom. infra Oct. Omnium Sanctorum, B. M. V. de Suffragio, *dupl. maj.*
3 S. Huberti, Ep. et Conf., *Comm.*
6 S. Vinoxii, Abbat., *Comm.*
7 S. Godefridi, Ep. et Conf., *Comm.*

Dom. post Oct. Omnium Sanctorum, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS omnium Ecclesiarum Diœceseos quæ certam hujus Solemnitatis diem non habent, *dupl.* **1** *cl. cum* Octava.

13 S. Stanislai Kotskæ, Conf., *dupl.*—S. Brictii, Ep. et Conf., *Comm.*

14 S. Didaci, Conf., *semid.* (E die **13.**)

15 S. Eugenii, Ep. et Mart., *Comm.*

17 S. Aniani, Ep. et Conf., *Comm.*

18 S. Momboli, Abbat., *Comm.*

20 S. Autboti, Conf., *Comm.*

25 S. Goberti, Conf., *Comm.*

DECEMBRIS.

1 S. Eligii, Ep. et Conf., *dupl. maj.*

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS SUESSIONENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

OFFICIA VOTIVA.

QUALIBET FERIA V
non impedita.

OFFICIUM
DE SS. SACRAMENTO.
Semiduplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. CCXX.

QUOLIBET SABBATO
non impedito.

OFFICIUM
IMMAC. CONCEPT. B. M. V.
Semiduplex.

Omnia ut in Supplem. pro aliquibus locis, p. CCXXX.

FESTA SANCTORUM.

FESTA AUGUSTI.

DIE XXXI.

COMMEM. S. THEODULPHI,

CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, quǽsumus, *p*. 1.

LECTIO IX.

THEODULPHUS, Laubacénsi in Hannónia monastério, tértius post sanctum Ermínum fuit præféctus; quo in múnere et consummátæ prudéntiæ et perféctæ sanctitátis dedit specímina, sub Pippíno príncipe et Cárolo rege. Is, sicut quidam decessóres ejus, Episcopali dignitáte, absque diœcesi, fuit decorátus. Obiit anno septingentésimo septuagésimo sexto. Corpus ejus e terra levátum est circa annum millésimum centésimum tértium, et ad Ercliam in pago Laudunénsi, ob fidem suscitándam allátum. Sacræ Relíquiæ per vicos istius regiónis circumdúctæ úbique miráculis claruérunt; unde una ex Ecclésiis Ercliæ, nunc Sancti Ermíni dictæ, beáti Theodúlphi patrocínio se commísit. Póstea vero corpus ejus Laubácum redúctum est, et postrémo in Ecclésia canonicórum Laubacénsium urbis Binchii depósitum.

Te Deum laudámus, *p*. 15.

In Laud. Comm. S. Theodulphi.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

SS. SIXTI ET SINICII,

PRIMORUM EPISC. SUESSIONENSIUM.

Duplex II Classis.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. xlix, *exceptis quæ sequuntur.*

AD I VESPERAS.

CAPITULUM. *Is.* 66. 19.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam et Lýdiam tendéntes sagíttam; in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam, et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS.

CHRISTE, jam longum stériles in agros
Misit optátum tua dextra semen;
Fértilis per te grávidis abúndat
Campus arístis.

QUIS tamen fruges Dómino parátas
Hórreis messor pátriis recóndet?
Quæ manus mixtas ségeti revéllet
Próvida spinas?

Vobis hæc nostrî pia cura cessit,
Sixte, dux verbi, cómiti nec impar,
Sinici : tales viduáta poscit
Terra colónos.

Charitas junxit sócios viárum;
Díssitos terris regit unus ardor;
Una vox unum váriis Magístrum
Pérsonat oris.

Jamque quos ritus véteris tenáces
Háctenus lusit male sanus error
Eluunt, flecti dóciles, amáro
Crímina fletu.

Forma fit gentis nova : sol fugárat
Non adhuc cunctas óriens tenébras;
Clárior per vos medióque fulget
Férvidus axe.

Languet heu! nostris quoque seminátum
Córdibus verbum ; Bone Cultor, imbres
Mitte fecúndos, Deus, efficácem
Mitte calórem.

Conditor frugum, Dóminusque messis
Christus ætérno celebrétur hymno,
Et bonum nostro memor usque servet
Péctore semen.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum. ℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo.

Ad Magnif. Ant. Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem : celébra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjíciet ultra ut pertránseat in te Bélial; univérsus intériit.

ORATIO.

Deus, qui nobis per ministérium Beatórum Pontíficum Sixti et Sinícii, veritátem Evangélii patefieri voluísti : concéde, quæsumus, ut quod ab illórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

Comm. præcedentis tantum (*in* Breviar.).

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

Vos, o Christíadæ, festa vocat dies :
Per quos sancta fides hic stetit, et sacram
Hic primum státuit Relligio Crucem,
Lætis pángite cántibus.

Non hos terrúerant fúnera Mártyrum;
Mittit Roma; volant, fœdere spléndido
Juráti míseram, sánguine vel suo,
Christo quærere Gálliam.

Jam Remos súbeunt : urbs male pértinax
Obláti réfugit múnera lúminis :

Quidquid tentat amor, pérfida súbruit
Cæcis impíetas dolis.
At secréta, Deus, quis tua détegat!
Vix nostris sacra vox insónuit plagis,
Late fana ruunt; Sede nova micat,
Sixto Prǽsule, cívitas.
Ergo Christíadis spes profúgis redit:
Silvárum látebras, ántraque déserunt
Tristes relliquiæ, quas plácidis bonus
Pastor pórtubus excipit.
A quo fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri;
Par sit, Nate, tibi; par tibi, qui moves
Nutu péctora, Spíritus.
Amen.

IN I NOCTURNO.

℣. Confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis. ℟. A templo tuo in Jerúsalem.

De Epístola Beáti Pauli Apóstoli ad Románus.

Lectio i. *Cap.* 10. *v.* 9.

Si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad justítiam; ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judǽi et Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. Euge, serve bone, *p.* lij.

Lectio ii.

Quomodo ergo invocábunt in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu; audítus autem per verbum Christi.

℟. Ecce Sacérdos, *p.* liij.

Lectio iii.

Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico: Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit: Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem; in gentem insipiéntem in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit: Invéntus sum a non quæréntibus me; palam appárui iis qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit: Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem

℟. Jurávit Dóminus, *p.* liij.

IN II NOCTURNO.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem. ℟. Et fortitúdinem plébi suæ.

LECTIO IV.

Sixtus et Sinícius post gloriósam in Gálliis Crispíni et Crispiniáni passiónem, cum rari in his regiónibus superéssent Christi minístri qui convérsis ad fidem Evangélicam pópulis auxiliaréntur, a Cáïo Pontífice destináti sunt, ut in beatórum Mártyrum labóres succéderent, et oves quas Deo lucráti fúerant regéndas suscíperent. Igitur ambo profécti et Christi doctrínam disseminántes, apud Remórum urbem primam sedem fixére. Ubi aliquándiu commoráti, cum assíduo labóre parum aut nihil profícerent, Suessiónem venérunt.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

Hic, colléctis ubi primum lícuit quas persecutiónis acérbitas dispérserat, fidélium relíquiis, apposuére sensim gregi qui parvus ac pusíllus erat, plebis a se convérsæ multitúdinem. Huic primum erécto Episcopátus título præfuit Sixtus; sed brevi ad beátum Sinícium deláta est Episcopális auctóritas. Nam Sixtus tandem Remos revocátus, plúrimis ibi a majórum superstitióne ad veri Dei cultum tradúctis, paráto jam ad celebránda sacra loco, lectísque minístris, novæ páriter Ecclésiæ fecit inítium. Dénique post annos decem in apostolátus ópere consúmptos, de mortis die a Deo præmónitus, in pace requiévit Caléndis Septémbris, et a Sinício, cui móriens íterum curam Reménsis Ecclésiæ commendávit, in Ecclésia a se constrúcta sepúltus est.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lxj.

LECTIO VI.

Antequam vero Suessióne discéderet Sinícius, suum in locum Divitiánum ordinávit. Postquam uno anno pópulum Reménsem secúndum Deum pavit, uníus ejusdémque templi ac túmuli cum Sixto decessóre méruit consórtium. Hinc sanctæ utriúsque Epíscopi Relíquiæ nono século in Ecclésiam beáti Remígii translátæ sunt, ubi post altáre sancti Petri repósitæ, ad séculum usque décimum séptimum magna religióne frequentátæ sunt. Deníque, ad annum millésimum sexcentésimum vigésimum nonum, a Simóne Epíscopo Suessionénsi partim ibidem in capsam pretiosiórem inclúsæ sunt, partim Suessiónem allátæ, in majóri Ecclésia, honorífice asservátæ sunt usque ad finem séculi décimi octávi.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

℣. Non discédimus a te, vivificábis nos. ℟. Et nomen tuum invocábimus.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 24, 44.

In illo témpore: Dixit Jesus ad discípulos suos: Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi, et Prophétis, et Psalmis de me. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 18, *de Civit. Dei. Cap.* 49-50.

Christus, semináto, quantum per ejus oportébat præséntiam corporálem, sancto Evangélio, passus est, mórtuus est, et resurréxit: sua passióne osténdens quid sustinére pro veritáte; resurrectióne, quid speráre in æternitáte debeámus. Conversátus est in terra quadragínta dies cum discípulis suis; atque ipsis vidéntibus, ascéndit in cœlum, et post dies decem misit promíssum Spíritum sanctum: cujus veniéntis in eos qui tunc credíderant, tunc signum erat máximum et máxime necessárium, ut unusquísque eórum linguis ómnium géntium loquerétur; ita signíficans unitátem Cathólicæ Ecclésiæ per omnes gentes futúram, ac sic linguis ómnibus locutúram.

℟. Amávit eum, *p.* lviij.

Lectio viii.

Deinde, secúndum illam prophétiam; Ex Sion lex pródiet, et Verbum Dómini ex Jerúsalem; et secúndum ipsíus Dómini Christi prædícta, primum se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia: et cum in Judǽa, et Samaría plúrimi credidissent, et in álias gentes itum est, annuntiántibus eis Evangélium, quos ipse sicut luminária et aptáverat verbo, et accénderat Spíritu sancto. Dénique per ipsos non solum qui eum et ante passiónem et post resurrectiónem víderant et audíerant, verum étiam post óbitum eórum per pósteros eórum prædicátum est toto orbe Evangélium, contestánte Deo, signis et osténtis, et váriis virtútibus, et Spíritus sancti munéribus; ut pópuli géntium, ipsíque reges quorum légibus vastabátur Ecclésia, eí nómini salúbriter subderéntur, quod de terra crudéliter auférre conáti sunt: et falsos deos inciperent pérsequi, quorum causa cultóres Dei veri fúerant ántea persecúti.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, *p.* lviij.

Lectio ix.

De Sancto Ægidio abbate (*in* Breviar., *p.* 287).

AD LAUDES.

Capitulum, ut in primis Vesperis.

Hymnus.

Late fama novi Pontíficis volat:
Pastórem cúpiunt, quem modo spréverant,

Remi : tum vácuæ Sinícius comes
Pondus súscipit ínfulæ.
Ergo jam, váriis unánimes locis,
Pascunt ambo gregem : scílicet æmulus
Ambos urget amor, se simul ómnibus,
Se totos dare singulis.
Hæc inter, médio venit ab æthere
Vox, o Sixte, tibi núntia fúneris:
Malles, martýrium : pro grege, pro Deo
Malles, si liceat, mori.
Quis sensus mémoret péctoris íntimos!
Mortem spe, lácrymis et précibus vocat:
Mortem non réputat, qua datur éxuli
Veram cérnere pátriam.
Quos vivus dócuit, sic móriens docet:
Flevit Relligio, turbáque páuperum
Flevit, quos tóties veste, cibis, ope,
Christi membra, leváverat.
Remos hinc ráperis, tu quoque, Sinici;
Rursum descrimur: vestra tamen, Patres,
Hic exémpla manent; vestra manet fides
Altis insita méntibus.
A quo fonte fluunt semínibus sacris
Increménta, Deo máxima laus Patri:
Par sit, Nate, tibi, quí moves
Nutu péctora, Spíritus.
Amen.

℣. Quanta audívimus, et cognóvimus ea. ℟. Et patres nostri narravérunt nobis!

Ad Bened. Ant. In generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus : qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum.

Commemoratio S. Ægidii Abbatis et SS. duodecim Fratrum Martyrum (in Breviar.).

AD TERTIAM.

Ant. Non est inventus.

Capit. Mittam *ut in I Vesp.*

℟. *br.* Confirma hoc Deus * Quod operátus es in nobis. Confirma. ℣. A templo tuo in Jerúsalem. * Quod operátus es. Glória. Confirma.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem. ℟. Et fortitúdinem plebi suæ.

AD SEXTAM.

Ant. Ideo jurejurándo.

Capitulum. II *Thess.* II, 13, 14.

Vocavit vos Deus per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state et tenéte traditiónes quas didicistis.

℟. *br.* Deus Israel * Ipse dabit virtútem. Deus Israel. ℣. Et fortitúdinem plebi suæ. * Ipse dabit. Glória Patri. Deus Israel.

℣. Non discédimus a te, vi-

vificábis nos; ℟. Et nomen tuum invocábimus.

AD NONAM.

Ant. Serve bone.

Capitulum. *Eph.* II, 21, 22.

In Christo Jesu omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

℟. *br.* Non discédimus a te, * Vivificábis nos. Non discédimus. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Vivificábis. Glória. Non discédimus.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi.

AD II VESPERAS.

Capitulum et Hymnus, ut in I Vesperis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Ant. Nomen eórum permáneat in ætérnum, permánens ad fílios illórum sanctórum virórum glória.

Comm. Sequentis (*in* Breviar., *p.* 288), *et S. Lupi.*

DIE II.

COMMEM. S. LUPI,

Conf. Pont.

Oratio, Da, quæsumus, *p.* 1.

Lectio ix.

Lupus in território Aureliánénsi ex nóbili génere ortus, ab Epíscopis Aurelianénsi et Autissiodorénsi avúnculis suis, propter déditos religióni mores, adhuc puer in Clerum cooptátus est. Cum ætáte crescéntibus sciéntia meritísque, Artémio in Cáthedra Senonénsi sufféctus est. Quo in múnere admirándis tum pietátis, tum sollicitúdinis pastorális, tum patiéntiæ opéribus elúxit. Váriis calúmniis impetítus in aula Theodoríci Burgundiórum regis, contra detrahéntes hoc reponébat: Nihil aliórum dicta nocent ei quem própria non máculat consciéntia. Post Theodoríci mortem, Sanctus Póntifex, serváta Sigebérto fílio ejus intemeráta fide, missas a Clotário Secúndo contra Sénones cópias suis ad Deum précibus répulit. Unde Clotárius Burgundiórum regno potítus, invísum sibi Prǽsulem in Neustriam relegávit. Ibi cum multos infidéles Lupus ad veri Dei cultum adduxísset, cógnita tandem ejus innocéntia, Clotárius eum ab exílio revocávit, et ad pedes ejus advolútus véniam deprecátus est. In prǽdio Briennonénsi suæ Diœcesis, óbiit Lupus vitæ sanctitáte et miráculis clarus. Sepúltus est, ut ipse jússerat, sub stillicídio véteris Basílicæ sanctæ Colúmbæ, quam singulári cultu semper fúerat prosecútus. Inter paróchias quæ patrónum habent beátum Lupum, una est in agro Laudunénsi, in qua ejus memória magno peregrinórum, præsértim epilépsi correptórum, concúrsu quotánnis

per novem continuos dies celebrátur.

Te Deum laudámus, p. 15.

In Laud. Comm. S. Lupi.

DIE III.

S. FIACRII, CONF. NON PONT.

Oratio, Adésto, p. lxviij.

LECTIO III.

Fiacrius qui et Fefrus, in Hybérnia nobilibus paréntibus ortus, Meldos ad Sanctum Farónem, solitáriæ vitæ desidério, cum áliquot sóciis venit. Cujus votis ánnuens beátus Póntifex, locum a turbis remótum, et silvis circumtéctum, e património suo, nómine Brógilum, illi concéssit. Ibi Fiácrius, evúlsis arbóribus, monastérium in honórem Sanctíssimæ Vírginis constrúxit, in quo peregrínos et hóspites excipiébat, exígua sibi seórsum ædificáta domo. Cum autem virtútum ejus fama longe diffunderétur, undequáque ad eum adducebántur infírmi quos sola manus impositióne sanitáti restituébat. Mulíeres oratórii sui áditu ómnino prohíbuit. Miráculis illústris, labénte séptimo século, vita functus est.

Te Deum laudámus, p. 15.

DIE IV.

S. GENEBALDI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, præter seq.

ORATIO.

Omnipotens Deus, qui Beátum Genebáldum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus prǽerat, verbo et exémplo, prodésse voluísti: eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Comm. S. Marcelli martyris.

Oratio. Præsta, quǽsumus, ... ut qui, p. xxj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Genebaldus, nóbili génere ortus, sacrísque ac profánis lítteris erudítus, cum neptem sancti Remígii duxísset uxórem, assentiénte sponsa, continéntiam ampléxus, aliénis a séculi negótiis, Deo militáre propósuit. Clodovǽus Francórum rex, et recens Christo addictus, multa prǽdia hisce tempóribus Remígio detúlerat, quibus in Província Reménsi dotes Ecclésiis assignaréntur. Ex istis plura Póntifex attríbuit Ecclésiæ civitátis Laudunénsis, in qua fúerat enutrítus, ibíque sedem instítuit Episcopálem in qua sanctitáte præpolléntem jussit sedére Genebáldum.

℟. Invéni David, p. lv.

LECTIO V.

Genebaldus vero, nímium de sua virtúte confídens,

incáute ab uxóre sua quam pro soróre jamprídem habébat, quasi pro instructióne salutári, frequéntius visitári se permísit. Unde miserabíliter lapsus est. Mox autem in se revérsus, accérsito Remígio, cum multo ejulátu crimen conféssus est. Benígne ab eo consolátus et confortátus pœniténtiam suscépit. Tunc constrúcta mansiúncula cum léctulo in modum sepúlcri, et oratório, in ea Genebáldum reclúdit Remígius, et per septem annos Ecclésiam Laudunénsem simul ac própriam gubernávit, ita ut unam diem domínicam Remis, álteram Láuduni celebráret.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

SEPTIMO pœniténtiæ anno, in vigília Cœnæ Dómini, Genebáldus in oratióne pernóctans, dolénsque quod is qui in illa die pœniténtes Deo reconciliáre debuísset, ipse pro suis crimínibus ne inter pœniténtes quidem in Ecclésia consistere merebátur, divínitus admonétur sibi dimíssum esse peccátum. At vero e cella égredi nóluit, donec veníret ille a quo inclúsus fúerat. Tunc vero Remígius quasi Spíritus impúlsu Laúdunum ádvenit, et pœniténtis cellam ádiens, illum in ea jacéntem réperit. Quem statim cum gáudio et lácrymis levávit, Dómini misericórdiam laudans, eúmque sedi et offício Episcopáli restitúere non dubitávit. Genebáldus exínde in sanctitáte et justítia omnes vitæ süæ dies perégit, contínuo annúntians quanta sibi fecísset Dóminus.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Hom. in Evang. Vigiláte, *de Comm., p.* lxiij.

Pro S. Marcello Martyre.

LECTIO IX.

MARCELLUS in persecutióne Antoníni Veri, unus ex quinquagínta Martýribus qui in ergástulis Lúgduni sub arcta custódia detinebántur, patefácto divínitus cárcere, una cum Valeriáno aufúgit. Cumque Latínum quemdam a quo Cabilóne hospítio suscéptus fúerat, cum omni domo sua convertísset ad Christum, Argentomagénsis ággeris vicum pétiit. Ibi forte in Priscum Prǽsidem diis suis immolántem incúrrens, ab cóque ad profánum convívium invitátus, non ábnuit modo, sed étiam convívas ácriter reprehéndit. Quámobrem irátus veheménter Præses, inaudito supplícii génere, vivum in terram ad renes usque defódi jussit, sicque rectum stare. In hunc modum, secúndo a Cabilóne milliário, tértio die, in Dei láudibus perséverans, réddidit spíritum. Guntchramnus rex super ejus túmulum basilicam cum monastério extrúxit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Marcelli.

In II Vesp. Comm. Sequentis (*in* Breviar., *p.* 290).

DIE VI.

S. CANOALDI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum Canoáldum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus prǽerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesp. Commem. Præcedentis (*in* Breviar., *p.* 290).

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

CANOALDUS sancti Farónis Meldénsis Epíscopi frater, Agnérici vero, Burgúndiæ Cómitis, fílius, cum futúræ sanctitátis, adhuc puer, jam præclára præ se ferret indícia, sancto Columbáno créditus est instituéndus. Luxoviénsis Monastérii régulam tanta sedulitáte et proféctu servávit, ut in brevi Clericórum número merúerit adscríbi. Aliquándiu sancti Abbátis peregrinatiónum, et miraculórum grátiæ párticeps fuit.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

CUM reguláris observántiæ et summæ virtútis ómnibus sese præbéret exémplum, mórtuo Richbérto Laudunénsi Epíscopo, Canoáldus in ejus locum, unánimi Cleri populíque consénsu eléctus est. Ille vero præ humilitáte, onus quidem formidándum refúgiens, látebras quæsívit. Sed divínæ voluntátis cértior factus, regímen hujus Ecclésiæ tanquam Spíritus Sancti impúlsu sibi delátum, tandem suscépit. Tunc vero, forma factus gregis ex ánimo, et oves suas verbo et exémplo pascens, summam sibi ómnium veneratiónem et obséquium comparávit.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

SYNODO Reménsi quæ hábita est sub Honório Papa, et Sonnátio Archiprǽsule, cum Pátribus Galliárum áffuit. Cujus acta et decréta in sua Diœcesi promulgánda curávit et observánda. Multis pro múnere pastoráli perfúnctus labóribus, plenus bonis opéribus, clarúsque miráculis, óbiit, et in commúni Episcopórum et canonicórum sepultúra apud Sanctum Vincéntium honorífice tumulátus est. Cujus patrocínium sæpe váriis in calamitátibus, præsértim vero pe-

ste tetérrima grassánte, efficáciter fuit postulátum.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Vigiláte, *de Comm.*, p. lxiij.

Vesperæ a Capitulo de S. Ansarico, Pont.

DIE VII.

S. ANSARICI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum Ansáricum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus prǽerat, verbo et exémplo prodésse voluísti: eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesperis, Commemor. Præcedentis, adhibita Oratione, Da quæsumus, *de Comm., et S. Grimoniæ, Virg. et Mart.*

Oratio. Deus, qui inter cǽtera, *p.* lxxxvj.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

ANSARICUS Espaniaco in pago Suessionénsi, ingénuis ac piis paréntibus natus, jam ab ipsis prope incunábulis quæcúmque laudabília sunt, cúpide appetébat, ac divíni potíssimum cultus incredíbili stúdio flagráre videbátur. Quámobrem Clero adscríptus est, cujus quidem vários gradus ita percúrrit, ut in síngulis claríssima sanctitátis, quæ in eo crescébat in dies, specímina præbéret. Qua enim apud Deum grátia valéret, populáres ejus váriis miráculis sæpe sǽpius expérti sunt. Post óbitum Landúlfi Epíscopi, eo ferme témpore quo regnum Austrasiórum Dagobérto junióri a patre fuit transmíssum, uno ómnium consénsu, prætérquam suo, Suessionénsis Ecclésiæ Póntifex creátus est.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

NON multo post, in civitáte Reménsi, indictæ a Sonnátio Archiprǽsule synodo præsens intérfuit; et canónibus vigínti quinque, quibus in ea multa sapiénter sancíta sunt, sua manu subscrípsit. Hæc vero institúta ut in Ecclésia sua accurátius servaréntur, Clericórum scholam in domo sua eréxit, e qua egrégii discípuli complúres póstea prodiérunt. Sic enim ille primum fratres canónicam vitam agéntes domi habébat ad manum, quos subínde in Ecclésia sancti Stephåni, quæ póstea in urbe ab illo ædificáta est, Deo famulatúros collocávit. Eódem stúdio cǽteras urbis Basílicas, aut situ deformátas, aut vetustáte collabéntes, vel in pri-

stinum decórem restituit, vel a ruína vindicávit.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

Lectio vi.

Anno Clodováei regis secúndi duodécimo, octávo Idus Mártii, córpora sanctórum Crispíni et Crispiniáni, quibus cultu singulári devótus erat, ex eo loco ubi longo post ipsórum martýrium témpore jacúerant, solémni apparátu in Basílicam tránstulit eórum nómini consecrátam, quam ipse instauráverat a fundaméntis; sacéllumque illórum, seu Memóriam, uti olim vocábant, Elígii ópera usus, insígni monuménto decorávit. Tum forte mísera ínguinum lues circum urbem Suessionénsem, pópulum late devastábat: porro per fidem suam non minus quam per Mártyrum eórumdem opem, vir sanctíssimus effécit ut pestis illa divínitus reprimerétur. Vixit ad summam senectútem; demúmque cumulátus virtútibus, anno Episcopátus sui ferme trigésimo, Nonis Septémbris, ad Dóminum migrávit, et in ipsa Ecclésia Sancti Stéphani sepúltus est, quam ædificáverat.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Vigiláte, *de Comm.*, p. lxiij.

Lectio ix.

De S. Grimonia, Virg. et Mart.

Ex antiquíssima traditióne, Grimónia Virgo, e Scótia, nobilíssimo génere oriúnda, Christo únice addícta, ut sponsi sibi destináti núptias declináret, patrísque furóri se subdúceret, látebras quæsívit, et ad oras Gálliæ demum transméavit. Inde ad locum tunc desértum se contúlisse tráditur, quem póstea morte, sepultúra et miráculis fecit illústrem. Ibi enim Grimóniam reperérunt satéllites a patre summíssi, a quibus gládio percússa virginitátem martýrio coronávit. In illíus honórem primum extrúctum fuit in ipso mortis loco oratórium sacris Grimóniæ exúviis ditátum, quod máxima frequéntia adeúntes pietátis causa Vallónes Capéllam vocitavére. Hoc nomen retínuit óppidum, quod peregrinórum concúrsu sensim exsurréxit; ipsúmque oratórium fuit eréctum in Ecclésiam Parochiálem sub patrocínio sanctæ Mártyris quæ ibi máxima cum veneratióne cólitur. Pars insígnis ejus Reliquiárum in Ecclésia vici cui nomen Scalæ religióse asservátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Grimoniæ.

In I Vesp. Nativit. B. M. V., Comm. S. Ansarici.

DIE XIV.

COMMEMORATIO
S. LEOBINI, CONF. PONT.

In I Vesp. et Laud. tantum.

Oratio, Exáudi, quæsumus, *p.* l.

DIE XV.

COMMEMORATIO S. BALDI, CONF. PONT.

In I Vesp. et Laud. tantum.

Oratio. Da quæsumus, *p.* I.

DIE XVII.

COMMEM. S. LAMBERTI, MART. PONT.

Oratio, Deus qui nos, *p.* XX.

LECTIO IX.

LAMBERTUS, Trajécto ad Mosam oriúndus, génere clarus, sed sanctitáte clárior, primo ætátis témpore, lítteris apprime erudítus, piéque ádmodum educátus, ob insígnem morum vitǽque præstántiam ab ómnibus exímie celebrabátur. Quare post Theodárdum Trajecténsem Episcopum et Mártyrem, sub cujus disciplína ipse prius adoléverat, ad Pontifíciam Sedem non sine multo reluctámine promótus est. Sed paulo post, quorúmdam invídia et ártibus, útpote justítiæ et libertátis públicæ vindex acérrimus, Episcopátu pulsus est. Cedéndum témpori ratus, in monastérium Stabulénse se recépit, ubi singulárem humilitátis et obediéntiæ prǽstitit observántiam. Post septénnium a Pippíno Cároli Martélli patre revocátus, ac sedi suæ restitútus, Toxándriæ íncolis Evangélii lucem íntulit. Cum vero Lambértus Pippínum ob quamdam péllicem quam apud se habébat, gráviter reprehénderet, Dodo Pippíni doméstícus, et meretrícis frater, collécta improbórum manu, Beátum Episcopum redeúntem e matutínis Laúdibus aggrédiens, domum ejus circumquáque óbsidet, eúmque, dum intra cubículum in oratióne perseveráret, unus e Dodónis satellítibus crudéliter telo confódit, anno Christi septingentésimo octávo. Corpus ejus Trajécti sepúltum, inde Leódium una cum Episcopáli sede translátum, multis miráculis cláruit. Ejus memória olim erat celebérrima apud quemdam vicum agri Laudunénsis in capélla véteris castélli, cui ipsiúsmet Sancti Lambérti nomen; et etiámnum, post dirútam, exeúnte último século, capéllam, in parochiáli Ecclésia ejúsdem vici, singulári peregrinórum concúrsu ac veneratióne recólitur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Lamberti.

DIE XVIII.

COMMEM. S. FERREOLI, MARTYRIS.

Oratio, Præsta, quæsumus... ut qui beáti, *p.* XXI.

LECTIO IX.

FERREOLUS, mílitum tribúnus in civitáte Viennénsi, sub militári sago Christo serviébat. Forte tanquam Christiánus ad tribúnal Crispíni júdicis tradúctus, cum ab illo jussus esset, étiam mortis intentáto metu, régiis obtemperáre mandátis, tum, inquit Christiánus sum; diis sacra

fácere mihi non licet. Imperatóribus, quámdiu salva pótui religióne, huc usque militávi. Jam si mihi non licet vívere Christiáno, certe parátus sum mori. Equidem Creatórem ipsum adóro, non creatúram. Conféstim judex imperávit ut Ferréolus cruciarétur; cumque constántem ejus ánimum neque a tortóribus sibi mútuo ad cruciándum succedéntibus frangi vidéret, ingénti catenárum póndere onerátum in cárcerem detrúsit. Tértia autem die, cadéntibus ultro caténis, apertóque sponte cárcere, Ferréolus egréssus est, Rhodanúmque natándo trajécit, et ad Jarem usque flúvium pervénit. Illic vero, comprehénsus íterum, revínctis post tergum mánibus, redúctus ad locum est civitáti vicínum, repentináque immanitáte interféctus. Corpus ejus in eo ipso loco sepúltum est, ubi in honórem sancti Mártyris erécta est insígnis basílica. Cujus relíquiis et patrocínio Sosménsis Ecclésia prope Theodoríci-Castrum, olim abbatiális, nunc parochiális, gloriátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Ferreoli.

DIE XXIV.

COMMEM. S. SALABERGÆ, NON VIRG. NEC MART.

Oratio, Exáudi nos, *p.* cij.

LECTIO IX.

SALABERGA, in Castro Uternénsi Lingonénsis diœcesis, ineúnte séptimo século, nata, cum propter cæcitátem et sánguinis fluxum a paréntibus negligerétur, utráque infirmitáte sanáta est a sancto Eustásio Abbáte Luxoviénsi. Jam tum pia virgo, eódem suadénte, Deo se vovére institúerat, sed primum a patre coácta, Ricárdo équiti potentíssimo nupsit, qui intra duos menses mórtuus est, et íterum, Dagobérto rege jubénte, Bosóni Cómiti: a quo quinque líberos cum suscepísset, tandem, annúente maríto, sacrum velámen sumpsit, monasteriúmque sanctimoniálium in avíto fundo instítuit. Imminéntibus vero hóstibus, Laudúnum, natúra munítius óppidum, cum centum soróribus profécta est. Cujus in occúrsum procédens Laudunénsis Epíscopus Attila nómine, Clero populóque comitántibus, eam in hymnis et psalmis suscépit. Ita laudabíliter Salabérga rexit monastérium, ut post plures annos sub illíus disciplína annumeraréntur trecéntæ Vírgines, quæ in choros partítæ sibi succedéntes, láudibus Deo canéndis per dies noctésque sine ulla intermissióne vacábant. Paupertátis, humilitátis charitátisque opéribus júgiter inténta, minus auctoritáte quam exémplo soróribus præérat. Mortem præséntiens, quo libérius mentem Deo inténderet, regéndi monastérii fíliæ suæ Anstrudi commísit offí-

cium. Obiit sancta Abbatissa anno sexcentésimo quinquagésimo quarto.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Salabergæ.

DIE XXV.

S. PRINCIPII, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Confees. Pont., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Princípium Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus prǽerat, verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per. Dóminum, etc.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

PRINCIPIUS, in órdine Suessionénsium Antístitum duodécimus, beáti Remígii frater natu major, imperánte cum Placídia matre Valentiniáno tértio, ex Æmílio viro nóbili et Celínia uxóre natus est. Jam a téneris annis máxima dedit futúræ aliquándo specímina sanctitátis. Illum educávit et instítuit Antiólius ignótæ urbis in Gállia Epíscopus, dignus quondam sanctórum Lupi et Máximi in cœnóbio Lirinénsi sócius. Eo usus magistro, ita profécit Princípius, ut magnam suì in ómnium ánimis admiratiónem et expectatiónem excitáret. Edibio Epíscopo, qui Attiláni belli tempóribus Suessionénsem Ecclésiam multa cum laude rexerat, suffectus est.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

CUM ab ipso Antiólio rescivisset Sidónius Apollináris qualem se Princípius ab adolescéntia ostendísset, qua vitæ innocéntia, morúmque integritáte ad Episcopátum pervenísset, tanti eum fecit, ut ejus précibus sese per litteras commendáverit. Ubi primum Episcopus factus est Princípius, pastorálibus offíciis totum se mancipávit. Non modo gregi suo panem verbi divíni assídue fregit, peccatorésque alléxit ad pœniténtiam, sed plúrimos ab hæresi, multos a schísmate revocávit, nec paucos infidéles, teste eódem Sidónio, ab erróris calígine, ad fídei lumen tradúxit.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

DEMUM, innúmeris pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, vitam relíquit ad finem quinti séculi, séptimo Caléndas Octóbris, acceptúrus a Príncipe pastórum immarcessíbilem ætérnæ glóriæ corónam. A Remígio fratre Suessióne sepúltus est in æde sanctæ Theclæ, quæ tum extra urbem erécta

erat, labénte autem témpore dirúta est. Corpus ejus póstea in Ecclésiam Cathedrálem translátum, magna veneratióne illic asservátum est, donec a Calvinístis igni cremándum per impietátem traderétur.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Vigiláte, *de Comm.*, *p.* lxxiij.

In II Vesp. Comm. Sequentis (*in* Breviar., *p.* 363).

FESTA OCTOBRIS.

DIE I.

S. REMIGII, EPISC.

Duplex II Clasis.

Omnia de Comm. Confess. Pont., p. xlix, *præter seq.*

AD I VESPERAS.

Capitulum. *Eccl.* 39. 13. 14.

Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem : sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Hymnus.

In tuæ natum pátriæ salútem,
Luce te festa cólimus, Remígi,
Te suum Patrem simul et Patrónum
Gens venerátur.

Certa spes cleri téneris ab annis,
Cǽteros vincis gravitáte morum;
Et gregem, Pastor júvenis, sénili
Mente gubérnas.

Hoste devicto, Clodovǽus audit
Cum suis turmis, sacra te docéntem;
Victus et dictis sua, seque Christo
Súbjicit uni.

Provides Francis pia jura dici;
Et tuo ductu, monitísque princeps
Curat, ut secum speciósa Christi
Sponsa triúmphet.

Grandibus firmas documénta signis,
Mors tibi cedit dócilis jubénti :
Reddit et cæco fídei simúlque,
Múnera lucis.

Pontifex inter Súperum catérvas,
Nunc adhuc charæ memor esto plebis;
Et tua semper prece Galliárum
Prótege cives.

Summa laus Patri, Genitóque summa,
Laus tibi compar, utriúsque Nexus,
Ad tuam laudem, Deítas supréma,
Réspice Clerum.
Amen.

℣. Potens in terra erit semen ejus; ℟. Generátio rectórum benedicétur.

Ad Magnif. Ant. Notum fecit regi, et osténdit illi finem vitæ suæ, et exaltávit vocem suam de terra in prophétia delére impietátem gentis.

ORATIO.

Deus, qui per beáti Remígii documénta, Francórum tibi corda subdidísti; largíre supplícibus, ut per iter salútis quo sanctus Pastor incéssit, ad te pervenire valeámus; Per Dóminum.

Comm. Præcedentis (*in* Breviar., *p.* 379).

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

Jam castra Christum bárbara pérsonant,
Servíre spurcis dæmóniis pudet,
Et regis exémplum secúti
Arma duces posúere Christo.

O quanta victis glória Gálliis!
Quæ Christiánis légibus óbligant
Docéndo victóres, vicíssim
Christiadum pietáte victos.

Tales triúmphos, Máxime Remigi,
Asséria per te Relligio tulit:
Quam prædicásti, comprobátam
Prodigiis super astra tollis.

Tu, quam tot annos, alme senex regis,
Adhuc benignus réspice Gálliam;
Fac nos paréntum cor fidéle,
Progénies dócilis, sequámur.

Laus summa Patri, summaque Filio,
Et tibi compar glória, Spíritus,
Tu qui poténti magna regum
Corda tenes, subigísque dextra.
Amen.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Communi Conf. Pont., *p.* lij.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Remigius, cujus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine, Laudúni natus est paréntibus Æmilio et sancta Celinia jam ætate provéctis. Annos natus duos et viginti, ob seniles in adolescéntia mores, ad Episcopátum Reménsem præter voluntátem raptus est. Cum autem Francórum rex Clodovæus, Gallórum victor, Alamánnos Tolbiaci, invocáto Christi nómine, debellásset; et instánti Remígio, ut fidem profiterétur, respondisset, veréri se ut per pópulum sibi licéret; ubi id rescivit pópulus, statim acclamávit: Mortáles deos abígimus, pie rex; et Deum quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

Tum Remigius Clodovæum quem fidéi documéntis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his cum verbis

allócutus : Mitis depóne colla, Sicámber; adóra quem incendisti, incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit Chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt; simul et Alboflédis soror Clodovǽi: quæ cum paulo post decessisset, Remígius per litteras regem consolátus est. Lanthildis quoque, áltera ejus soror, ab Ariána hærési revocáta, sacro Chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ. Cum autem Clodovǽus, ad bellum Góthicum se accíngeret, epistolam hortatóriam ad eum scripsit Remígius plenam utilíssimis regno administrándo consiliis, regi étiam auctor fuit ut Concílium Aurelianénse indíceret.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

Lectio vi.

Mira erat eloquéntia, et sciéntia divínæ Scriptúræ, cujus multos libros interpretátus est; cleméntia étiam in pœniténtes singulári; Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos Episcopátus instituit Teruanénsem, Atrebaténsem, et Laudunénsem, quibus sanctos Antimúndum, Vedástum et Genebaldum præfécit. Sub finem vitæ, oculórum usu orbátus est, quem tamen paulo ante mortem recuperávit. Sénio tandem conféctus, postquam ámplius quam septuaginta annos summa cum laude Reménsem Ecclésiam administrásset, óbiit die décima tértia Januárii. Inter alia, quæ édidit mirácula, mórtuam puéllam oratióne suscitávit. Méminit Gregórius Turonénsis festivitátis sancti Pontíficis quæ jam suo témpore Caléndis Octóbris celebrabátur : qua die in magnificentióri basilica a Leóne Papa Nono dicáta, corpus ejus collocátum est.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. *Ch.* 24, 42.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía S. Hilárii Episcopi.

Comm. in Matth. c. 26.

Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigilántiæ curam adhortétur Christus, speciálem tamen pópuli Princípibus, id est Episcopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem.

℟. Amávit eum, *p.* lviij.

Lectio viii.

Qui si dicto áudiens, et præcéptis obédiens erit, id est

si doctrínæ opportunitáte et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértet, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hisque immórans deprehendátur, glóriam a Dómino tanquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra quod mélius sit.

℟. Sint lumbi, *p.* lviij.

LECTIO IX.

Quod si cóntuens longam Dei patiéntiam, quæ in proféctum humánæ salútis exténditur, advérsum convérsos insoléscat, et séculi malis vítiisque se tradat, præséntium tantum curam in cultu ventris exércens : desperáta die Dóminus advéniet, eumque a bonis quæ spopónderat, dívidet, portionémque ejus cum hypocrítis in pœnæ æternitáte constituet, quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vita géntium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi famíliam fame, siti, cæde vexáverit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

AD LAUDES.

Capitulum, ut in I Vesperis.

HYMNUS.

Cæcos pande sinus, terra, nimis diu
Demérsum ténebris ínvida détines
Urbis præsídium : redde peténtibus
Sancti pígnora Præsulis.

Servat, ne péreant dextra Dei potens
Dulces exúvias : dente nec ímprobo
Lædet dira lues, nec penetrábili
Rodet tempus edax situ.

Huic quantam túmulo vim Deus índidit!
Quot firmat tímidam prodígiis fidem!
Imploráta salus corpóribus redit;
Mitéscunt ánimæ febres.

Nos Patrem fidei, nunc juvet æmulis
Certátim mémores tóllere láudibus;
Sed cultus pótior, quam dócuit fidem
Puris réddere móribus.

A quo cuncta fluunt, sit tibi laus, Deus :
Sacros qua décuit dum reveréntia
Artus nos cólimus, tota refúnditur.
Summo glória vértici.
Amen.

℣. Protéctor noster áspice, Deus. ℟. Et réspice in fáciem Christi tui.

Ad Bened. Ant. Quis potest simíliter sic gloriári tibi, qui ungis reges ad pœniténtiam, et

prophétas facis successóres post te?

IN II VESPERIS.

Capitulum et hymnus, ut in I Vesperis.

℣. Nos pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, Dómine. ℟. Confitébimur tibi in séculum.

Ad Magnif. Ant. Diléctus a Dómino Deo suo Prophéta Dómini renovávit impérium, et unxit príncipes in gente sua.

Comm. sequentis (*in* Breviario, *p.* 387).

DIE III.

S. LEODEGARII,

MARTYRIS ET PONTIFICIS.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., p. xx, *præter seq.*

Oratio, Infirmitátem, *p.* xx.

Commem. S. Juvini, Conf. non Pont.

Oratio, Deus, qui, *p.* lxviij.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

LEODEGARIUS, primum Pictaviénsis Archidiáconus; deínde monastérii sancti Maxéntii Abbas, postrémo Augustodunénsium Epíscopus creátus est; cui Ecclésiæ decem annis præfuit. Cum autem Childerícum secúndum, qui in regni administratióne illíus ópera utebátur, argúeret quod antíquas regni leges rescidísset, filiámque avúnculi duxísset uxórem; in Luxoviénse monastérium, quo relegátus ántea fúerat Ebroínus Major Palátii, amandátus est. Utérque, Rege mórtuo, in prístinum gradum est restitútus. Sed Ebroínus se, Leodegário auctore, in monastérium detrúsum fuisse ratus, exércitum Augustodúnum misit, qui sanctum Epíscopum comprehénderet. Re cógnita, Leodegárius, erogátis in páuperes facultátibus, triduáno jejúnio indicto, et factis circum urbis mœnia cum Cruce et Relíquiis Sanctórum supplicatiónibus, Christi Córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas sui causa paterétur, sponte se trádidit inimícis.

℟. Honéstum fecit, *p.* xxv.

LECTIO V.

ILLI statim sanctum Præsulem, váriis cruciátum torméntis, érutis demum óculis, in monastérium conjecérunt. Insuper, Cómitem Guarínum fratrem ejus, palo alligántes lapídibus obruérunt. Nec irárum satis; eo enim immanitátis devenére, ut captívi lábia et linguam præcíderent, sicque mútilum in cœnóbium Fiscannénse sub arctióri custódia asservándum detrusérunt. Tunc témporis, Sanctus ille Vir, ad Sígradam matrem, quæ Relígiónis hábitum indúerat in monastério Beátæ Maríæ Suessionénsi, tantis afflictátam dolóribus, consolatórias, quæ adhuc extant, misit lítteras, in quibus, Ebroíni inhumanitátis ne levi quidem mentióne fac-

ta, totus in eo est ut matrem ad feréndam patiénter fratris mortem, ad ámorem inimicórum retinéndum, et ad vitæ religiósæ propósitum fidéliter exequéndum adhortétur. Ductus deínde in palátium, quo nonnúlli Epíscopi convénerant, cum linguæ officio nihilosécius uterétur; discissa túnica, Episcopáli dignitáte spoliátus, conjectus est in cárcerem; ex quo in silvam, ejus póstea nómine insígnitam, a quátuor sicáriis abdúctus, in território Atrebaténsi cápite truncátus est, anno sexcentésimo septuagésimo octávo.

℟. Desidérium, *p.* xxvj.

LECTIO VI.

Corpus ejus ibídem sepúltum est: inde post biénnium ad Pictones non sine multis miráculis delátum, et honorífice in Basílica sancti Maxéntii cónditum: ex qua sumptæ sunt Relíquiæ, quæ Leodegárii et Guaríni fratris inscriptæ nomínibus, in Ecclésia beátæ Maríæ Suessiónis olim colebántur, et ad Sigrádam ambórum matrem fuisse allátæ credúntur. Extat íbidem sub invocatióne sancti Leodegárii célebris Ecclésia prius Parochiális, dein étiam Abbatiális, quam témporum calamitáte profánis úsibus mancipátam, Suessionénsis Epíscopus súmptibus própriis, necnon Clero populóque fidéli juvántibus, recuperávit, et pari munificéntia instaurátam cúltui divíno restítuit, anno Christi millésimo octingentésimo quinquagésimo primo.

℟. Stola jucunditátis índuit, *p.* xxvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Si quis venit ad me, *de Comm.,* p. xxviij.

LECTIO IX.

In Campánia natále sancti Juvíni confessóris et eremítæ, qui ex agro Reménsi oriúndus, servili sorte, per sincérum Dei famulátum, ad libertátem, quam intúitu pietátis et insígnium grátiæ ei cóntulit Marcus Comes Dulcoménsis, pervénit. Hacque, ut Apóstolus monet, bene usus, multos e servitúte peccáti ad Dei filiórum libertátem strénuo conátu perdúxit. Deínde cum in secéssu multa mira patrásset, plácido excéssu perréxit ad Dóminum. Corpus ejus post édita illius in fúnere multa prodígia, tandem in ipso oratório céllulæ, quam incolúerat, sepúltum est, ubi, crebrescéntibus signis, insignis cóndita est Basílica, cui adjúnctus vicus propter tanti Confessóris opitulatiónem jam ipsius nómine conspícuus. Extat étiam in Diœcesi Suessionénsi parœcia, Juviniacum nuncupáta, quæ tanto nómine et patrocínio gloriátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Juvini.

DIE V.

S. DIVITIANI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Comm. Confess. Pontificis, p. xlix, *præter sequentia.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Divitiánum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluisti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commissis, dirige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perficiant. Per Dóminum.

Commemor. Præcedentis ac S. Placidi et Soc. Mart. (*in* Breviario, *p.* 394).

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

DIVITIANUS inter Suessionénses Epíscopos tértius, sancto Sinício pátruo suo succéssit, imo ab ipso ordinátus est. Enimvero mórtuo Sixto, qui Reménsem Ecclésiam regébat, illíus Ecclésiæ curam, príma sede relicta, suscípere coáctus Sinícius, in suum locum Divitiánum suffécit; qui quamvis onus tantum reformidáret, et a pátruo divélli se ægérrime paterétur, ne tamen pópulus ille quem Sixtus per multos labóres Deo lucrátus erat, forte periclitarétur, Suessionénsium votis ultro cessit.

℟. Invéni David, p. lv.

LECTIO V.

UBI Pontificátum adéptus est Divitiánus, omnem ratiónem adhíbuit ut ipsa Religiónis sémina quæ Sixtus et Sinícius per agrum Suessionénsem spárserant, non tantum adoléscerent, sed étiam perféctam assequeréntur maturitátem. Divitiáni memória jam a multis séculis tértio Nonas Octobris Suessióne cólitur, corpúsque ejus in ea civitáte, in Ecclésia Sancti Crispini Majóris, usque ad finem séculi décimi octávi quiévit.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

Sumitur Lect. IV *de Comm. Conf. Pont.*, Ad Sancti, *p.* lv, *cum* ℟. Iste est, *de eodem Comm.*, p. lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Vigiláte, *de Comm.*, p. lxiij.

Lect. IX *de SS. Martyr.* (*in* Breviario, *p.* 394).

In Laud. Comm. SS. Martyr. (*in* Breviario, *p.* 394).

DIE VIII.

COMMEM. S. BENEDICTÆ, VIRG. ET MART.

Oratio. Indulgéntiam nobis, *p.* lxxxvj.

LECTIO IX.

BENEDICTA virgo in villa Auriniaca ad Isaram in terri-

tório Laudunénsi martýrium passa esse fertur, et sepúlta. Ibi Cárolus Calvus, accedénte ad Hermintrúdis Regínæ preces, Párduli Laudunénsis Epíscopi consílio, puellárum cœnóbium in honórem sancti Petri Apostóli, et sanctæ Benedíctæ ædificávit. Sanctæ Vírginis Relíquiæ a Garniéro Laudunénsi Epíscopo, in capsa argéntea depósitæ primum sunt, ac póstea in áliam deaurátam, multóque pretiosiórem translátæ.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Benedictæ.

DOMINICA II OCTOBRIS, MATERNITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, p. ccvij.

DIE IX.

COMMEM. S. VULGISI, CONF. NON PONT.

Oratio. Deus, qui, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

VULGISUS, in Província Reménsi nóbili família natus, sancti Remígii discípulus, et ab eo Présbyter ordinátus, ómnium ejus labórum, aliquándiu párticeps et sócius fuit. Verum solitúdinis amóre veheménter incénsus, ut totum se Jesu Christo tráderet, seccéssit in eum sylvæ Rhétiæ locum, quem Troinas vocant, ubi cum multos annos victu ásperam, sed meditatiónibus cœléstibus suávem vitam duxísset, sanctitáte illústris migrávit in cœlum. Miráculis vivus et mórtuus flóruit. Ejus corpus ibídem sepúltum, póstea a Milóne viro potentíssimo, in Castrum, quod ab eo, Fírmitas Milónis appellátur, translátum est; ubi usque ad finem séculi décimi octávi servabátur; at, sácris Relíquiis in perturbatiónis tempóribus dispérditis, sancti Confessóris memória non minóri veneratióne cólitur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Vulgisi.

DIE X.

COMMEM. S. EVODI, CONF. PONT.

Oratio. Da, quǽsumus, *p.* l.

LECTIO IX.

EVODUS Ecclésiæ Rhotomagénsi a púero addictus, in sede Episcopáli succéssit Innocéntio, qui sanctum Victrícium hábuit antecessórem. Sanctitátis fama conspícuus, óbiit Andeliaci, unde corpus ejus Rotómagum relátum est, in Ecclésia majóri sepeliéndum. Una cum óssibus sancti Victrícii translátum est Branam, Suessiónum óppidum. Locus obscúrus ántea, ádeo miraculórum fama fuit illustrátus, ut frequénti hóminum cœtu, qui eo concúrrerant, dilatátus deinceps fúerit, et ab íncolis auctus. Século duodécimo ibi-

dem constrúctum est Canonicórum cœnóbium, nómine Sancti Evodi insignítum, in cujus Ecclésia quæ nunc est parochiális, pars ejus córporis summa veneratióne recólitur: áliæ sancti Pontíficis insígnes Relíquiæ in Ecclésia Cathedráli requiéscunt.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Evodi.

DIE XV.

COMMEM. S. BASOLI,

CONF. NON PONT.

Oratio. Intercéssio, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

BASOLUS sexto século in pago Lemovicénsi ex piis et nobílibus paréntibus natus est. A téneris christiánæ disciplínæ præcéptis imbútus, sprétis mundi illécebris, Deo únice adhærére státuit, amplísque facultátibus quæ ipsi hæreditário jure mox obventúræ erant, renuntiávit. Egréssus ígitur de domo patris, Remos se cóntulit, sancti Remígii túmulum veneratúrus. Ægídio Archiepíscopo apéruit magno se afféctum vitæ solitáriæ desidério. Quámobrem, sanctus Præsul ei locum in sua diœcesi, quemcúmque vellet, eligéndum dedit. Básolus in cœnóbium Verziacum divértit. Sed paulo post, cùm ad monastérii régimen propter exímias dotes a frátribus destinarétur, in solitúdinem se recépit, quam magis ac magis anhelábat. In monte sibi construxit céllulam, ubi per quadragínta fere annos vitæ genus duxit aspérrimum. Pœniténtiæ labóribus non minus quam ætáte conféctus, migrávit ad Dóminum, ante et post mortem miráculis clarus.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Basoli.

DIE XVI.

S. BALDUINI, MART.

Oratio. Præsta, quǽsumus... ut qui, *p.* xxj.

LECTIO III.

BALDUINUS sanctæ Salabérgæ Fílius, ad liberáles disciplínas, præcípue vero ad virtútem, cura piæ matris fuit informátus. Jam ígitur christiánis dótibus eminébat, cum Láudunum ádvenit, sanctíssimæ matris et soróris Anstrúdis fama addúctus, ibíque máximam existimatiónem et probórum ómnium commendatiónem brevi sibi conciliávit. Talis viri nomen et virtus exímia statim innotuérunt Serúlpho Laudunénsi Epíscopo, sanctitáte claro, qui Balduínum sacris ordínibus initiátum, Archidiáconi dignitáte decorávit, et in partem labórum ascivit. Tunc Balduínus omnes hujúsce múneris partes studióse adimplévit. Æquitátis et justítiæ vindex acérrimus, ómnium jura tuitus est. At dum improbórum molitiónes omnes evértere conátur, ab ipsis insidióse et violénter

appetítus, pro justítia Martyr occúbuit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

DOMINICA III OCTOBRIS.

PURITATIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, p. ccxij.

DIE XVII.

COMMEM S. ANSTRUDIS, VIRG. NON MART.

Oratio, Exáudi, *p.* lxxxvj.

LECTIO IX.

ANSTRUDIS sancti Bosónis et sanctæ Salabérgæ fília, a téneris annis futúræ sanctitátis præclára dedit indícia. Adolescéntior facta, cum a viro conspícuo ad núptias postularétur invíta, Láudunum cónfugit ad matrem, et brevi témpore, áliis soróribus in religiónis observántia ita antecélluit, ut Salabérga, morti próxima, monastérii curam ipsi crédere non dubitáverit. Post matris óbitum, in Abbatíssam anno ætátis vigésimo elécta, summa vigilántia et pietáte functa est offício. Per dies et noctes a divínis collóquiis non recedébat; nihil cibi vel potus súmere assuéverat, nisi prius Psaltérium per órdinem persólvisset; in conversatióne casta, mitis in collóquio, erga páuperes, præcípue peregrínos et captívos liberális, eo sibi plus víluit quo magis áliis et dignitáte et virtútibus præfulgébat. Calúmnias quibus fuit impetíta, sola vitæ innocéntia fácile confutávit. Alias tribulatiónes non paucas mira semper ánimi mansuctúdine et patiéntia tolerávit. Diem sui óbitus soróribus prænuntiávit, cumque ab illis demíssa mente postulásset indulgéntiam, méritis plena, obdormívit in Dómino, circa annum sexcentésimum octogésimum octávum.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Anstrudis.

DIE XX.

COMMEM. S. AGRICOLÆ, CONF. NON PONT.

Oratio, Adésto, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

AGRICOLA pátruum hábuit beátum Remígium, apud quem adolévit, ab eóque propter morum sanctitátem, ad presbyterátum promótus est. Inter plúrima amóris pígnora, Remígius ipsi máxima benefícia vineásque testaménto legávit, ea conditióne ut diébus festis et ómnibus Domínicis ípsius Remígii nómine sacra oblátio in altári conficcrétur. Post Remígii mortem, Suessiónem venit, cum beáto Lupo actúrus qua ratióne legáta sibi bona ex pátrui votis dispensáret. Ibi dum ministério suo vacáret, et consanguíneo suo útilem in administránda Ecclésia naváret óperam, virtútibus et méritis clarus, in Dómino obdormívit. Ejus corpus ibidem sepúltum, póstea una cum

corpóribus sanctórum Gaudíni, Princípii, Lupíque e terra elátum, summa in veneratióne hábitum est; quod a Calvinístis anno post Christum natum millésimo quingentésimo sexagésimo séptimo, igni tráditum est.

Te Deum laudámus, p. 15.

In Laud. Comm. S. Agricolæ.

DIE XXI.

S. CELINIÆ,

NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

Duplex.

Omnia de Comm. non Virg. nec Mart., p. cj, *præter sequentia.*

Oratio, Exáudi nos, *p.* cij.

In I Vesp. Comm. 1° *Præcedentis,* 2° *S. Hilarionis, Conf. non Pont.,* 3° *SS. Ursulæ et Soc., Virg. et Mart.* (*in* Breviario, *p.* 417).

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Celinia, illústri génere orta, Æmilio, viro dignitáte Cómitis insígni, in matrimónium trádita est. Statim a primis nuptiárum annis gémino partu édidit, áltero quidem Princípium, qui póstea Suessiónum Ecclésiæ summa cum laude præfuit; áltero autem fratrem ejus, qui pater fuit beáti Lupi ejúsdem póstea Princípii in Suessionénsi Episcopátu successóris.

℟. Propter, *p.* cvij.

LECTIO V.

Jampridem párere desíerat Celínia, ipsíque nova prolis suscipiéndæ spem provéctior ætas adémerat, cum sanctus eremíta Montánus tértium ex ea fílium nascitúrum prædíxit, qui Remédii vel Remígii nómine appellátus, Dei miníster ad multórum salútem foret: vaticinióque áddidit, nato púero se lacte puérperæ oculórum usum, quo dudum orbátus erat, recuperatúrum.

℟. Dilexísti, *p.* cviij.

LECTIO VI.

Promissiónis a sancto viro factæ veritátem probávit evéntus. Celínia quippe intra decem menses fílium péperit, cui Remígii nomen datum est; Montánus vero, matris lacte óculis perúnctis, visum recépit. Infántem suum Deo óbtulit pia mater, in eóque christiáne instituéndo nihil omísit ut vocatióni divínæ digne aliquándo respondéret. Sic Celínia e virtúte in virtútem profécit, ac sanctitáte in dies illústrior, demum méritis plena, ad Dóminum migrávit.

℟. Fallax grátia, *p.* cviij.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Símile est regnum, *de Comm.*, p. cx.

Lectio IX *de S. Hilarione* (*in* Breviario, *p.* 417).

In Laud. Commem. S. Hilarionis, et SS. Ursulæ, et Soc. (*in* Breviario).

DIE XXII.

S. LUPI, CONF. PONT.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris, p. xlix, *præter sequentia.*

Oratio.

Omnipotens Deus, qui Beátum Lupum Antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo, prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

In I Vesp. Comm. Præcedentis.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Lupus, qui inter Suessionénses Epíscopos, tértiumdécimum locum óccupat, à sanctis Princípio et Remígio quos pátruos hábuit, institútus educatúsque est. Sanctissimórum magistrórum virtútem sic imitátus est discípulus, ut post Princípii mortem, in locum ejus a Remígio sit inaugurátus. Sensit brevi Suessionénsis pópulus Lupum, ut avúnculi sedis, sic et charitátis hærédem esse ; ac sensére præsértim páuperes patrem álterum sibi esse rédditum ; tanta illi erat ad sublevándas egenórum misérias sollicitúdo !

℟. Invéni David, p. lv.

Lectio v.

Synodo quam rex Clodovǽus Aurélíis Remígii consílio convocáverat, intérfuit, eique inter primos Gálliæ Antístites, non tam ætátis prærogatíva quam doctrínæ et sanctitátis subscrípsit. Suessiónem revérsus, leges in ea Sýnodo sancítas ad ecclesiásticæ disciplínæ quæ fere collápsa erat, instauratiónem, non promulgávit modo, sed étiam ut a Cléricis servaréntur studióse curávit. Pópulo sibi commísso ut minístros divíderet ad animárum régimen idóneos, Cleri-córum institutióni diligentíssime studébat, multósque suis súmptibus, in loco qui dícitur Basílica, alébat.

℟. Pósui adjutórium super, p. lv.

Lectio vi.

Remigius, morte imminénte, cum testaméntum scriberet, Lupum quem plúrimi faciébat ad se accersívit, eúmque simul cum Ecclésia Reménsi hærédem suum ac suprémæ voluntátis minístrum elégit. Lupus pátrui sui mandáta exsecútus, et virtútes toto quo supérstes fuit témpore egrégie imitátus, ad cœléstem pátriam, cujus ardénti desidério tenebátur, jam senex migrávit décimo tértio Caléndas

Novémbris, et in Ecclésia Suessionénsi sepúltus est.

℟. Iste est, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Lect. de Homilia in Evang., Vigiláte, *de Comm., p.* lxiij.

DOMINICA IV OCTOBRIS.

PATROCINII B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, p. ccxviij.

DIE XXIII.

SS. REDEMPTORIS.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, p. ccxlviij, *exceptis quæ sequuntur.*

In I Vesp. Fit Commem. 1° *Præcedentis;*

2° *S. Frontonis, Confess. Pont.; Oratio*, Exáudi quæsumus, *p.* l;

3° *S. Caprasii, Mart. Oratio.* Præsta..... ut qui, *p.* xxj.

IN OFFICIO NOCTURNO.

Lectio ix.

De S. Frontone.

In Castro Diœcesis Suessionénsis, quod Negolíacum nuncupátur, célebris est memória sancti Frontónis, qui a beáto Petro Apóstolo Epíscopus ordinátus, cum Geórgio presbytero Petragóricis in Gállia fidem prædicávit, et magnam illius gentis multitúdinem ad Christum convértit. Deinde ad fines Suessionénses perrexisse, et cum rari illic essent Christiáni, apud Castrum Negoliácum Evangélium prædicásse fertur. In ejus honórem consecráta est íbidem Parochiális Ecclésia, quæ magno populórum concúrsu frequentátur; unde oppidulum Negolíacum a sancto Frontóne cognómen accépit. Sanctus Epíscopus Petragóricis miráculis clarus in pace quiévit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Frontonis et S. Caprasii.

DIE XXIV.

S. RAPHAELIS, ARCHANGELI.

Duplex majus.

Omnia ut in Supplemento pro aliquibus locis, p. ccliv, *præter seq.*

IN OFFICIO NOCTURNO.

Pro Commem. Vigiliæ Sanctorum Crispini et Crispiniani. Martyr. Suess.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio ix. *Cap.* 10. 7.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes prædicáte, dicéntes, Quia appropinquávit regnum cœlórum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 18. *de Civ. D. Cap.* 50.

Primum se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia, et cum in Judǽa atque Samaría plúrimi credidíssent, et in álias gentes itum est, annuntiántibus eis Evangélium, quos Christus sicut luminária et aptáverat verbo, et impléverat Spíritu

sancto. Dénique per ipsos non solum qui eum et ante passiónem et post resurrectiónem viderant et audierant, verum étiam post óbitum eórum, per pósteros eórum inter horréndas persecutiónes et vários cruciátus ac fúnera mártyrum, prædicátum est Evangélium, contestánte Dómino signis, et porténtis, et váriis virtútibus, et Spíritus sancti munéribus : ut pópuli géntium credéntes in eum qui pro eórum redemptióne crucifixus est, christiáno amóre veneraréntur sánguinem mártyrum, quem diabólico furóre fudérunt.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

IN LAUDIBUS.

Comm. SS. Martyrum.

Ant. Veniéntes vénient cum exultatióne, portántes manípulos súos.

℣. Qui séminant in lácrymis.
℟. In exultatióne metent.

ORATIO.

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus, ut pópulus tuus ad plenæ devotiónis affectum, beatórum Mártyrum Crispíni et Crispiniáni natalítiis præparétur; et eórum patrocínio proveniénte, plenæ cápiat securitátis augméntum. Per Dóminum.

DIE XXV.

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI, MART. SUESSIONENSIUM.

Duplex I classis cum Octava.

De Communi plurimorum Martyrum, p. XXXV, *exceptis quæ sequuntur.*

AD I VESPERAS.

CAPITULUM. *Is.* 66. 19-20.

Mittam ex eis qui salváti fúerint ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendéntes sagittam, in Itáliam, et Grǽciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt gloriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros.

HYMNUS.

Quæ mortis umbris exitiálibus
Olim jacébas, nunc tibi, Gállia,
Auróra surgit, mox diéi
Conspícuum paritúra lumen.

Crispine, nostris tu regiónibus
Noctem fugásti; vox tua præferens
Facem salutárem, profúndas
Luce nova pépulit ténebras.

Par ille tanto par óperi comes,
Fratri nec impar frater; ubi pedem
Tulére terris, cedit error,
Impíetas furiósa cedit.

Ubi parábant assíduo sibi
Labóre victum, plebs húmilem casam
Adíbat : ædes prima Christo
Artíficum fuit offícina.

Huc ardet omnis cúrrere civitas,

Intérque fletus, grandíloquo pii
Ab ore pendéntes magístri,
Aure bibunt ávida salútem.

Christo docébant vívere; jam docent
Christo fidéles discípulos mori;
Et morte spreta, victimárum
Primítiæ rémeant Olympum.

Cruore fuso qua præeunt Patres,
Da, Christe, natos sponte viam sequi:
Si morte non fas, ah! litémus
Innócua tibi, Christe, vita.

Laus summa Patri, summáque Fílio,
Sanctóque compar Spirítui decus,
Quo flante, fecundátur orbis,
Christe, tibi nova gens creátur.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum,

℟. Quia prospéxit de excélso sancto tuo.

Ad Magnif. Ant. t. 7. g Ecce super montes pedes evangelizántis et annuntiántis pacem. Célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjiciet ultra ut pertránseat in te Bélial: univérsus intériit.

Oratio.

Deus, qui nobis per Béatos Mártyres tuos Crispínum et Crispiniánum veritátem Evangélii patefíeri voluísti; concéde, quæsumus, ut quod ab eórum ore didícimus, grátia tua adjúti operári valeámus. Per Dóminum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Deum qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus.

Hymnus. Quæ mortis.... *ut supra.*

IN I NOCTURNO.

℣. Dómini est assúmptio nostra, ℟. Et sancti Israel regis nostri.

De Epístola prima Beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio i. *Cap.* 1. 2.-7.

Gratias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fidei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: sciéntes, fratres dilécti a Deo, electiónem vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti; ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℟. In lætítia egrediémini, et

in pace deducémini; montes et colles cantábunt coram vobis laudem, et ómnia ligna regiónis plaudent manu. * Pro saliúnca ascéndet ábies, et pro úrtica crescet myrtus : et erit Dóminus nominátus in signum ætérnum quod non auferétur. ℣. Pósui vos ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. * Pro saliúnca.

LECTIO II.

V. 8. *ad fin. et Cap.* 2. 1-2.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos, et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et expectáre Fílium ejus de cœlis, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed ante passi, et contuméliis affécti, sicut scitis.

℟. Incurvábitur sublímitas hóminum, et humiliábitur altitúdo virórum; et elevábitur Dóminus solus in die illa; * Et idóla pénitus conteréntur. ℣. Notum ergo sit vobis quóniam géntibus missum est hoc salutáre Dei, et ipsi áudient. * Et idóla.

LECTIO III. *V.* 2-9.

Fiduciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra, non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, fratres, labóris nostri et fatigatiónis; nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

℟. Dabo opus eórum in veritáte, et fœdus perpétuum fériam eis: et scient in géntibus semen eórum, et germen eórum in médio populórum : * Omnes qui víderint eos, cognóscent illos; † Quia isti sunt semen cui benedíxit Dóminus. ℣. Ego claritátem quam dedísti mihi, Pater, dedi eis ut sint unum, sicut et nos unum sumus. * Omnes. Glória. † Quia.

IN II NOCTURNO.

℣. Laudáte Deum, omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO IV.

Crispínus et Crispiniánus fratres, nóbiles románi, propagándæ fídei stúdio una cum beáto Quintíno et sóciis in Gállias advenérunt. Dum álii álias in regiónes dispergúntur, Crispínus et Crispiniánus cum Valério et Rufíno ad Suessiónum fines venére, salutémque a Christo Jesu allátam illic prædicavérunt. Urbem póstea ingréssi; ne cuiquam forent óneri, labóre mánuum victum sibi paráre, períndе ac Paulus Apóstolus, constituérunt. Itaque sutóriam artem, quam quidem, utpóte húmilem et quiétam, suo aptiórem esse ministério putábant, statim didicére; ac cum in ea cǽteris antecelluíssent artifícibus, levíque mercéde conténti essent, frequéntem ad se paulátim pópulum allexére; veientíque pro occasióne verbum Dei annuntiábant. Erat ergo eórum domus non modo officína labóris, sed et schola doctrínæ et salútis. Deo dante voci eórum virtútem et benedictiónem, plúrimis persuasére, ut, relícto idolórum cultu, Deo vero servírent. Augebátur in dies credéntium númerus, et dum pax et tranquíllitas a princípibus erat, in fide neóphyti confirmabántur.

℟. Diláta locum tentórii tui, (Jerúsalem), et pelles tabernaculórum tuórum exténde; ne parcas, * Longos fac funículos tuos, et clavos tuos consólida: ad déxteram enim et ad lævam penetrábis; et semen tuum gentes hæreditábit. ℣. Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo, et huic concórdant verba prophetárum. * Longos.

LECTIO V.

Dudum jam erat ex quo Crispínus et Crispiniánus erróris ténebras, sparsa Evangélii luce depellébant, cum pacem qua simul cum nova sóbole ab ipsis Christo parta perfruebántur, Maximiáni Hérculis advéntus perturbávit. Crudélis hic Imperátor, qui quacúmque transíret, sui in Christum Christianósque ódii cruénta vestígia relinquébat, commorátus in Gálliis, Suessiónem venit. Ibi, dum bellum advérsus bárbaros parat, jubet more suo diligénter conquíri Christiános, quorum intéritum et interneciónem magis quam hóstium império Románo infensissimórum cupiébat. Insito ejus ánimis furóri ignem facésque admovébat mira quam Thebǽi mílites præ se túlerant in profiténda Christiána fide libértas. Ad eum deláti sunt Crispínus et Crispiniánus tanquam Christiáni; quos statim comprehénsos jussit ad se addúci. Ubi ad tribúnal perdúcti

sunt, eos ille tam promíssis quam minis et pœnárum metu a propósito deterrére tentávit. Sed cum Sancti Fratres Christum intrépide confiteréntur, et profána sacrifícia constánter respúerent, eos efficacióri ratióne ággredi ac superáre constítuit. Aderat tunc témporis Rictióvarus, nímium fidélis imperatóriæ crudelitátis miníster, Christiáno sánguine quem in Gálliis passim effúderat, adhuc cruentátus: huic Crispínum et Crispiniánum tradi ímperat, sævíssimis quibúsque suppliciis excruciándos, ac teтérrima morte mactándos.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui; * Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: proptérea lætámini, cœli, et qui habitátis in eis. ℣. Imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. * Et non.

LECTIO VI.

ITAQUE Rictióvarus ingénium longo jam usu ad inhumanitátem exercitátum in omnes versávit partes, ut in Crispínum et Crispiniánum nova torménta inveníret. Eos tróchleis exténdi, ac fústibus cædi, súbulas étiam carnem inter et ungues intromítti, pellémque e dorso détrahi jubet. Quamvis autem Mártyrum córpora jam non essent nisi vulnus, nihil tamen de sua in confiténdo Christo libertáte remittébant. Ad álios ígitur cruciátus confúgit devícta Præsidis rábies; sed ab ípsis cruciátibus novos ánimos novásque vires ducébant qui torquebántur; ádeo ut eórum cédere patiéntiæ coácta fúerit omnis júdicis tortorúmque immánitas. Quápropter cum ii omne suppliciórum genus frustra consumpsíssent, tandem fortíssimis Christi pugílibus caput amputárunt. Sub invocatióne sanctórum Crispíni et Crispiniáni Suessióne tres erant Ecclésiæ, quæ ad finem usque séculi décimi-octávi extíterunt: quarum una, Sancti Crispíni in Cávea dicta, ad ripam Axónæ, juxta locúm ubi passi sunt: altéra, ubi primum abscóndita fuérunt et sepúlta Mártyrum córpora, quæ póstea fuit sanctimoniálium congregatiónis Beátæ Maríæ Vírginis; tértia, sub título Abbátiæ Sancti Crispíni Majóris, in quam beatórum Mártyrum Relíquiæ antiquítus translátæ sunt et in crypta cónditæ. Nunc autem insígnia ipsórum pígnora in Cathedráli Ecclésia religióse asserváta, piæ fidélium veneratióni quotánnis in die festo et per octávam exponúntur.

℟. Salus et glória, et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judícia sunt ejus. * Qui judicávit de meretríce magna quæ corrúpit terram in prostitutióne sua. † Et vindicávit sánguinem servórum suórum

de mánibus ejus. ℣. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. † Qui judicávit. Glória. * Et vindicávit.

IN III NOCTURNO.

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* xvi. 15.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædícate Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía Sancti Gregórii Papæ.

Hom. 29, *in Evang.*

Potest, omnis creatúræ nómine, omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur: prædicáte omni creatúræ: ut scilicet prius a Judǽa Apostolórum repúlsa prædicátio, tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit; quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. Neque enim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non venissent.

℟. Numquam legístis in Scriptúris: Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factúm est istud, et est mirábile in óculis nostris. * Ideo dico vobis; quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. ℣. Non me invocásti, Jacob; nec laborásti in me, Israel, non obtulísti mihi aríetem holocáusti tui et víctimis tuis non glorificásti me. * Ideo.

Lectio viii.

Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet: vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Quod cum ita sit, fidei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus implémus. In die quippe baptísmatis, ómnibus nos antíqui hostis opéribus atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratió-

nem suam mentis óculos redúcat; et si servat post baptismum quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

℟. Isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. * Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. * Qui.

LECTIO IX.

SIGNA autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis : serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent et bene habébunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, tándiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus; at si semel radícem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus. p. 15.

AD LAUDES.

Capitulum, ut ad I Vesp.

HYMNUS.

AD sanctos cíneres (pignora Mártyrum
Sunt hæc plena Deo) cúrrite, cívitas :
Hic cunæ fidei : fúneris in sinu
Vitam plénius háusimus.

HIC quot prodígiis se Deus ásserit!
Hic surdi pátulis áuribus áudiunt :
Cæcis hic sua lux rédditur, et suus
Contráctis vigor ártubus.

HIC supplex gemat urbs: seu cálamo seges
Arescénte perit, seu mádido natat;
Imbres mox dócilis sol dabit úberes,
Aut pellet nócuos procul.

ULTOR nempe Deus, non méritæ necis
Sacris oppróbrium pensat honóribus :
Claros prodígiis ac venerábiles
Ipsos vel túmulos facit.

PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Ambórumque sacro máxima Flámini,
Fulti cujus ope prǽlia sústinent
Contémpta nece, Mártyres.
Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dó-

mini, ℟. Mors Sanctórum ejus.

Ad Bened. Ant. t. 1. *d.* Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem: sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

AD TERTIAM.

Capitulum, ut ad I Vesp.

℟. *br.* Dómini est * Assúmptio nostra. Dómini. ℣. Et sancti Israel Regis nostri. * Assúmptio nostra. Glória. Dómini.

℣. Laudáte Deum, omnes pópuli. ℟. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

AD SEXTAM.

Capitulum. *I Thess.* III. 7-8.

Ipsi scitis quemádmodum opórteat imitári nos; quóniam non inquiéti fúimus inter vos, neque gratis panem manducávimus ab áliquo; sed in labóre et in fatigatióne, nocte et die operántes, ne quem vestrum gravarémus.

℟ *br.* Laudáte Deum, * Omnes pópuli. Laudáte. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus. Omnes pópuli. Glória. Laudáte Deum.

℣. Ecce sic benedicétur homo. ℟. Qui timet Dóminum.

AD NONAM.

Capitulum. *I Thess.* III. 3-4.

Nemo moveátur in tribulatiónibus istis; ipsi enim scitis quod in hoc pósiti sumus. Nam et cum apud vos essémus, prædicebámus vobis passúros nos tribulatiónes, sicut et factum est, et scitis.

℟ *br.* Ecce sic * Benedicétur homo. Ecce. ℣. Qui timet Dóminum. * Benedicétur homo. Glória. Ecce.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti. ℟. Annis quibus vídimus mala.

AD II VESPERAS.

Capitulum, ut in I Vesperis.

Hymnus.

Ex quo Magíster péndulus in cruce
Terris salútem partúriit Deus,
Verbo poténtes efficáci
Discípuli domuere terras.

Fundata Christi sánguine, Mártyrum
Fecúnda crevit supplíciis fides:
Et mors paréntum germinávit
Multíplicem generósa prolem.

Sic vos opímas dum ségetes metit
Impúra sævi carníficis manus,
Cruóre vestro mille natas
Rellígio videt aucta fruges.

Antiqua divum fana ruunt, frequens
Jam turba lymphis ablúitur sacris;
Et plebs adorátas tot annos
Igne pio cremat ipsa quercus.

TYRANNE, demens quo récidit furor?
Quot ense mactas, ímpie, víctimas,
Cœlo recéptos tot favéntes
Suppéditas fidei patrónos.

Vos ergo lecti primítiæ gregis,
Vos ergo nostræ gentis Apóstoli,
Adéste, fratres, ferte vestræ,
Ferte Deo pia vota prolis.

LAUS summa Patri, summáque Fílio,
Sanctóque compar Spíritui decus,
Quo flante fecundátur orbis,
Christe, tibi nova gens creátur.
Amen.

℣. Quanta audívimus et cognóvimus ea, ℟. Et patres nostri narravérunt nobis!

Ad Magnif. Ant. t. 7. d Sit memória illórum in benedictióne; et ossa eórum púllulent de loco suo, et nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad filios illórum, sanctórum virórum glória.

DIE XXVI.

DE OCTAVA
SS. CRISPINI ET CRISPINIANI,
MARTYRUM.

Omnia ut in die festis exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo sancti Máximii Epíscopi.

De SS. Octava.

CUM ómnium sanctórum Mártyrum, fratres, devotíssime natálem celebráre debeámus; tum præcipue eórum solémnitas tota nobis veneratióne curánda est, qui in nostris domicíliis próprium sánguinem profudérunt. Nam, licet univérsi sancti ubíque sint, et ómnibus prosint; speciáliter illi tamen pro nobis intervéniunt, qui et supplícia pertulére pro nobis. Martyr enim cum pátitur, non sibi tantum pátitur, sed et cívibus. Sibi enim pátitur ad prǽmium, cívibus ad exémplum. Sibi pátitur ad quiétem, cívibus ad salútem Exémplo eórum didícimus Christo crédere, didícimus contuméliis vitam ætérnam quærere, mortem didícimus non timére.

℟. Diláta locum, *p.* 41.

LECTIO V.

BEATI Mártyres non sibi solum vixérunt, non sibi sólum mórtui sunt: exémplum enim nobis dedérunt, bene vivéndo, conversatiónis, tolerándo fórtiter, passiónis. Nam ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati Mártyres vóluit, ut tanquam idónei

testes, præsénti quoque fidéles exémplo suæ confessiónis urgérent; ut fragílitas humána, quæ prædicatióni domínicæ, áditu longióre vix credit, velut præsénti Mártyrum testimónio créderet.

℟. Vícerunt, *p.* 42.

LECTIO VI.

Cuncti ígitur Mártyres recoléndi sunt devotíssime; sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum Relíquias possidémus: illi enim nos oratiónibus ádjuvant; isti étiam ádjuvant passióne. Cum his autem nobis familiáritas est; semper enim nobíscum sunt, nobíscum morántur; hoc est, et in córpore nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt; hic, ne peccatórum nos labes assúmat; ibi ne inférni horror invádat. Nam ídeo hoc a majóribus provísum est, ut Sanctórum óssibus nostra córpora sociémus; ut dum illos Christus illúminat, a nobis tenebrárum calígo diffúgiat. Cum sanctis ergo Martýribus quiescéntes, evádimus ínferi ténebras, eórum própriis méritis attamen consócii sanctitáte.

℟. Salus, *p.* 42.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

LECTIO VIII. *Cap.* 16, 15.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homilia 29 *in Evangelia.*

Quod resurrectiónem Domínicam discípuli tarde credidérunt, non tam illórum infírmitas, quam nostra, ut ita dicam, futúra fírmitas fuit. Ipsa namque resurréctio illis dubitántibus per multa arguménta monstráta est: quæ dum nos legéntes agnóscimus, quid áliud quam de illórum dubitatióne solidámur? Minus enim mihi María Magdaléne præstitit, quæ cítius crédidit, quam Thomas, qui diu dubitávit. Ille étenim dubitándo vúlnerum cicatríces tétigit, et de nostro péctore dubitatiónis vulnus amputávit.

℟. Nunquam, *p.* 43.

LECTIO VIII.

Ad insinúandam quoque veritátem Domínicæ resurrectiónis, notándum nobis est quid Lucas réferat, dicens: Convéscens præcépit eis ab Jerosolymis ne discéderent. Et post pauca: Vidéntibus illis elevátus est, et nubes suscépit eum ab óculis eorum. Notáte verba, signáte mystéria. Convéscens elevátus est. Comédit, et ascéndit: ut vidélicet per efféctum comestiónis véritas patésceret carnis. Marcus vero, priúsquam cœlum Dóminus ascéndat, eum de cordis atque infidelitátis durítia increpásse

discípulos mémorat. Qua in re quid considerándum est, nisi quod idcírco Dóminus tunc discípulos increpávit, cum eos corporáliter relíquit, ut verba quæ recédens díceret, in corde audiéntium árctius impréssa remanérent.

℟. Isti, *p.* 44.

LECTIO IX.

De sancto Evaristo, cujus Commem. in Laud. (Breviar., *p.* 419).

DIE XXVII.

DE OCTAVA

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI,

MARTYRUM.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

De epístola S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Mártyres.

Epist. 76.

Imposuérunt cómpedes pédibus vestris, et membra felícia ac Dei templa infámibus vínculis ligavérunt; quasi cum córpore ligétur et spíritus, aut aurum vestrum ferri contagióne maculétur. Dicátis Deo homínibus, et fidem suam religiósa virtúte testántibus, ornaménta sunt ista, non víncula; nec Christianórum pedes ad infámiam cópulant, sed claríficant ad corónam. O pedes felíciter vincti, qui non a fabro, sed à Dómino resolvúntur. O pedes felíciter vincti, qui itínere salutári ad paradísum dirigúntur. O pedes in sǽculo ad præsens ligáti, ut sint semper apud Dóminum líberi.

℟. Diláta, *p.* 41.

LECTIO V.

Quis non libénter et prompte cálicem salútis accípiat? Quis non áppetat gaudibúndus et lætus, in quo áliquid et ipse Dómino suo retríbuat? quis non pretiósam in conspéctu Dómini mortem fórtiter et constánter excípiat; placitúrus ejus óculis, qui nos in congressióne nóminis sui désuper spectans, voléntes cómprobat, ádjuvat dimicántes, vincéntes corónat, retributióne bonitátis ac pietátis patérnæ remúnerans in nobis quidquid ipse præstitit, et honórans quod ipse perfécit?

℟. Vicérunt, *p.* 42.

LECTIO VI.

Qui nunc vobis, dilectíssimi fratres, consciéntiæ victrícis vigor? quæ sublímitas ánimi? quæ in sensu exultántia? qui triúmphus in péctore? unumquémque vestrum stare ad promíssum Dei prǽmium; de judícii die esse secúrum; ambuláre in metállo, captívo quidem córpore sed corde regnánte; scire Christum secum esse præséntem, gaudéntem tolerántia servórum suórum, per vestígia et vias suas ad

regna ætérna gradiéntium? Expectátis quotídie læti profectiónis vestræ salutárem diem, et jam jamque de sǽculo recessúri ad mártyrum múnera, et domicília divína properátis; post has mundi ténebras visúri candidíssimam lucem, et acceptúri majórem passiónibus ómnibus et conflictatiónibus claritátem, Apóstolo contestánte et dicénte : Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis, ad superventúram claritátem quæ revelábitur in nobis. Plane quiá nunc vobis in précibus efficácior sermo est, et ad impetrándum quod in pressúris pétitur facílior orátio est : pétite impénsius et rogáte, ut confessiónem ómnium nostrum dignátio divína consúmmet; ut de istis ténebris et láqueis mundi, nos quoque vobíscum intégros et gloriósos Deus líberet; ut qui hic caritátis et pacis vínculo copuláti, contra hæreticórum injúrias et pressúras gentílium simul stétimus, páriter in regnis cœléstibus gaudeámus.

℟. Salus, *p*. 42.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap*. 16, 15.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

De Homilía S. Gregórii Papæ.

Ex eadem Homilia 29.

Qui credíderit, et baptizátus fuérit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetipsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joánnes ait : Qui dicit se nosse Deum, et mandáta ejus non custódit, mendax est.

℟. Nunquam, *p*. 43.

Lectio viii.

Quod cum ita sit, fídei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus complémus. In die quippe baptísmatis ómnibus nos antíqui hostis opéribus, atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratiónem suam mentis óculos redúcat, et si servat post baptísmum quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

℟. Isti, *p*. 44.

Lectio ix.

De vigilia SS. Simonis et

Judæ, cujus Comm. in Laud. (Breviar., *p.* 419).

DIE XXIX.

DE OCTAVA

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI, MARTYRUM.

Omnia ut in die Festi, exceptis quæ sequuntur.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo S. Basílii Epíscopi.

In Psalm. 115, *circa finem.*

PRETIOSA est mors sanctórum ejus, quum vidélicet ánima per vitæ istíus currículum expurgáta, ab omni elúvie et inquinaménto carnis emancipáta ac libertáti réddita, nullam in se rétinens máculam aut rugam, duris pro pietáte agónibus jam exantlátis probáta, insigníta coróna justítiæ, perque hæc ómnia admirábili decóre virtútis interlúcens dómino suo, atque ómnium júdici se præsentárit lápide omni pretióso longe rutilántior, Dei múnere eam indépta claritátem, quonam pacto non censéri débeat pretiósa hóminis istíus mors in conspéctu Dómini?

℟. Dilatá, *p.* 41.

LECTIO V.

EXITUS itaque sanctórum virórum e vitæ istíus stádio ne lugeámus, imo fletu magis prosequénda venit ipsa natívitas et ex útero in hanc vitam progréssio. Iste enim in mundum ingréssus noster per ignomíniam fit sordéntis eluviéi ac fædi odóris, et quorum nec prospéctum quidem unus eórum qui nos in vivis præíerit, fácile tóleret. Natúræ etenim necéssitas per ejúsmodi præscrípsit nobis et sanxit carnális generatiónis ingréssum : contra, éxitus atque hinc emigrátio pretiósa est et illústris, neque ínterim ómnium talis est, sed eórum qui vitam hanc suam sancte et juste traduxérunt. Itaque pretiósa est mors, non item pretiósa natívitas. Nam, teste Apóstolo, Seminátur in ignobilitáte, surgit in glória ; seminátur in corruptióne, surgit in incorruptióne.

℟. Vicérunt, *p.* 42.

LECTIO VI.

PRO legis Judáicæ ritu si qui moriebántur, horum morticínia habebántur abominatióni : contra, mors si cuipiam irrogátur pro Christi nómine, pretiósæ censéntur relíquiæ sanctórum ejus. In prióri lege dicebátur sacerdótibus et Nazaræis illud : Non contaminábitur super ullo mórtuo. Et, Si quis tetígerit cádaver, immúndus erit. Et hoc, Lavábit vestiménta sua. Nunc e divérso, Mártyris ossa quisquis attígerit, ob grátiam córpori insidéntem fit quadántenus sanctificatiónis párticeps. Quare pretiósa est in conspé-

ctu Dómini mors sanctórum ejus.

℟. Salus, *p.* 42.

IN III NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* 16. 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

De Homilia S. Gregórii Papæ.

Signa autem eos qui creditúri sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda : quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coalúisse videámus; et si semel radícem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc enim est quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

℟. Numquam, *p.* 43.

Lectio viii.

Habemus de his signis atque virtútibus, quæ adhuc subtílius consideráre debeámus. Sancta quippe Ecclésia quotídie spiritáliter facit, quod tunc per Apóstolos corporáliter faciébat. Nam sacerdótes ejus cum per exorcísmi grátiam manum credéntibus impónunt, et habitáre malígnos spíritus in eórum mente contradícunt, quid áliud fáciunt, nisi dæmónia ejíciunt? Et fidéles quique, qui jam vitæ véteris seculária verba derelínquunt, sancta autem mystéria insonant, conditóris sui laudes et poténtiam, quantum præválent, narrant : quid áliud fáciunt, nisi novis linguis loquúntur? Qui dum bonis suis exhortatiónibus malítiam de aliénis córdibus áuferunt, serpéntes tollunt.

℟. Isti, *p.* 44.

Lectio ix.

Et dum pestíferas suasiónes áudiunt, sed tamen ad operatiónem pravam mínime pertrahúntur : mortíferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocébit. Qui quóties próximos suos in bono ópere infirmári conspíciunt, dum eis tota virtúte concúrrunt, et exémplo suæ operatiónis illórum vitam róborant, qui in própria actióne titubant, quid áliud fáciunt, nisi super ægros manus impónunt, ut bene hábeant? Quæ nimírum miracula tanto majora sunt, spiritália : tanto majóra sunt, quanto per hæc non cór-

pora, sed ánimæ suscitántur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

DIE XXX OCTOBRIS.

DE OCTAVA

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI,

MARTYRUM.

Omnia ut in die Festi exceptis quæ sequentur.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

De SS. Octava.

EXEMPLO Mártyrum didícimus Christo crédere, didícimus contuméliis vitam ætérnam quǽrere, mortem didícimus non timére. Vidéte ergo quid martyribus debeámus : in quo alter tortus est, ut álius salvarétur : alter carníficem pértulit, ut Christum alter agnósceret : alter morti addíctus est, ut álius vita potirétur ætérna : et ad postrémum sanctus occísus est, ut peccátor eváderet. Beáti ígitur mártyres nec sibi vixérunt, nec sibi sunt mórtui ; exémplum enim nobis reliquérunt bene vivéndo, conversatiónis, tolerándo fórtiter, passiónis.

℟. Diláta, *p.* 41.

LECTIO V.

NAM ídeo Dóminus per totum mundum divérsis in locis pati mártyres vóluit, ut tanquam idónei testes nos præsénti quodam fídei exémplo suæ confessiónis urgérent ; ut humána fragílitas, quæ prædicatióni domínicæ audítu longióre vix credit, vel præsénti oculórum testimónio, martýrio créderet beatórum. Cuncti ígitur Mártyres devotíssime percoléndi sunt, sed speciáliter ii venerándi sunt a nobis, quorum relíquias possidémus. Illi enim nos oratiónibus ádjuvant, isti étiam ádjuvant passióne ; cum his autem nobis familiáritas est ; semper enim nobíscum sunt, nobíscum moránter, hoc est, et in córpore nos vivéntes custódiunt, et de córpore recedéntes excípiunt.

℟. Vicérunt, *p.* 42.

LECTIO VI.

CUM sanctis ergo martýribus quiéscentes evadámus ínferi ténebras, eórum própriis méritis, attámen consócii sanctitáte. Ait enim Dóminus Petro : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam ; et portæ ínferi non prævalébunt ei. Si ergo Apóstolo et Mártyri Petro inferni porta non prǽvalet, quisquis sóciátur mártyri tártaro non tenétur. Mártyres enim inférni porta non póssidet, quóniam eos Paradísi regna suscípiunt. Nam vidémus eos hic útique jam regnáre ; cérnimus enim ab eis obséssos immundíssimis dæmónibus hómines liberári ; ita ut cœlésti medicína et captíva ánima de diáboli láqueis eruátur, et ipse diábolus vínculis ígneis alligá-

tus producátur de sua captivitáte captívus; ut qui prædam paulo ante céperat, ipse subdátur in pœnam. Hæc et ália potióra mirabília per sanctos fíeri ómnibus notum est. Et ídeo, fratres, venerémur eos in século quos defensóres habére póssumus in futúro.

℟. Salus, *p.* 42.

IN III NOCTURNO.

Illa homilia ex præcedentibus, quæ non fuerit lecta usque adhuc.

Si sit e Die XXVI, *Lectio* IX *erit sequens.*

INCREPATA ígitur eórum durítia, quid admonéndo dicat, audiámus : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Numquid, fratres mei, sanctum Evangélium vel insensátis rebus, vel brutis animálibus fúerat prædicándum, ut de eo discípulis dicátur : Prædicáte omni creatúræ? Sed omnis creatúræ nómine signátur homo. Omnis autem creatúræ áliquid habet homo. Habet namque commúne esse cum lapídibus, vivere cum arbóribus, sentíre cum animálibus, intellígere cum ángelis. Si ergo commúne habet áliquid cum omni creatúra homo, juxta áliquid omnis creatúra est homo. Omni ergo creatúræ prædicátur Evangélium, cum soli hómini prædicátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

Si vero e Die XXVII *sumatur homilia, hæc erit Lectio* IX.

SED ecce si quod promísit, mínime servávit, si ad exercénda prava ópera, ad concupiscéndas mundi pompas dilápsus est; videámus si jam scit plángere quod errávit. Apud misericórdem namque júdicem nec ille fallax habétur, qui ad veritátem revértitur, étiam postquam mentítur; quia omnípotens Deus dum libénter nostram pœniténtiam súscipit, ipse suo judício hoc quod errávimus, abscóndit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

DIE XXXI.

S. QUINTINI, MART.

Duplex II classis.

De Comm. unius Mart., p. XX, *exceptis quæ sequuntur.*

HYMNUS.

CIVEM Roma suum jam sibi víndicet,
Clarum patríciis dicat honóribus;
Quintínum répetit, jure vocat suum
Felix Gállia Mártyrem.

LECTA cum júvenum vénerat huc manu;
Desérta pátria, ceu tot Apóstoli,
Cæsis in stýgia nocte jacéntibus
Portant lúmina Gálliis.

ILLIS ludus erant propósitæ neces;
Audébant vel oves crédere se lupis;
Omnes unánima terríbiles fide

Christo sub duce mílitant.
Urbes per médias, sævit ubi furor,
Ardent ire ; novos ipsa perícula
Ollis dant ánimos, quis téneat duces
Vitam fúndere pródigos?
Quintinus sócios férvidus émicat
Inter : Christíferi dux erat ágminis ;
Vertunt, ædificant, et bona sémina
Spargunt et simul írrigant.
Patri máxima laus, máxima Filio,
Ambórum tibi par laus quoque Spíritus;
Præsens Martýribus, qui velut ébriis
Christi sánguine das mori.
Amen.

℣. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus. ℟. Et factus est mihi in salútem.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui per gloriósi bella certáminis ad immortáles triúmphos Beátum Quintínum Mártyrem tuum extulísti ; da córdibus nostris dignam pro ejúsdem passióne lætitiam, ut quem pio amóre ampléctimur, ejus suffrágiis adjuvémur. Per Dóminum.

In civitate Sanquintinensi.

Oratio.

Deus qui nos, beáti Quintíni Mártyris tui ministério Ecclésiæ tuæ filiis aggregásti; concéde, quǽsumus, ut fidem quam nobis annuntiávit, piis opéribus profiténtes, cœléstis étiam glóriæ, quam torméntis pro confessióne tui nóminis hodiérna die proméruit, fácias nos esse partícipes. Per Dóminum.

Nulla fit Comm. Octavæ.

AD MATUTINUM.

Hymnus, ut in I Vesperis.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Communi. p. xxxviij.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

Sanctus Quintínus, Romæ senatória stirpe progénitus, imménso Christi amóre quo intérius ardébat, pátriam et paréntes sponte deséruit, ac simul cum Luciáno, aliísque nonnúllis, Ambiánum Gálliæ civitátem martýrii desidério se cóntulit. Luciáno ítaque Bellóvacum proféctó, ipse Ambiáni agónis sui tempus expectábat, Christi nomen cunctis annúntians; nec solùm doctrína et verbo, sed váriis étiam miraculórum testimóniis ejus fidem confírmans. Quibus audítis, Rictiovárus Galliárum Præféctus, immáni furóre corréptus, Quintínum caténis vinctum in carcérem misit, moxque sequénti die constantíssime respondéntem, ac Christum apérte confiténtem, duris-

simis flagéllis cædi, iterúmque horréndum in ergástulum dedúci mandávit. Nocte vero sequénti, ab Angelo vínculis eréptus, per médias cárceris custódias illæsus tránsiit, rectaque ad urbis forum conténdit: ubi, advocáta concióne, de Christiánæ Religiónis fideíque mystériis luculénter disserens, ingéntem pópuli multitúdinem, imo et ipsos cárceris custódes, de ténebris in admirábile Christi lumen tradúxit.

℟. Honéstum, *p.* xxv.

LECTIO V.

Quod animadvértens Præféctus, tróchlea eum torquéri jussit tanta crudelitáte, ut membra suis solúta junctúris, ingéntem spectántibus horrórem incúterent. Mártyre vero in eádem fídei confessióne alácriter exultánte, Præféctus resticulis férreis eum cædi, óleo candénti, pice et ádipe ferventíssimo perfúndi, faces dénique ardéntes applicári jussit: ut vel flammis coáctus sibi asséensum aliquándo præbéret. Cumque in Augústam Veromanduórum póstea crudéliter pertráctus fortis Athléta Christi in propósito perseveráret, Rictiovárus duábus súdibus férreis a cervíce ad crura usque transfígi eum imperávit, paritérque decem clavis dígitos omnes, inter ungues et carnem terebrári, ut vel immódico dolóre defíceret, vel céderet superátus. Ad extrémum invíctus Martyr, cápitis a Præfécto damnátus, martýrii certámen felíciter absólvit prídie Caléndas Novémbris.

℟. Desidérium, *p.* xxvi.

LECTIO VI.

Corpus ejus in Sumínam projéctum Eusébia pia múlier, post annos quinquaginta quinque, Angelo reveláte, invénit, in monte juxta urbem sepelívit, sacellúmque túmulo superstrúxit. Cum autem ob Vandalórum, Hunnorúmque infestatiónes, ignótus fuísset sepúlcri locus, beato Elígio Epíscopo Noviomensi Deus patefécit. Hic edúctas in lucem Relíquias honestióri loco pósuit, tumulúmque miro ópere désuper fabricávit, ex auro, argénto, et gemmis, auxítque Ecclésiam Quintíni nómine olim ædificátam; quæ póstea in insígnem exsurréxit Basílicam in qua illústre canonicórum collégium usque ad finem últimi séculi flóruit. In hac eádem Basílica, hucúsque asservántur pretiósæ sancti Mártyris Relíquiæ, et magno populórum concúrsu religióse celebrántur.

℟. Stola jucunditátis, *p.* xxvi.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

LECTIO VII. *Cap.* 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 277, nº 2.

Ecce hóc atténdite, et fidem vestram interrogáte. Sanctus martyr, si formídine tormentórum negáret Christum, viderétur córpori pepercísse, quadam autem conditióne mortáli, córpore solverétur. Quid ágeret in resurrectióne, cum in ætérnum ignem præcipitarétur? Negans Christum, negátur a Christo. Qui negáverit me, inquit, coram homínibus, negábo eum coram Patre meo qui est in cœlis. Ecce negáret, quiéscerent illi tortóres, et vulneráto ánimo sanum esset corpus. Quid prodésset in ætérnum mórtuo brevis córporis vita? Veníret dies quam commémorat Dóminus, quando omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem ejus, et procédent, sed cum magna differéntia. Omnes procédent, sed non omnes ad eámdem rem procédent. Omnes surrectúri, sed non omnes immutándi. Qui enim bene fecérunt, inquit, in resurrectiónem vitæ; qui autem male, in resurrectiónem judícii.

℟. Córona aurea super caput, p. xxviij.

Lectio viii.

Judicium autem cum audis, ne tibi tanquam de temporáli judício blandiáris; pónitur judícium pro pœna ætérna. Secúndum hoc dictum est. Qui autem non credit, jam judicátus est. Hæc ergo differéntia separatúra est justos ab injústis, fidéles ab infidélibus, confessóres a negatóribus, amatóres vitæ peritúræ, ab amatóribus vitæ ætérnæ. Separatúra est illa discrétio; et ibunt justi in vitam ætérnam, ímpii vero in ignem ætérnum. Ibi cum córpore torquebúntur, qui córpori pepercérunt. Timendo enim torménta córporis, córpori pepercérunt, et parcéndo córpori, Christum negavérunt, et negándo Christum pœnas ætérnas étiam córpori distulérunt. Si distulérunt, numquid abstulérunt?

℟. Hic est, p. xxix.

Lectio ix.

De Vigilia Omnium Sanctorum (*in* Breviar., *p.* 423).

AD LAUDES.

Hymnus.

Quintinus rápitur, dux gregis et caput;
Qualis pompa necis! párcite, bárbari;
An tot supplíciis débitus innocens?
An tot præda leónibus?

Lentis dilácerat vimínibus cutem,
Costas éffera gens vérbere détegit:
Sulcant corpus; arant déntibus ásperis
Rubri sánguine péctines.

Ictus ingéminant, scissa volat caro;

Per partes lácerum corpus abit, feræ
Gentis ludibrium : mens manet íntegra,
Torti córporis immemor.

Addunt vulnéribus dum nova vúlnera,
Unum vulnus erat; víscera Mártyris
Quando nuda patent, illíus íntimam
Riméris pénitus fidem.

Et nos, christíadæ, blanda per ótia,
Vitæ delícias quærimus ánxii!
Nostram segnítiem dúrius íncrepant
Fuso sánguine Mártyres

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórum tibi par laus quoque Spíritus,
Præsens mártyribus, qui velut ébriis
Christi sánguine das mori.
Amen.

℣. In Deo sperávi, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo.

Commem. Vigiliæ tantum (*in* Breviar., *p.* 424).

In I Vesp. Omnium sanctorum, fit Commem. S. Quintini et diei Octavæ SS. Crispini et Crispiniani.

Die sequenti (1 Nov.) *fit Commem. diei Octavæ SS. Crispini et Crispiniani in Laud. et Vesp.*

FESTA NOVEMBRIS.

DOMINICA POST FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

IN FESTO B. M. VIRG. A SUFFRAGIIS.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. Virginis per Annum, p. cxxxviij, *præter sequentia.*

IN UTRISQUE VESPERIS.

Ad Magnif. Ant. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, quia propter angústias, et tribulatiónem géneris tui subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut Beátæ Maríæ semper Vírginis suffrágiis intercedéntibus, et fidélium ánimæ indulgéntiam et nos grátiæ tuæ dona, ac ætérnæ vitæ prǽmia consequámur; Per Dóminum nostrum.

IN II NOCTURNO.

Lectio iv.

De Sermóne Sancti Bernárdi Abbátis.

In Assumptione Beatæ Mariæ Virginis.

Hæc est enim, quæ totíus mundi reparatiónem obtínuit, salútem ómnium impetrávit. Constat enim pro univérso génere humáno fuisse sollícitam, cui dictum est : Ne tímeas, María, invenísti grátiam útique quam quærébas. Quis ergo misericórdiæ tuæ, o benedícta, longitúdinem et la-

titúdinem, sublimitátem et profunditátem queat investigáre. Nam longitúdo ejus usque in diem novíssimum invocántibus eam súbvenit univérsis. Latitúdo ejus replet orbem terrárum, ut tua quoque misericórdia plena sit omnis terra. Sic et sublímitas ejus civitátis supérnæ ínvenit restaurátiónem, et profúndum ejus sedéntibus in ténebris et in umbra mortis obtínuit redemptiónem. Per te enim cœlum replétum, inférnus evacuátus est, instaurátæ ruínæ cœléstis Jerúsalem, expectántibus míseris vita pérdita data. Sic potentíssima et piíssima cáritas et afféctu compatiéndi, et subveniéndi abúndat efféctu, æque lócuples in utróque.

℟. Sicut, *p.* cxiv.

LECTIO V.

Ad hunc ígitur fontem sitibúnda próperat ánima nostra : ad hunc misericórdiæ cúmulum tota sollicitúdine miséria nostra recúrrat. Ecce jam quibus potúimus votis ascendéntem te ad Filium dedúximus, et prosecúti sumus saltem a longe, Virgo benedícta. Sit deinceps pietátis tuæ ipsam, quam invenísti apud Deum grátiam, notam fácere mundo; reis véniam, medélam ægris, pusíllis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinéndo. In hac quoque die solemnitátis et lætitiæ dulcíssimum Mariæ nomen cum laude invocántibus sérvulis per te, Regína clemens, grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedíctus in sécula.

℟. Quæ est, *p.* cxvj.

LECTIO VI.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

In Domin. infra Octavam Assumptionis. Apocalypsis in verba.

Quod si plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent invéneris; age grátias ei qui talem tibi mediatrícem benigníssima miseratióne provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus omnia facta est, sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima caritáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi; captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam, dénique tota Trínitas glóriam, Filii persóna carnis humánæ substántiam, ut non sit qui se abscóndat a calóre ejus.

℟. Ornátam, *p.* cxvj.

IN LAUDIBUS.

Ad Bened. Ant. Benedícta tu

filia a Dómino, qui hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non récedat laus tua de ore hóminum.

Oratio ut in I Vesp.

DIE III.

COMMEM. S. HUBERTI,

CONF. PONT.

Oratio, Da, quǽsumus. *p.* l.

LECTIO IX.

HUBERTUS Aquitánus, nóbili prosápia ortus, sprétis aulæ honóribus et delíciis, sancto Lámberto Trajecténsi Epíscopo discípulum se trádidit. Sub talis magístri disciplína, in omni virtútum génere ita prófecit, ut Lambérto ímpia cæde trucidáto, commúnibus votis Cleri ac pópuli suffectus fúerit. Tunc prædecessóris sui corpus Trajécti sepúltum, sua cum Episcopáli sede Leódium tránstulit. Omnem substántiam distribuit paupéribus, et se suo gregi totum mancipávit. In sylva Arduénna, quam non sine vitæ discrímine plúries peragrávit, multos qui supérerant infidéles convértit. Tandem e Brabántia rédiens, ubi novam consecráverat Ecclésiam, in itinere morbo corréptus, feliciter in Dómino quiévit, anno salútis septingentésimo vigésimo séptimo, in vita et post mortem miráculis clarus. Sacræ ejus Relíquiæ, centum circiter post óbitum annis, translátæ sunt in Abbátiam Andaginénsem, in qua religióse asservántur, atque inde sancti Húberti nomen sortíta est. Ad hanc Abbátiam, undécimo século ineúnte, contra rabidórum animálium morsus jam percélebris erat et frequens peregrinátio.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Huberti.

DIE VI.

COMMEM. S. VINOXII,

CONF. NON PONT.

Oratio, Intercéssio, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

VINOXIUS in Británnia Minóri natus, mundi malítiam fúgiens, cum tribus sóciis in Sithivénse monastérium se recépit. Eórum in virtúte progréssus agnóscens Bertínus primus Abbas Sithivénsis brevi locum ipsis assignávit, ubi novi cœnóbii fundaménta jácerent. Ibi extrúcto oratório, cónditisque céllulis, vitam egérunt aspérrimam, circumvicínæ regióni virtútibus prælucéntes. Tali spectáculo permótus vir dives Herémarus, Vinoxio et sóciis prǽdium seu villam nómine Vormhútum óbtulit, ad eórum propósitum máxime accommodátam. Ibi monastérium construxére, adjúncto páuperum hospítio, cui Vinóxius primus Abbas a sancto Bertino præféctus, pietátis fama innúmeros ascívit discípulos quibus semper præíre stúduit austeritáte et humilitátis exémplo. Tandem annis matúrus et méritis, ad Dóminum migrávit circa

annum septingentésimum décimum séptimum, octávo Idus Novémbris. Ad ejus sepúlcrum piæ populórum peregrinatiónes Castro Vinoxbérgæ ortum dedérunt.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Vinoxii.

DIE VII.

COMMEM. S. GODEFRIDI, CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, *p.* 1.

LECTIO IX.

GODEFRIDUS in Molicúrte pagi Suessionnénsis prǽdio ingénuis paréntibus natus, statim ab ortu ad Godefrídum Abbatem Sancti Quintíni prope Perónam delátus, ab eo baptísmum et nomen accépit. Inter mónachos ascríptus, brevi æquáles sciéntia, sanctitáte, ingénii, morúmque maturitáte superávit. Vix quintum et vicésimum annum attigerat, cum ad presbyterátum evéctus et monastério Novigenténsi in pago Laudunénsi præpósitus est. Monastérium porro, eo regénte, intra paucos annos sic refflóruit, ut plures quoque Abbátes eo recésserint, sanctíssimi Abbátis disciplínæ obtemperáre maléntes, quam in suis monastériis imperáre. Non multo post, commúnibus Cleri pópulique Ambianénsis suffrágiis in Antístitem est eléctus, nec nisi Concílii Trecénsis império coáctus, lacrymántibus ubértim óculis, delátam sibi dignitátem acceptávit. Ubi primum Ambiános venit, pascéndo gregi totum se devóvit, aléndis paupéribus, víduis ac pupíllis tuéndis, móribus tam Cleri quam pópuli reformándis assídue occupátus, multis intérea óbvius perículis e quibus divínitus est liberátus. Viennénsi concílio prǽfuit. Post annos áliquot, relíctis ómnibus ut uni Deo vacáret, Carthúsiam magnam pétiit, ibíque mansísset, nisi tum per synódicas Suessionénsis Concílii litteras, tum Ludovíci sexti jussu ad suam sedem revocátus fuísset. Tandem plenus méritis et opéribus bonis, cum sedis suæ abdicatiónem postulatúrus Remos péteret, in monastério Sancti Crispíni Suessionénsis quinquagenárius obdormívit in Dómino, sexto Idus Novémbris, anno Episcopátus sui undécimo.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Godefridi.

DOM. POST OCTAV. OMNIUM SANCTORUM.

ANNIVERS. DEDICATIONIS OMNIUM ECCLESIARUM QUÆ CERTAM HUJUS SOLEMNITATIS DIEM NON HABENT.

Duplex I Cl. Com. Octava.

Omnia ut in Commun., p. cxiv, *et seq.*

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ, CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia ut in Breviar., *p.* 467, *præter sequentia.*

IN I VESPERIS.

Comm. S. Brictii, Conf. Pont.

Oratio, Da quæsumus, *p.* I.

IN OFFICIO NOCTURNO.

Pro Comm. S. Brictii, Conf. Pont.

LECTIO IX.

Ex Historia ecclesiastica Francorum sancti Gregorii Turonensis Episcopi.

L. 2. *c.* 1. *L.* 10. *c.* 31.

Brictius, civis Turónicus, cum esset primævæ ætátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quadam autem die Bríctium Diacónum vir beátus allóquitur: En ego, Bricti, delírus tibi vídeor? Amen dico tibi quia obtínui apud Deum, ut post meum tránsitum, ad Pontificátus honórem accédas; sed nóveris te in Episcopátu multa advérsa passúrum. Adéptus ergo, consentiéntibus cívibus, anno Arcádii et Honórii secúndo, Pontificátus officium, oratióni vacábat. Anno autem Ordinatiónis ejus trigésimo tértio, óritur contra eum laméntábilis causa pro crímine, illo viríliter negánte. Illis vero non credéntibus, sed contradicéntibus, tráhitur, calumniátur, ejícitur, ut sermo Sancti adimplerétur. Hoc enim ejécto, Justiniánum in Episcopátu constítuunt. At Bríctius Episcopus Romam véniens, cuncta quæ pertúlerat Papæ refert: ibíque plerúmque Missárum solémnia célebrans, quidquid in sanctum Martínum delíquerat, defléndo díluit. Séptimo ígitur anno, immúnis invéntus a crímine, ad urbem suam redíre jussus est. Fuéruntque omnes anni Episcopátus ejus quadragínta septem; obiítque, et sepúltus est in basílica quam super sanctum Martínum ædificávit.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Commem. S. Brictii.

DIE XIV.

S. DIDACI, CONF.

(E die XIII.)

Semiduplex.

Omnia ut in Breviar., *p.* 470.

DIE XV.

COMM. S. EUGENII,

MART. PONT.

In I Vesperis et Laudibus tantum.

Oratio. Infirmitátem, *p.* XX.

DIE XVII.

COMM. S. ANIANI,

CONF. PONT.

Oratio, Exáudi, *p.* I.

LECTIO IX.

Anianus Præsul Aurelianénsis, Germáno et Lupo coætáneus, ipsísque nec zelo nec doctrína fuit inférior. Multa jam senex in Ecclésiæ suæ administratióne exímiæ non solum sanctitátis, sed étiam sapiéntiæ specímina déderat, cum Attila ad devastándas Gállias Rhenum trangréssus est. Nec multo post Aureliánis præcípue incúbuit hæc tempéstas, imo pótius ira indignatiónis Dei,

quam précibus suis differre decertábat Aniánus; ut pópulum ínterim ad pœniténtiam revocáret. Nec negléxit Arelátem usque, ad Aétium pérgere, ut festínum urbi periclitánti auxílium impetráret. Jam áderat Attila, totáque vi Aureliános impugnábat. Cumque inclúsi pópuli suo Pontífici, quid ágerent, acclamárent; ille fisus in Deo, monet omnes in oratiónem prostérni, et cum lácrymis præsens semper auxílium Dómini imploráre. Factum id íterum ac tértio, ardentióri semper desidério ac uberióri fletu; donec post tértiam oratiónem, de muro juxta senis impériumaspiciéntes, vidérunt a longe quasi nébulam de terra consúrgere. Quod ut renuntiavérunt, ait Epíscopus: Dómini auxílium est. Intérim expugnáta civitáte, ingréssi Hunnórum Próceres, ad eámdem diripiéndam sese accingébant, cum ecce Rómani Gothíque ex improvíso supervéniunt, imparatósque ex urbe expéllunt. Biénnio post, Aniánus plenus bonis opéribus obdormívit in Dómino, anno salútis quadringentésimo quinquagésimo tértio.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laudibus Commemorat. S. Aniani.

DIE XVIII.

COMM. S. MOMBOLI,

CONF. NON PONT.

Oratio, Intercéssio, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

Mombolus, qui et Mumbolénus, postquam a Latiniacénsi monastério cum pauci frátribus decéssit, in quemdam locum pagi Noviomensis, Gundarínum vocábulo, super flúvium Isaram venit. Is a beáto Elígio présbyter consecrátus, facultátem prædicándi per totam illam Diœcesim accépit. Apud Gundarínum mórtuus est décimo quarto Caléndas Decémbris, ibique sepúltus est. Corpus ejus póstea translátum fuit, ad cœnóbium Fontis Sancti Eligii prope Calníacum ad Isaram, ubi usque ad finem séculi décimi octávi honorífice asservátum, religióse colebátur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Momboli.

DIE XX.

COMMEM. S. AUTBOTI,

CONF. NON PONT.

Oratio, Deus qui, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

Autbotus, religióni amplificándæ studióse incúmbens, in Atrébatum fínibus, unde oriúndus créditur, Evangélium gentílibus annuntiávit, e quibus multos Christo lucrári méruit. Máximis illústris virtútibus, Láudunum se cóntulit, ut Vírgini Deiparæ labórum suórum fructus offérret in basílica ad ejus honórem nuper erécta, quæ fidélium úndique confluéntium frequéntia jam

célebris evâserat. Ibi ánimam Deo réddidit servus Dei, ante et post mortem miráculis clarus. Insignes sancti Confessóris Reliquiæ in Ecclésia Burgi Petrapóntis quiéscunt, ubi fidélium veneratióne frequentántur.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Autboti.

DIE XXIV.

COMMEM. S. GOBERTI,

CONF. NON PONT.

Oratio, Adésto, *p.* lxviij.

LECTIO IX.

GOBERTUS, nobilíssimis natálibus, mentis perspicácia, morum urbanitáte, et liberálium ártium sciéntia præclárus fuit. Locórum sanctórum ab infidélium tyránnide vindicandórum zelo accénsus, sacræ milítiæ nomen dedit, et Fredérico imperatóri cómitem se adjúnxit, tam religiósæ expeditiónis glóriam et prǽmium cum eo partitúrus. Bello cum Saracénis compósito, Gobértus loca sacra, ut vóverat, invísit, urbémque Jerosólymam, nudis pédibus ingréssus est. Voti compos factus, gravi crúrium infirmitáte corréptus est, qua ad últimum vitæ labórans, probatíssimæ patiéntiæ dedit indícia. Ad própria revérsus, et sǽculi curárum pertǽsus, in Villariénse cœnóbium Leodiénsis diœcesis sese recépit, pretiósam secum gemmam ǽfferens, illibátam tot inter opes, tot inter mundi illécebras castitátem. Tantæ pietátis erat, ut per noctes in vigíliis et oratióne constánter perseveráret. In páuperes effúsus, thesáurum invénit in cœlo, quo tandem plenus méritis ábiit, médio círciter sǽculo décimo tértio, miraculórum glória clarus. Sancti Gobérti patrocínio gloriátur una pagi Laudunénsis paróchia, nómine ejus insignita.

Te Deum laudámus, *p.* 15.

In Laud. Comm. S. Goberti.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

S. ELIGII, CONF. PONT.

Duplex majus.

Omnia de Communi Conf. Pont., p. xlix, *præter seq.*

ORATIO.

OMNIPOTENS Deus, qui Beátum Elígium antístitem nostrum pópulo tuo præésse, et quibus prǽerat verbo et exémplo prodésse voluísti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO.

Lect. de Communi Confess. Pont.

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

ELIGIUS, Lémovix, aurífaber indústrius, relicta pátria, in Fránciam se cóntulit : ubi

perítiæ suæ fama, Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte; et perácta gravi pœniténtia, de reconciliatióne sua divínitus cértior factus est, Ex eo témpore, in ópera pietátis omni stúdio incúbuit; nam étiam cum artem exercébat, subinde in sacros códices intendébat óculos, ita ut mens Deo vacáret, dum manus úsibus serviébant humánis. Quidquid vero arte sua comparábat, illud totum fovéndis egénis et captivis, rerum étiam sibi necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quærénti domum Elígii dicerétur : Ubi páuperum cœtum conspexéris, illic et Elígium repéries. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera canónicum cursum fidéliter adimplébant.

℟. Invéni David, *p.* lv.

LECTIO V.

CLOTARIO accéptus fúerat; non minus accéptus fuit et Dagobérto, a quo ad Aremoricórum regem, pacis componéndæ causa, missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Vária ejus hortátu et impénsis extrúcta sunt templa et monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus cœnóbium cóndidit; Parísiis monastérium vírginum, ad quarum córpora sepeliénda Ecclésiam sancti Pauli constrúxit. Instaurávit ibídem basílicam beáti Martiális, in quam cum sancti Episcopi relíquiæ deportaréntur, procéderentque juxta cárcerem, ex Elígii consílio, psalléntium chori, óstia obseráta vinctis cœlitus patuérunt. Plúrima divérsis tempóribus auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sanctórum, Germáni vidélicet, Severíni Agaunénsis, Martíni, Quintíni, Crispíni et Crispiniáni, Genovéfæ et aliórum; et mausolǽum imprímis mártyris Dionysii, miro artifício decorávit. De Ecclésiæ disciplína sollícitus, simoníacam labem quæ altas in Gállia radíces égerat, junctis cum Audoéno stúdiis, extirpávit; effécitque cum eo, ne quis deínceps epíscopus eligerétur, nisi qui integritáte morum céteris præfulgéret.

℟. Pósui adjutórium, *p.* lv.

LECTIO VI.

TOT in Ecclésiam merítis clarus, mórtuo Achário, diœcési Noviomensi præpósitus est. In eo órdine non modo salúti gregis sibi commíssi consúluit, sed et Flandros ac Frísios aliósque ad septentriónem pópulos, non sine magno labóre, et vitæ discrímine ad Christum addúxit. Novíomi extrúxit monastérium, ubi et congregatiónem magnam, et vitæ institutiónem districtam

índidit. Sed et ália multa monastéria, tum ejus ópere, cum a discípulis ejus constrúcta intra Gállias noscúntur. Sedit in concílio Cabilonénsi secúndo. Multa præclàre scripsit; ejécit dæmones, futúra prædixit; áliis miráculis illústris, Novióini óbiit septuagenárius. Ejus funus Regina Bathíldis, pede, nec sine lácrymis, cum líberis et tota família prosecúta est.

℟. Iste est qui, *p.* lvj.

IN III NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 24.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Elígii Epíscopi.

S. Aud. in ejus vita. Lib. 2, c. 15.

Consideráte, fratres, quia opórtet me sine cessatióne vestros ánimos ad treméndum Dei judícium, et ad desiderándum cœléste præmium excitáre, ut vobíscum páriter mérear in Angelórum consórtio, perpétua pace gaudére: ideóque rogo ut diem judícii semper pertimescátis, diem mortis suspéctum quotídie ante óculos habeátis. Consideráte quales éritis præsentándi conspéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis vicissitúdinem receptúri: si potuéritis in illo die illibátum reférre quod in baptísmo promisístis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo fecístis, atque abrenuntiáre vos diábolo et ómnibus opéribus ejus in ipso Baptísmi sacraménto promisístis.

℟. Amávit eum, *p.* lviij.

Lectio viii.

Ecce prædixi vobis simplíciter, ut intelligere possítis quæ sunt unicuíque ventúra. Nemo jam se de ignorántia excusáre póterit, quóniam vita et mors vobis prænuntiáta sunt. Jam vero in arbítrio vestro consístit elígere quod teneátis: unusquísque enim quod hic concupíverit et assecútus fúerit, hoc útique illic possidébit. Vitam ergo ætérnam toto nisu concupíscite: nec emendatiónem vestram diútius differátis, sed ad lucránda cœléstia regna ultro ipsi relínquite, quod in lucis istius fine perdéndum est. Surgat, jam quæso, quicúmque peccáti caténa astríctus tenétur; et expergefáctus a somno suæ mortis, evígilet: recúrrat ad confessiónem, et agat pœniténtiam.

℟. Sint lumbi, *p.* lviij.

Lectio ix.

Hæc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória refóveat: hæc nos præcépta frequénter sollícitent. Débitum vitæ finem jamjámque affutúrum putémus; vicínumque sperémus mortis diem, quem lon-

ginquum esse nescímus. Modo emendémus quod deliquimus, ne tunc pœnitére incipiámus, quando jam non valébimus. Erit quidem et in inférno pœniténtia, sed omnino infructuósa. Erit ibi pœniténtia dolórem habens, sed jam medicinam non habens : ibique nullátenus póterit a Deo promeréri quod petit, qui hic nolúerit audire quod Deus jussit.

Te Deum laudámus, *p.* 16.

In Laudib. fit Commem. Feriæ.

In II Vesp. Comm. sequentis (*in* Breviario, *p.* 408), *et Feriæ.*

OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

Dioecesis Tarbiensis


Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te
Electa ut sol
Pulchra ut luna
Sicut lilium inter
Stella maris
Porta cœli
Plantatio rosæ
Turris David cum propugn
Oliva speciosa
Exaltata cedrus
Virga Jesse floruit
sine macula
Puteus aquarum viventium
Fons hortorum
Hortus conclusus
Civitas Dei
Hortus conclusus, soror mea sponsa,
hortus conclusus, fons signatus.
(Cant. IV. 12)



OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

Dioecesis Tarbiensis.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

S. Saturnini,

Episcopi et Mart. Duplex.

Oratio.

DEUS, qui per beátum Saturnínum Mártyrem tuum atque Pontíficem infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti: da nobis ejus méritis et intercessióne, ut in fide stábiles ac in spe Evangélii quod praedicávit immóbiles permanére mereámur. Per Dóminum.

Commem. Feriae in Adventu, et alterius S. Saturnini, Mart. ut in Breviar. 675. *Ant. et* ℣℣. *variantur.*

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Surio, Greg. Tur., Ruin. et Cod. Mss.

SATURNINUS, ad disseminándam inter Gentes verbi Dei praedicatiónem ordinátus Epíscopus, in Galliárum regiónes a **sancto Fabiáno summo Pontífice missus est. Hoc in múnere cum álios sex Epíscopos collégas habéret, quos sibi itíneris sacríque labóris sócios adjúnxerat, áliis ália loca peténtibus, ipse Occitánae provínciae apostolátum suscépit, statímque apud Tolosátes fídei lucem asportáre aggréditur. Suscéptum iter péragens Saturnínus, ac pia circumquáque spargens salútis sémina, créditur civitátem adiísse Carcassonénsem. Urbem vero ingréssus, cum inánium deórum cultum impugnáre, Christíque fidem annuntiáre coepísset, in cárcerem conjéctus est; atque hac eádem turri aliquámdiu deténtus, juxta quam póstea, sensim crescénte quod pius Praesul jécerat fídei sémine, constrúcta est antiquíssima quae etiámnum exstat sub ejus invocatióne basílica.**

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

SEDATA illíus persecutiónis procélla, Tolósam pervénit, cujus quidem urbis Póntifex constitútus, anno consulátus Décii et Grati, multos ab idólis ad Christum convértit: nec intra agri Tolosáni fines sese

352

contínuit, quo incénsus erat, propagándae fídei zelus; Cónvenas usque pervénit sanctus Evangélii praeco, urbémque jure civitátis Románae, número, urbanitatéque incolárum tunc conspícuam, fere totam Christo subjugávit; duábus ab hac civitáte leucis prope Garúmnam, in honórem príncipis Apostolórum ecclésiam exstrúxit, quae multos post annos a bárbaris díruta, sub invocatióne sancti Gaudéntii reaedificáta est.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi.

AD sedem episcopálem revérsus, Christum palam praedicáre non déstitit, daemónibus qui ibi colebántur ádeo terríbilis, ut frustra sacrifíciis evocáti, orácula réddere cessáverint. Tam inexspectáto siléntio commóti Gentíles, ímpetu facto, Saturnínum in capitólium urbis traxérunt, duríssimam comminári mortem, nisi more pátrio diis sacra fáceret; quod cum renuísset, pedes ejus tauro alligavérunt, qui sanctum Praesulem per declíves gradus capitólii raptátum, collíso cápite, excússo cérebro, membrísque discérptis interémit. Exánime corpus, támdiu a tauro distráctum est, quoad rupto fune accéptum et lígneo immíssum féretro, mulíeres duae in alto scrobe condidérunt. Invéntum est póstea ab Hilário Tolosáno, qui effóssa circum humo, sacras véritus relíquias commovére, túmulum superimpósuit, et oratórium exstrúxit.

℟. Stola jucunditátis. xxx.

In iii. Nocturno, Homil. Quia Dóminus, ac Redémptor. xxxiv.

In Adventu nihil de Vigilia S. *Andreae, nisi in Missa. Extra Adv. Lectio ix. de ea et Comm. in Laud. ante Comm. simplicis.*

In Adv. fit Commem. Feriae, et simplicis in Laudibus.

Vesp. de S. Andrea, Apost. Commem. praeced. et Feriae in Adventu.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I. DECEMBRIS.

S. Pauli,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

DEUS, qui beátum Paulum Confessórem tuum atque Pontíficem cathólicae religiónis zelo dilatándae mirabíliter inflammásti: ejus méritis precibúsque concéde; ut quae tibi sunt plácita indesinénter quaerámus. Per Dóminum.

Fit Commem. Feriae in Adv. Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Actis ejus, Usuardo, Adone et Gallia Christiana.

PAULUS, Romae pro Christi fide multa passus, et dein Evangélii praedicándi causa in Gállias missus, iter ad províncíam Narbonénsem diréxit: in quibus Galliárum pártibus apostólicum munus exércens, propagándae religióni christiánae totus incúbuit, multósque ab idolórum cultu felíciter revocávit. Cum ad civitátem Bitterrénsem pervenísset, altáre Dómino consecrávit, primúsque ibi cáthedram episcopálem tenuísse tráditur.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

CONCILIATA sibi póstmodum per totam late regiónem exímiae virtútis fama, missam ad eum ferunt legatiónem a Narbonénsibus, Paulum ad suscipiéndam Christi fidem in Epíscopum postulántibus; quorum votis eo libéntius ánnuit, quod ex hac urbe, quae tunc témporis incolárum multitúdine advenarúmque frequéntia notíssima erat, in álias civitátes Christi Evangélium propagári commódius posse existimávit. Paulus, ordináto, ut fertur, in locum suum Bittérris Aphrodísio

Epíscopo, Narbónem se cóntulit, cujus advéntus memória quotánnis undécimo Kaléndas Aprílis peculiári devotióne Narbóne celebrátur. Ibi íllico parvum oratórium constrúxit.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

DEINDE salútis doctrína sensim convalescénte, ac crescénte in dies Christianórum número, trans pontem álteram ecclésiam, sub invocatióne beátae Maríae Vírginis, aedificári curávit. Demum, cum in summa sanctitátis laude vixísset Paulus, multis clarus miráculis, hinc inde acquisítis Ecclésiae pópulis, et fide summópere dilatáta, pacífico fine quiévit. Narbóne sepúltus est in ea ecclésia quam trans pontem constrúxerat : ubi sacrum ejus corpus religióse asservátum, váriis aegrotántium, qui sanitáti reddúntur, votis cólitur et honorátur.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Fit Commem. Feriae in Laudibus.

Vesp. a Capit. de S. Bibiana, Virg. et Mart. Commem. praecedentis et Feriae.

DIE IV. DECEMBRIS.

S. Barbarae,

Virginis et Mart. Duplex.

Oratio.

INTERCESSIO, quaesumus Dómine, beátae Bárbarae Vírginis et Mártyris tuae ab omni nos adversitáte prótegat, ut, per ejus intervéntum gloriosíssimum, sacratíssimi córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum, ante diem éxitus nostri, per veram poeniténtiam et puram confessiónem, percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Fit Commem. Feriae.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BARBARA, virgo Nicomediénsis, Dióscori nóbilis sed superstitiósi hóminis fília, per ea quae visibília facta sunt ad invisibília, divína opituláante grátia, fácile pervénit. Quaprópter soli Deo rebúsque divínis vacáre coepit. Eam pater útpote forma venustióri niténtem a quorúmque virórum occúrsu tutári cúpiens, turri inclúsit, ubi pia virgo, meditatiónibus et précibus addícta, soli Deo, quem ibi in sponsum delégerat, placére studébat. Obláta a patre plúries nobílium connúbia fórtiter sprevit. Pater vero per sui abséntiam fíliae ánimum posse facílius emollíri confídens, jussit primo bálneum éxstrui, ne quid ei deésset ad commoditátem, deínde péregre in éxteras regiónes proféctus est.

℟. Propter veritátem. xcvi.

Lectio v.

ABSENTE patre, jussit Bárbara duábus fenéstris quae in turri erant tértiam addi in honórem divínae Trinitátis, labrúmque bálnei sacrosánctae crucis signo muníri; quod ubi rédiens Dióscorus inspéxit, audíta novitátis causa, ádeo in fíliam excánduit ut strícto ense eam áppetens, parum abfúerit quin eam dire confóderet : sed praesto ádfuit Deus; nam fugiénti Bárbarae saxum ingens se patefáciens viam apéruit, per quam montis fastígium pétere, sicque in specu latére pótuit. Sed paulo post cum a nequíssimo genitóre repérta fuísset, ejus látera pédibus dorsúmque pugnis immániter percússit, et crínibus per loca áspera difficilésque vias raptam Marciáno praesidi puniéndam trádidit. ℟. Dilexísti. xcvii.

Lectio vi.

ITAQUE ab ipso ómnibus modis, sed incássum tentáta, nudam nervis caedi et inflícta vúlnera téstulis confri-

cári, deínde in cárcerem trahi praecépit, ubi imménsa luce circúmdata, ei Christus appárens miríficeconfortátam in passiónum toleránta confirmávit. Quod animadvértens Juliána matróna, ad fidem convérsa, ejúsdem palmae párticeps efféċta est. Bárbarae demum férreis úngulis membra laniántur, fácibus látera incendúntur et malléolis caput contúnditur : quibus in cruciátibus consórtem solabátur et hortabátur ut ad finem usque constánter certáret. Praecísis tandem utríque ubéribus, nudae per loca pública traċtae, cápite pleċtúntur ; filiaeque cervícem ipse scelestíssimus pater humanitátis expers, própriis mánibus amputávit; cujus fera crudélitas non diu inúlta remánsit ; nam statim eo ipso in loco fúlmine percúlsu intériit.

℟. Afferéntur. xcvii.

In iii. Noċt. Homil. Coelórum regnum. cxii. *cum* ℟℟. *de Virginibus.*

Et fit Comm. Feriae in Laudibus.

Vesp. a Capit. de seq., Comm. praeced., Feriae, ac S. Sabbae, Abbatis.

DIE XII. DECEMBRIS.

Pro S. Valeria,

Virgine et Martyre.

Leċtio ix.

VALERIA virgo, Aquitániae Protomártyr inter féminas vulgo crédita, illústre certámen, deséċta cervíce, sustínuit extra muros Lemovicínae civitátis, in qua Leocádio Galliárum senatóre nata, et per beátum Martiálem Epíscopum christiánae fídei documéntis imbúta dícitur. Ejus memória, post datam Ecclésiae pacem, multis per illam regiónem locis, honoríﬁce consecráta est. In ipsa urbe corpus Mártyris, in basílica sanċti Petri cónditum, usque ad Normannórum bella permánsit. Tunc vero máxima ex parte delátum est Combónium in convállibus, ubi coenóbium insígne in ejus honórem exstrúċtum est.

Et fit Commem. in Laudibus.

Oratio.

DEUS sanċtae puritátis amátor, qui beátae Valériae castum virginitátis propósitum infudísti : da nobis, quaesumus, sic ejus agónem gloriósum venerári, ut perpétuis ejúsdem mereámur fovéri praesídiis. Per Dóminum.

DIE XIX. DECEMBRIS.

S. Austindi,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

CONSUETAM misericórdiam tuam, Dómine, super nos cleménter osténde, ut qui beáti Austíndi Confessóris tui atque Pontíficis memóriam ágimus, vestígiis ejus inhaerére non desinámus. Per Dóminum.

Commem. Feriae in Vesperis et Laudibus.

Leċt. i. Noċt. de Script. occurr.

In secundo Noċturno.

Leċtio iv.

Ex Gall. Christ. et Monum. Eccl. Ausc.

AUSTINDUS Burdígalae natus, ex Abbáte monastérii sanċti Oriéntii, undécimo saeculo Archiepíscopus Auscitánus eléċtus est. Destrúċtam incéndio ecclésiam cathedrálem resarcívit. In locum monachórum quibus praefúerat, ut disciplína striċtior observarétur, Cluniacénses curávit introdúci. In fundo quem suis émerat súmptibus, fundávit ecclésiam Nugaroliénsem, quam sub invocatióne sanċti Nicolái, adstántibus Epíscopis et Abbátibus Novempopulániae, consecrávit. Eámdem ditávit Sanċtórum relíquiis, in eáque canonicórum instítuit collégium.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

INTERFUIT dedicatióni Ecclésiae Moissiacénsis, Ordinis Cluniacénsium. Concílio quod Socae in Hispánia, anno millésimo sexagésimo hábitum est, praefuit; cui interfuérunt Heraclíus Epíscopus Bigerrónum, Stéphanus Oleronénsis et Joánnes Lactorénsis. Ad morum reformatiónem concília indíxit, Nugaróli unum, álterum Auscis. In synodo, cui praeerat Cardinális Hugoálbus, asséruit libertátem monastérii sancti Oriéntii, cujus ántea fúerat Abbas. ℟. Pósui. lxiv.

Lectio vi.

TRES suae dioecésis cómites, qui vi apérta bona Ecclésiae rapúerant, patérnis reluctántes monitiónibus, excommunicatiónis poena cénsuit feriéndos; qua de causa exsuláre coáctus est : pace autem réddita, gregi restitútus, ad Dei glóriam et salútem próximi non déstitit se impéndere. Tot functus labóribus et spectáta conspícuus sanctitáte, quiévit in Dómino, die vigésima quinta Septémbris, anno millésimo sexagésimo octávo. Sepúltus est in ecclésia cathedráli, ubi cum summa veneratióne recólitur; ejúsque caput étiam nunc in theca servátur. ℟. Iste est. lxv.

In iii. Noct. Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

In Vesp. Commem. Adventus, Ant. O radix Jesse. 145.

DIE XXII. DECEMBRIS.

S. Vincentii,

Episcopi et Mart. Semiduplex.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Vincéntio Mártyre tuo atque Pontífice veram fidem, quam ipse annuntiáre non déstitit, corde sincéro et íntegris móribus nunquam sectári erubescámus. Per.

Et fit Commem. Advent. Ant. O Oriens. 146.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vet. Martyrol. S. Severi Vascon.

VINCENTIUS primus Aquénsium Antístes memorátur in véteri Martyrológio sancti Sevéri Vascóniae, ubi dícitur in Aquénsi civitáte cum laude Mártyri débita Kaléndis Septémbris celebrátus. Illi urbi, quae a Románis dicta est Aquae Augústae, totiúsque regiónis íncolis primus Christi fidem nuntiávit; quam glorióso confirmávit agóne. ℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

QUO autem saeculo passus sit et sedem episcopálem constitúerit, definíri non potest. Siléntium fastórum Aquénsium in re tanti moménti, non leve censétur máximae antiquitátis arguméntum, quod vetústa confírmat consuetúdo, juxta quam inter episcopátus províncíae Auscitánae, primum post Metrópolim locum Aquénsis óbtinet. Sepúltus est ubi deínceps aedificátum fuit monastérium nómine sancti Vincéntii de Aquis insignítum. Sub ejus patrocínio per Aquitániam plures Deo consecrátae sunt basílicae.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi. Triumphális. xxix.

℟. Stola jucunditátis. xxx.

In iii. Nocturno, Homilia. Si considerémus. xxxi.

In Vesp. Commem. Adventus, Ant. O Rex Géntium. 146.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

S. Stephani,

Protomartyris. Commemoratio omnium SS. Martyrum.

Haec Commem. fit immediate post illam de Octava Nativitatis.

In i. Vesperis, Ant. Isti sunt sancti quos elégit Dóminus in caritáte non ficta; dedit illis glóriam sempitérnam.

℣. Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Oratio.

DEUS, qui glorificáris in consílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostrae; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

In Laudibus, Ant. Sancti tui, Dómine, semper benedícant te, et glóriam regni tui dicant.

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. In sanctis ejus laudáte Deum.

In ii. Vesperis, Ant. Dico autem vobis amícis meis, ne terreámini ab his qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

Dici possunt etiam Ant. et ℣℣. de Communi cum Oratione ut in fine Brev. ccxlv. *vel sequenti.*

Oratio.

DEUS, qui nos concédis ómnium sanctórum Mártyrum tuórum commemoratiónem cólere, da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

FESTA JANUARII.

DIE IV. JANUARII.

Pro S. Fausta,

Virgine et Martyre.

Lectio ix.

Ex Hist. Benearn. L. 3. C. 2.

IN pago Fidentíaco Armeniacénsis comitátus, célebris est memória sanctae Faustae Vírginis et Mártyris, cujus relíquiae ibídem cum summo cultu per plures annos olim servátae sunt in basílica sub ejus invocatióne constrúcta, quam anno sexagésimo quarto supra octingentésimum destruxére Normánni. Cum autem Solemniacénse monastérium a sancto Elígio apud Lemóvices constrúctum, eódem anno ab iísdem bárbaris incénsum fuísset, Arnáldus Vascóniae dux, qui illíus restaurándi in eóque vestis monachális induéndae consílium céperat, Abbáti auctor fuit ut in Vascónia mónachum Aldárium mítteret, inde Mártyrum relíquias relatúrum, quibus reaedificándum monastérium ditarétur. Is váriis Vascóniae frustra lustrátis locis, tandem pervénit Fidentíacum, ad aedes sanctae Faustae, quas a bárbaris dírutas audíerat: remotísque de nocte quibus sanctae Mártyris corpus obstruebátur impediméntis, illud ínsciis íncolis sústulit, et in Solemniacénse monastérium exportávit. Sanctae Faustae Vírginis et Mártyris festum die quarta Januárii annuntiátur in Martyrológio universáli.

Fit Commem. in Laud. Oratio. Indulgéntiam. xcii.

DIE IV. FEBRUARII.

S. Joannae Valesiae,

Viduae. Duplex.

Ut in fine Breviarii. cclxxvi.

Vesp. a Capit. de S. Agatha; Commem. S. Joannae Valesiae.

DIE IX. FEBRUARII.

S. Apolloniae,

Virginis et Martyris. Duplex.

Oratio. Deus, qui inter. xcii.

Lect. i. Noct. de Script. occurr. In Quadrag. De virgínibus. xciv.

In ii. Nocturno, Lectio iv. Apollónia. *ut in Breviario* 751. ℟. Propter veritátem. *Lectio v. et vi. ut in Comm. i. loco.* xcvi.

In iii. Noct. Homil. Saepe vos, fratres. xcviii. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae occurr. de qua fit Commem. in Laudibus et Vesperis.*

DIE XI. FEBRUARII.

S. Genovefae,

Virginis. Duplex.

Ut in fine Breviarii. cclxxv.

Lect. i. Noct. extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae occurr. de qua fit Commem. in Laud. et Vesperis.

In Vesp. Commem. sequentis.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Galactorii,

Episcopi et Mart. Semiduplex.

Oratio. Infirmitátem. xxv.

Lect. i. Noct. de Script. occ.— *In Quadrag.* A Miléto. xxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Hist. Benearn. Petri de Marca, L. 1. et Gall. Christ.

GALACTORIUS concílio Agathénsi, cujus cánones in códicem univérsae Gallicánae Ecclésiae olim reláti sunt, intérfuit, eíque cum título Epíscopi de Beneárno, quae urbs mérito créditur esse Lascúrra, subscrípsit. Anno sequénti a Visigóthis Ariánis juxta locum Mimisáni captus, et ut cathólicam ejuráret fidem frustra exagitátus, immániter trucidátus est. Successóres ejus Praesules et univérsus pópulus Benearnénsis eum ut Mártyrem semper habuére.

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

HIS quotánnis, juxta vetus Ecclésiae Lascurrénsis Breviárium, celebrátur ejus memória, nempe die ipsíus depositiónis seu tránsitus, et die translatiónis ejúsdem reliquiárum a loco ubi passus est ad óppidum Lascurrénse. Ibi summa cum veneratióne sacra Mártyris ossa in ecclésia cathedráli asserváta sunt ad annum millésimum quingentésimū sexagésimum nonum, quo a milítibus cómitis Montisgomérici, novatórum ducis, combústa fuérunt, diréptaque est qua tegebántur theca. ℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi. Príncipes. xxxiii.

In iii. Noct. Homil. Si considerémus. xxxi. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae occurrentis de qua fit Commem. in Laudibus et Vesperis.*

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE XIII. FEBRUARII.

SS. Geruntii et Severi,

Martyrum. Semiduplex.

Oratio. Deus, qui nos concédis. xlviii.

Lect. i. Noct. de Script. occ. — *In Quadrag.* Fratres, Debitóres. l.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Hist. Benearn. Petri de Marca et Gallia Christ.

SEVERUS et Gerúntius, a Vándalis oriúndi, cum quibúsdam sóciis, juxta antíqua Vascóniae monuménta, missi sunt ut huic regióni Christi fidem praedicárent. A bárbaris qui, imperánte Honório, inítio quinti saeculi, máximas in illis pártibus clades intulérunt, trucidáti sunt in ódium fídei christiánae. Sánguinem fudérunt in território Adurénsi, in quo célebre exstat monastérium nómine sancti Sevéri insignítum, et sub ejus invocatióne antíquitus constrúctum; cui ádjacet cívitas quae ex celebritáte loci vidétur accrevísse, et caput Vascóniae nominátur. Ibi Sevérus ut Martyr et totíus regiónis vir apostólicus magna solemnitáte recólitur.

℟. Sancti tui. lii.

Lectio v.

IN Martyrológio ejúsdem abbátiae festívitas sancti Gerúntii Mártyris notátur quinto Idus Decémbris. Exstitit olim intra fines dioecésis monastérium célebre, sancti Gerúntii nómine cógnitum, cujus basílica multum exornáta, et

in sacra supelléctili dives, a Calvinístis exspoliáta fuit anno millésimo quingentésimo sexagésimo nono.

℟. Vérbera carníficum. lii.

Lectio vi. Nemo est. lvii.

℟. Tamquam aurum. liii.

In iii. Nocturno, Homil. Advérte ómnia. lvii. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Comm. in Laud. et Vesp.*

In Vesp. Commem. S. Valentini, Mart. 753.

DIE XIX. FEBRUARII.

S. Fulgentii,

Episcopi Conf. et Doct. Duplex.

Oratio. Deus, qui pópulo. lxi.

Lect. i. Noct. de Script. occ.— *In Quadrag.* Sapiéntiam. lxxi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Ferrando Diacono in ejus vita, et aliis multis.

FULGENTIUS, Leptae in província Bisacéna post médium quinti saeculi natus, lítteris graecis et latínis institútus est. Deínde in solitúdinem secéssit. Anno quingentésimo Romam pétiit, beatórum Apostolórum Petri et Pauli túmulum invisúrus. Theodórici regis aulae magnificéntia attónitus exclamávit : Si Roma terréstris ádeo spléndide fulget et corúscat, quanta erit Jerúsalem coeléstis, quam eléctis suis Deus pollicétur!

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

REDUX in Africam, monastérium construxit et Présbyter ordinátus est; demum ad episcopátum Ruspénsem fuit assúmptus. Trazimúndus, rex Ariánus, in Sardíniam hunc relegávit, quod Arianórum erróribus máximo zelo resísteret. Cum vero ex ejúsmodi exsílio revocátus est, summa veneratióne et laetítia a pópulo fuit excéptus.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

PLURES exímios édidit tractátus, quorum magna pars est supérstes. Augustínus sui saeculi cognominári méruit, propter stúdium quo Semipelagiános impugnávit. Obdormívit in Dómino anno vigésimo nono, vel, ut áliis vidétur, trigésimo tértio supra quingentésimum.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Osténdit Dóminus. lxxiii. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Commem. in Laud. et Vesperis.*

In Vesp. Commem. sequentis.

DIE XX. FEBRUARII.

S. Valerii,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

DEUS, qui per beáti Valérii Confessóris tui atque Pontíficis praedicatiónem, gentes dono fídei ditáre dignátus es : concéde propítius; ut qui Christiáni nominámur et sumus, promíssam huic nómini hereditátem felíciter consequámur. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurrente. — *In Quadrag.* Fidélis sermo. lxii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Greg. Tur., Gall. Christ., etc.

VALERIUM primum Epíscopum Conseranénsem fuisse tradit sanctus Gregórius Turonénsis in libro de Glória Confessórum; qui ibídem narrat vetus oratórium supra ejus túmulum fuisse constrúctum, quod cum témporum injúria corruísset, oblivióni datum est quo in loco sacrum ejus corpus quiésceret. Addit vero id miraculóse manifestátum fuisse Theodóro Epíscopo, qui in eódem loco magnam basílicam aedificávit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

INTER Praesules Gálliae qui subscripsérunt epístolae synódicae missae ad sanctum Leónem Papam, légitur Valérius Epíscopus; utrum autem fúerit Conseranórum Praesul, an alter ejúsdem nóminis Gabalórum Antístes, apud áliquos ambígitur. Hoc de Gabalitáno Epíscopo erudíti viri censent intelligéndum.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi. Ad sancti. lxiv.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Commem. in Laudibus et Vesperis.*

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. Bathildis,

Viduae. Duplex.

Oratio. Exáudi nos. cvi.

Lect. i. Noct. de Script. occurrente. — *In Quadrag.* Mulíerem fortem. cvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Auctore coaetaneo ejus vitae apud Bolland.

BATHILDIS in Anglia, Sáxonum génere orta, a praedónibus Ercunváldo majóri domus régiae véndita, ab eo ad porrigénda sibi pócula adhíbita est; ac demum mórtua cónjuge in uxórem expetíta. Quas illa ut vitáret núptias, látebras quaesívit; sed póstmodum ob exímias córporis et ánimi dotes, ad Clodovéi secúndi conjúgium insperáto pertráhitur. Tum páuperes et Ecclésias Clodovéo studióse commendávit; quod máxime gratum fuit príncipi.

℟. Propter veritátem. cx.

Lectio v.

MORTUO Clodovéo, trium filiórum, Clotárii, Childeríci, et Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam gessit, regnúmque ac palátium, consíliis Chrodobérti, Parisiénsis Epíscopi, et Audoéni Rothomagénsis, sapientíssime moderáta est. Multa praecláre sanxit. Simoníacas ordinatiónes abolévit, hortátu Sacerdótum; prohíbuit ne quis Christiános vénderet éxteris, aut álio vendéndos abdúceret; plures étiam a servitúte suis súmptibus redémit.

℟. Dilexísti justítiam. cx.

Lectio vi.

EFFECIT sancta illa regína, ut Pontíficum et Abbátum stúdio reguláris disciplína in complúribus monastériis, aut servarétur, aut restituerétur. Corbéiae ad Sumínam coenóbium exstrúxit; aliúdque Calae ad Matrónam, in quo, relícta Clotário jam adúlto regni administratióne, ipsa, suscépto religiónis hábitu, sub obediéntia Bertíllae Abbatíssae, ómnibus exémplo et admiratióni fuit; ibíque mórtua est aetátis suae anno quinquagésimo quinto.

℟. Fallax grátia. cx.

In iii. Noct. Homil. Coelórum regnum. cxii. —*In Quadrag. legitur Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Commem. in Laudibus et Vesperis.*

In Vesp. Commem. sequentis.

DIE XXVII. FEBRUARII.

S. Amandi,

Trajectensis Episcopi et Confess. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

DEUS, qui per beátum Amándum Pontíficem infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti : da nobis ejus intercessióne, in fide stábiles et in spe Evangélii quod praedicávit immóbiles permanére. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurrente.—In Quadrag. Fidélis sermo. lxii.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.
Ex vita ejus apud Bolland.

AMANDUS, in agro Nanneténsi natus, sacris lítteris a puerítia erudítus, secéssit in Ogiam ínsulam, nunc dioecésis Rupellénsis, unde Turónes petens, sancti Martíni sepúlcrum veneratúrus, tonsis capíllis, clero adscríptus est. Hinc Bitúrigum, deínde Romam pétiit. Unde revérsus in Gálliam, non ad certam dioecésim gubernándam, sed ad fidem géntibus nondum christiánis praedicándam, Tréviris ordinátus est Epíscopus. Primum Brabantínis, deínde Sclavis Evangélium annuntiávit. In exsílium pulsus a rege Dagobérto, ob reprehénsam vivéndi licéntiam, Vascónes Christo acquisívit, et iis qui Pyrenaeos montes íncolunt Evangélii lucem íntulit : sic disponénte Deo ut regis male inféńsi vindícta occásio fíeret fídei christiánae propagándae.
℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

MOX a rege revocátus Amándus, consentiénte Epíscopo Novioménsi, Gandávis praedicávit fidem; unde, promovénte Sigibérto, qui ab eo baptísmum suscéperat, ad Trajecténsem sedem assúmptus est, anno sexcentésimo quadragésimo nono. Ob depravátos cleri mores, quibus repriméndis impar sibi videbátur, de sede deserénda cógitans, scripsit ad sanctum Martínum Papam, qui, missis decrétis quae concílium Lateranénse contra Monothelítas nuper edíderat, eum ad perseverántiam hortátus est.
℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

ROMAM íterum proféctus, et liber a sede Trajecténsi dimíssus, várias, praedicándi causa, regiónes peragrávit. Multa in Gálliis monastéria constrúxit, quorum praecípuum est Elnonénse ad Scarpam, in quo dénique sénio conféctus, et clarus miráculis, ánimam Deo réddidit. Ipsum volunt quidam eúmdem esse ac Alánum, ecclésiae cathedrális Vaurénsis Patrónum, de quo équidem habétur história ab auctóre Aquitáno anónymo conscrípta, quae, mutáto nómine, éadem est ac ália inter has quae de sancto Amándo Trajecténsi Epíscopo tradúntur.
℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Commem. in Laudibus et Vesperis.*

FESTA MARTII.

DIE I. MARTII.

S. Leonis,

Episc. et Mart. Semiduplex.

Oratio.

DEUS, qui beáti Leónis Pontíficis et Mártyris tui praedicatióne, de infidelitátis ténebris pópulos in admirábile Evangélii lumen transtulísti : fac, ut ejus intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit.

Lect. i. Noct. de Script. occ. — *In Quadrag.* A Miléto. xxvi.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.
Ex Hensch. Hist. Bearn. P. de Marca.

LEO, Carentónii in Neustria inferióre nobílibus paréntibus natus, a patre primum in aulam Ludovíci Germánici, deínde Parísios missus est. Ibi in schola recens a Cárolo Magno fundáta, máximos in divínis et humánis lítteris progréssus hábuit. A Románo Pontífice Epíscopus consecrátus est, et ad Lapurdénses Navarraeósque pópulos diréctus, qui fidem apud illos exstínctam incursióne a bárbaris

géntibus váriis successíve tempóribus facta restauráret. In labóris apostólici partem fratres suos Philíppum et Gervásium sócios secum assúmpsit, quibúscum una longínquo dedit sese itíneri. In plagas sabulósas circa Burdígalam sitas venit, ibíque aliquántulum commorátus, fidem praedicáre, atque in tota passim regióne felíciter verbi sémina coepit disseмináre. Inde vero Lapúrdeam seu Baiónam se cóntulit, ubi perhumániter admíssus, plus quam septingéntos hómines intra paucos dies Christo subjécit. Doctrínam fídei per urbem spargi aegre feréntes sacerdótes ethnicórum, ipsum et sócios simul comprehénsos ad templum Martis vi trahunt, ut coram sacerdóte sacrificárent.

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

VETUS est Ecclésiae Baiónénsis tradítio, simulácrum quod prius in templo colebátur, fusis ad Deum précibus, súbito corruísse, non sine magno sacerdótum stupóre, qui tanto prodígio victi, statim prístinos erróres ejurárunt. Quin étiam subínde tota ferme cívitas solam quam praedicábat sanctus Praesul religiónem proféssa est, quo evéntu próspero accénsus, aedem sacram Deo vero jussit aedificári. Cum in tota ferme Lapurdénsi regióne fides jam invaluísset, in confínem Hispániam proféctus est, ut quam Baiónae firmátam relíquerat, ultérius fidem propagáret. Fundáta apud regiónis hujus pópulos fide, inde Baiónam revértens, in sceleratórum hóminum manus íncidit, qui, ob destrúctum Martis cultum, parátis insídiis, adventántem opperiebántur.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi.

HI, furóre corrépti, in sanctíssimum Praesulem inhumaníssime desaeviérunt, ipsúmque, caeso prius fratre Gervásio, innúmeris afféctum contuméliis, cápite truncavérunt. Martyrium consummávit Kaléndis Mártii, sub finem saeculi noni, atque ipso in loco quem sánguine cruentárat sepúltus est, extra portam civitátis meridionálem, quae exínde ejus nómine designátur. Ibídem in ejus honórem exstrúctum fuit sacéllum, quod cum anno millésimo quingentésimo quinquagésimo séptimo dírutum fuísset, relíquiae Mártyris in ecclésiam cathedrálem translátae sunt. Ibi asservántur in theca argéntea, non sine summa fidélium veneratióne et concúrsu, qui proféctam ex sacris cinéribus virtútem non semel expérti, vária inde curatiónum génera exportárunt.

℟. Stola jucunditátis. xxx.

In iii. Noct. Homilia. Si considerémus. xxxi. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Comm. in Laud. et Vesp.*

Vesp. de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE II. MARTII.

S. Cyrilli Alexandrini,

Episc. Conf. et Doct. Duplex.

m. t. v.

Oratio. Deus, qui pópulo. lxi.

Lect. i. Noct. de Script. occ. — *In Quadrag.* Sapiéntiam. lxxi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Actis Synod. Eph. et Oper. S. Cyrilli, ex Evagrio, Gennadio, et C. ex Tillemontio.

CYRILLUS, Theóphili Patriárchae Alexandríni soróris fílius, ingénio pérspicax et ánimo fortis, ab infántia sacris lítteris imbútus, cum esset doctrína et zelo cathólicae fídei insígnis, ad sedem Alexandrínam divíno nutu provéctus est. Episcopátum vix adéptus, Novatiános schismáticos Alexandría éxpulit, et deínde Judaeos, propter eórum advérsus Christiános injúrias et caedes.

Orésti ejúsdem urbis praeféĉto sibi valde inфénso, quod auĉtoritátem suam usurpátam ab eo créderet, non injúrias injúriis repéndit; sed eum, per Christi Evangélium obtéstans ut ódium omne depóneret, sibi conciliáre curávit. Sanĉtum Chrysóstomum, coáĉta synodo, sanĉtórum Episcopórum catálogo inséruit. Zelus ipsíus imprímis enítuit advérsus Nestórium, Patriárcham Constantinopolitánum, qui ímpio dógmate duas in Christo comminíscens persónas, divínam unam, humánam álteram, negávit exínde humanitátem Christi per divínam persónam subsístere, et sanĉtíssimae Vírgini Maríae dignitátem Dei Matris abrogávit. Huic se pravae doĉtrínae constánter Cyríllus oppónens, primum eum confutávit per epístolam quam, tácito Nestórii nómine, scripsit ad Solitários quos venéno suae haeréseos novátor infícere váriis modis moliebátur. Dedit quoque ad ipsum lítteras amíco stylo scriptas, ut eum a concépta senténtia dimovéret; quarum secúnda tam plenam et perspícuam cóntinet dógmatis cathólici expositiónem, ut solémniter a Pátribus Ephesínis fúerit approbáta, et Eutychiánae perínde ac Nestoriánae haerésibus periméndis idónea ab ómnibus concíliis et Pátribus semper judicáta fúerit.

℟. Invéni David. lxiv.

Leĉtio v.

COELESTINI summi Pontíficis auĉtoritáte et illíus vices gerens, concílio generáli Ephesíno anno quadringentésimo trigésimo primo praefuit, in quo haeresis Nestoriána pénitus proscrípta est. Quantis calúmniis et persecutiónibus hac ex causa Cyríllus per Nestórium et ejus ásseclas aut persónae fautóres impetítus fúerit, éxprimi non potest. Mirum quam sanĉte et generóse eas toleráverit. De sola fídei doĉtrína sollícitus, atrocióres injúrias et calúmnias nequíssimas, quas in eum excogitábant adversárii, nihil omníno fecit, dícere sólitus: In magnis Ecclésiae persecutiónibus debére pastóres ad eam tuéndam ómnia abjícere, sícuti nautae in magnis tempestátibus ad navim conservándam ómnia sua projíciunt. Ne schísmatis exstinĉtióni et unitátis restitutióni ulla in re obésset, cum Joánne Antiochéno, Theodoréto et áliis Orientálibus qui Nestório favébant, humaníssime egit, nec de offénsis, quas ab iis erat passus, unquam sibi satisfíeri postulávit.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Leĉtio vi.

AUCTOR fuit Cyríllus Pontífici Coelestíno, ut uníus Nestórii damnatióne conténtus, céteris qui ipsíus partes defénderant, dúmmodo ejúsdem proscriptióni consentírent, viam reconciliatiónis aperíret. Quod consílium secútus est Xistus tértius, qui Coelestíno ínterim mórtuo succésserat. Nullam de ipsis anathematísmis a se in Nestórium éditis, quos nondum Ecclésia solémniter approbáverat, mentiónem fíeri in concludénda cum Orientálibus pace consénsit. Professiónem fídei sibi a Joánne Antiochéno et áliis ipsi adhaeréntibus Epíscopis offérri subscribéndam non rénuit, et eam orthodóxam repértam libentíssime suam fecit. Dénique fide cathólica et concílii oecuménici auĉtoritáte in tuto pósitis, pacem sine cunĉtatióne inívit. Post imménsos labóres pro fide cathólica exantlátos, óbiit anno quadringentésimo quadragésimo quinto, episcopátus trigésimo secúndo.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Noĉturno, Homilia. Osténdit Dóminus. lxxiii. — *In Quadrag. Leĉtio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Commem. in Laudibus et Vesperis.*

In Vesp. Commem. sequentis.

DIE III. MARTII.

S. Alexandri,

Episc. et Mart. Semiduplex.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui beátum Alexándrum Mártyrem tuum atque Pontíficem in asseréndа inter cruciátus cathólica fide, invícta constántia roborásti: concéde quaesumus; ut ipsíus exémplo et intercessióne adjúti, eádem et nos firmitáte in evangélicae perfectiónis sémita progrediámur. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occ. — In Quadrag. A Miléto. xxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex libr. S. Hieronymi Presb. de Script. Ecclesiast.

ALEXANDER, Epíscopus Cappadóciae, cum desidério sanctórum locórum Hierosólymam pérgeret, et Narcíssus, Epíscopus ejúsdem urbis, jam senex régeret Ecclésiam, Narcísso et multis clericórum ejus revelátum est, áltera die mane intráre Epíscopum, qui adjútor sacerdotális cáthedrae esse debéret. Itaque re ita compléta ut praedícta fúerat, cunctis in Palaestína Epíscopis in unum congregátis, adniténte quoque ipso vel máxime Narcísso, Hierosolymitánae Ecclésiae cum eo gubernáculum suscépit.

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

HIC Epíscopus in fine cujúsdam epístolae quam scribit ad Antiníotas super pace Ecclésiae, ait: Salútat vos Narcíssus qui ante me hic ténuit episcopálem locum: et nunc mecum eúmdem oratiónibus regit, annos natus círciter centum séxdecim, et vos mecum precátur unum idémque sapiátis. Scripsit et áliam ad Antiochénses per Cleméntem Presbyterum Alexandrínum, necnon ad Orígenem et pro Orígene contra Demétrium, eo quod juxta testimónium Demétrii eum Presbyterum constitúerit. Sed et áliae ejus ad divérsos ferúntur epístolae.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi.

SEPTIMA persecutióne sub Décio, quo témpore Bábylas Antiochíae passus est, ductus Caesaréam, et clausus in cárcere ob confessiónem Christi, martyrio coronátur. Hunc Alexándrum esse qui in Cánone Missae post Ignátium Mártyrem Antiochénum invocátur, tam ipse invocatiónis ordo quam passiónis celébritas, et certa fides, quae nulli álii hujus nóminis cómpetit, sufficiénter osténdunt.

℟. Stola jucunditátis. xxx.

In iii. Noct. Homil. Si considerémus. xxxi. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homil. Feriae, de qua fit Commem. in Laud. et Vesp.*

Vesp. a Capit. de S. Casimiro, Conf.; Commem. praecedentis et S. Lucii, Papae et Martyris.

DIE V. MARTII.

S. Luperculi,

Episc. et Mart. Semiduplex.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui beáto Lupérculo dignam Mártyre atque Pontífice fidem et fortitúdinem tribuísti: fac nos, ejus méritis, vitae frágilis amórem abjícere, et ad te, qui solus vera vita es, perveníre. Per Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriae.

Lect. i. Noct. de Script. occ. — In Quadrag. A Miléto. xxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gall. Christ.

LUPERCULUS, seu Lupércus, in vitis Mártyrum Aquitanórum a véteri atque elegánti auctóre conscríptis, quas Joséphus

Scáliger vidit et laudat, dícitur Elúsae sub Décio Augústo martyrium passus. Eum Patrónum hábuit Ecclésia Elusána, olim totíus provínciae Metrópolis, et inter primos ejúsdem Ecclésiae Epíscopos numerándus censétur. Quidam tamen docti exístimant ipsum non esse distinguéndum a Lupérco, Mártyre Caesar-Augustáno, quem cum áliis septem et octo Prudéntius in libro de Corónis Mártyrum commémorat. Exstábat saeculo undécimo Abbátia quae nómine sancti Lupérculi Helisánae civitátis designabátur.

℟. Honéstum. xxix.

Lect. v. et vi. ut in Comm. xxix.

In iii. Noct. Homil. Si considerémus. xxxi. — *In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, de qua fit Comm. in Laud. et Vesp.*

DIE XI. MARTII.

S. Caerasii,

Episc. et Conf. Semidupl. m. t. v.

Oratio. Exáudi. lx. *Commem. Feriae.*

Lectiones i. Nocturni. Fidélis sermo. lxii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gall. Christ. et Monum. Eccl. Ausc.

CAERASIUS, seu Caerátius, in véteri índice Episcopórum Elusanórum ante annos quingéntos exaráto primus pónitur Epíscopus Elúsae, quae fuit olim totíus Novempopulániae Metrópolis. Eum tamen hujúsce urbis Epíscopis esse annumerándum non plane compértum est. In vetustíssimo Martyrológio quod nómine sancti Hierónymi inscríbitur, ad diem octávam Idus Júnii méntio fit sancti Caerátii Epíscopi Gratianopolitáni, quem a Caerásio nostro forte non distinguéndum Sammartháni suspicántur.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

CONSTANS apud Auscitános aliósque Novempopulániae pópulos viget tradítio, beátum Caerásium fuísse unum e primis in ea província fídei christiánae praecónibus, eumdémque post innúmeros hómines ab idololatríae ténebris ad veram religiónem addúctos in ea secessísse dioecésis Ausciénsis némora, quae pago Simmorritáno vicinióra sunt, ut rerum divinárum contemplatióni vacáret libérius. Ejus relíquiae in ecclésia abbatiáli Simmórrae religióse asservántur, capsa argéntea inclúsae.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi. Ad sancti. lxiv.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Noct., Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi. *Lectio ix. de Homilia Feriae occurr., de qua fit Commem. in Laudibus.*

Vesperae de S. Gregorio, Pont. Conf. et Doct., Commem. praeced. et Feriae.

DIE XIII. MARTII.

S. Cyrilli,

Episcopi Hierosolymitani, Conf. Doct. Duplex. m. t. v.

Oratio. Deus qui pópulo. lxi.

Commemoratio Feriae.

Lect. i. Noct. Sapiéntiam. lxxi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Hieron. Ruf., Epiph., Joann. Damasc., etc.

CYRILLUS Hierosolymitánus, a téneris annis divinárum Scripturárum stúdio addictíssimus, ádeo in eárum sciéntia profécit, ut orthodóxae fídei assértor constantíssimus eváserit. A sancto Máximo, hujus urbis Epíscopo, Présbyter ordinátus, munus verbi divíni fidélibus praedicándi, et catechúmenos edocéndi, summa cum laude implévit, donec defúncto sancto Máximo, in ejus locum suffectus est.

Ejus episcopátus inítia insígni miráculo Deus illustráre dignátus est. Sacro enim die Pentecóstes, ut ipse scribit ad imperatórem Constántium, in coelo appáruit, circa horam nonam matutínam, crux splendidíssima, quae a Calvário monte ad montem Gólgothae bráchia proténdens et rádios soláres fulgóre súperans, per plures horas ómnium óculis spectábilis permánsit. Quo prodígio non solum Christiáni in fide confirmáti sunt, sed étiam multi Judaei atque Gentíles ádvenae ad Christum convérsi.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

INTERIM Ariáni adverténtes Cyríllum veheménter haerésibus obsístere, ipsum calúmniis ímpetunt, et in conciliábulo depósitum e sua sede detúrbant. Quorum furóri ut se subtráheret, Tharsum Cilíciae aufúgit; et quamvis a concílio Seleucíae hábito restitútus, Hierosólymam régredi non pótuit quámdiu vixit Constántius. Verum cum Juliánus império potítus, omnes Epíscopos in exsílium a Constántio missos ad suas sedes régredi permisísset, Cyríllus íllico Hierosólymam revérsus, novo cum zelo gregi suo ab erróribus ad fidem et a vítiis ad pietátem revocándo incúbuit. In hoc multum adjútus est novo miráculo, cujus testis et quodam modo prophéta fuit. Tunc scílicet Judaei ex ómnibus terrae pártibus a Juliáno invitáti, Hierosólymam confluxérunt ad restaurándum templum sub Tito dírutum. Jamque ómnia ad reaedificatiónem colléćta et paráta erant, cum treméntibus et in fide vacillántibus Christiánis : Bono ánimo estóte, ait sanctus Praesul; oráculum Christi certo adimplébitur. Et quidem sequénti nocte ingens terrae motus praegrándes lápides fundamentáles véteris structúrae evúlsit, eósque una cum contíguis aedifíciis longe latéque dispérsit. Insuper ignis e coelo delápsus, et flammárum globi e terra erumpéntes, cuncta artíficum instruménta multósque artífices absumpsérunt; et plúrimi ex illis quibus flamma pepércit Christo nomen dedérunt.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

JULIANO paulo post apud Persas occíso, et Joviáno praematúra morte exstíncto, succéssit Valens, sub quo íterum exsuláre coáctus fuit Cyríllus. Verum réddita Ecclésiae pace per Theodósium Magnum, Arianórum crudélitas et audácia représsa est. Moxque pius ille imperátor Cyríllum tamquam fortíssimum Christi athlétam honorífice suscépit, suaeque sedi restítuit. Exin, ut scribit sanctus Hierónymus, ad extrémum octo annis inconcússum episcopátum ténuit, nihil omíttens, ut in Ecclésia sibi commíssa pacem et unitátem restitúeret. Intérfuit concílio Constantinopolitáno oecuménico secúndo, in quo Semiariáni damnáti sunt; ac tandem ad repósitam sibi glóriae corónam in coelum evolávit, annos natus septuagínta, praecláram in terris sui memóriam et factis et scriptis relínquens.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Osténdit Dóminus. lxxiii.

Lectio ix. de Homilia Feriae, cujus fit Commemoratio in Laudibus.

In Vesp. Commem. sequentis, et Feriae.

DIE XIV. MARTII.

S. Mariae Ægyptiae,

Poenitentis. Semiduplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. praeter sequentia.

Oratio.

LARGIRE nobis, misérícors Deus, ut beáta María Ægyptia, quae te super ómnia diligéndo, suórum

accépit véniam delictórum, poeniténtiae salutáris donum nobis obtíneat. Per Dóminum.

Commemoratio Feriae.

Lect. i. Noct. Mulíerem. cvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita ejus apud Bolland.

MARIA Ægyptia duodecénnis, témpore Justíni imperatóris, relíctis paréntibus, Alexandríam venit; fuítque per annos septémdecim in ea civitáte peccátrix. Cum autem Hierosólymam proféćta, Calváriae templum in festo Exaltatiónis sanctae crucis íngredi tentásset, ter divínitus repúlsa, in átrio coram imágine Deíparae Vírginis vovit poeniténtiam, si licéret sibi vivíficum crucis lignum vidére et adoráre. Moxque templum ingréssa, vidit et adorávit. Inde sumpto trium panum viático, perceptáque Eucharístia in oratório sancti Joánnis, ad ripam Jordánis ultra flumen in vastíssimam solitúdinem secéssit. ℟. Veni, elécta mea. cx.

Lectio v.

UBI, consúmpto viático, detritísque véstibus, ignóta permánsit annis quadragínta septem, donec ad torréntem quemdam occúrrit ei Zózimas Présbyter, a quo obtínuit ut véspere in Coena Dómini in advérsam Jordánis ripam afférret sibi corpus et sánguinem Dómini, quorum participatióne tot annos carúerat. Condícto die accéssit ad eúmdem locum Zózimas, quo et María pervénit: recitatóque symbolo et oratióne Domínica, ut moris erat, accépto étiam pacis ósculo, divína dona suscépit; rursúmque precáta est Zózimam, ut anno recurrénte, ad eúmdem torréntem veníret.

℟. Diffúsa est. cx.

Lectio vi.

CUM ad dictum locum accéssit Zózimas, conspéxit corpus Maríae jacens in terra, in qua scripta haec legit: Sépeli, Abba Zózima, míserae Maríae corpúsculum, redde terrae quod suum est, et púlveri ádjice púlverem, orans Deum pro me, quae mórior nocte salutíferae passiónis, post divínae et sacrae coenae communiónem. Pio voto obtémperans Zózimas, corpus beátum in ipso loco terrae mandávit. Hic póstea vitam ejus scripsit, per quam memóriae ejus venerátio per Oriéntem et Occidéntem propagáta est.

℟. Fallax grátia. cx.

In iii. Nocturno, Homil. Coelórum regnum. cxii.

Lectio ix. de Homilia Feriae, cujus fit Commem. in Laudibus.

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praeced. et Feriae.

DIE XV. MARTII.

S. Eutropii,

Episcopi et Martyris. Semid.

Oratio. Infirmitátem. xxv.

Commemoratio Feriae.

Lect. i. Noct. A Miléto. xxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EUTROPIUS Epíscopus, in Gállias ad praedicándam fidem missus, post adimplétum rite munus, apud Sántonas, illíso ab incrédulis cápite, Martyr occúbuit; et ob instántem persecutiónem, loco minus digno sepúltus est. Cumque témporum lapsu nulla nisi nóminis ejus et sanctitátis superésset memória, a fidélibus ut Sanctus tantum, non ut Martyr, habebátur; donec eum pro Christo sánguinem fudísse fuit revelátum.

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

PALLADIUS, Santonénsis Epíscopus, qui concílio Parisiénsi quarto, et Matisconénsi secúndo intérfuit, in ejus honórem circa annum Dómini sexcentésimum basílicam exstrúxit; ad quam convocátis Abbátibus, dum e túmulo sacras

Eutrópii relíquias honorificéntius collocándas transférret, duo ex illis Abbátibus, amóto opertório, conspexérunt ictu secúris illísum caput. Quibus étiam nocte sequénti idem Sanctus appáruit, dicens : Scitóte me per eam cicatrícem quam vidístis in cápite, martyrium consummásse.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi. Triumphális. xxix.

℟. Stola jucunditátis.

In iii. Nocturno, Homilia. Si considerémus. xxxi.

Lectio ix. de Homilia Feriae, cujus fit Commemoratio in Laudibus.

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praeced. et Feriae.

DIE XVI. MARTII.

S. Orientii,

Episcopi et Confessoris. Semid.

Oratio. m. t. v.

DEUS, qui beátum Oriéntium Ecclésiae tuae Pontíficem elígere dignátus es, ut créditas sibi oves quas verbo pascébat informáret exémplo: concéde propítius ; ut ejus patrocínio te praemium assequámur aetérnum. Per Dóminum.

Commem. Feriae.

Lectiones i. Nocturni. Fidélis sermo. lxii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita ejus apud Bolland. et Labb., et ex Gallia Christiana.

ORIENTIUS, in Hispánia natus, nescíri et latére cúpidus, ut quam sibi virtútum splendóre famam comparáverat tútius declináret, tránsiit in Novempopulániam, ubi in valle pagi Bigorritáni, quae dícitur Caprária, sese ábdidit. Mórtuo autem Ursiniáno, Epíscopo Ausciénsi, divíno mónitu ipsi suffécitus est. Plúrimos ab idolórum cultu ad Christi fidem addúxit. Multos étiam quos ímpius Arii error decéperat Ecclésiae restítuit. Cum áliis Epíscopis cathólico dógmati addíctis, legatiónem ad Ætium Románum ducem suscépit, ut inter eum et Theodorícum, Visigothórum regem, tunc Aquitániae imperántem, pax sancirétur.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

ORIENTIUS ad coelum migrávit Aúsciis, ubi ejus sanctitátis fama ádeo cláruit, ut inter civitátis Patrónos recolátur. Super sancti Praesulis túmulum ecclésia erécta fuit cum coenóbio, quod mónachis Cluniacénsibus tráditum est incoléndum. Ibi ejus relíquiae summa reveréntia diu hábitae sunt ; donec circa finem saeculi décimi octávi, cum ímpie in sacra furerétur, e mánibus nefariórum partim eréptae sunt et occultátae. Deínde, plúribus elápsis annis, in ecclésia parochiáli sub ejúsdem patrocínio aedificáta honorífice repósitae sunt, comprobáta quo pótuit jure et inquisitióne eárum veritáte. Pars eárum anno quinquagésimo quarto supra millésimum trecentésimum urbi Tolosánae concéssa fúerat, ut religióse servarétur in ecclésia sancti Pontíficis nómine insigníta.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

DE Oriéntio mentiónem facit Usuárdus. Ex véteri instruménto ecclésiae Ausciénsis, quod anno millésimo centésimo octávo conféctum est, beátus Oriéntius óbiit anno trecentésimo sexagésimo quarto annis in episcopátu quadragínta et uno explétis.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Lectio ix. de Homilia Feriae, cujus fit Commemoratio in Laudibus.

Vesp. a Capit. de S. Patritio, Episcopo et Confess., Commemor. praeced. et Feriae.

DIE XXII. MARTII.

S. Rictrudis,

Viduae. Semiduplex.

Oratio.

DEUS, qui beátam Rictrúdem ádeo sublímibus grátiae donis cumulásti, ut ad evangélicae perfectiónis sémitam sponsum páriter ac líberos addúceret : concéde quaesumus; ut tantae virtútis mémores, ejus exémpla sectári nunquam erubescámus. Per Dóminum.

Commemoratio Feriae.

Lect. i. Noct. Mulíerem. cvii. *Extra Quadrag. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Marca Hist. Ben. Mabill. 2. saec. Bolland.

RICTRUDIS, ex illustrióribus Aquitániae procéribus apud Vascónes anno sexcentésimo décimo quarto nata, a sancto Amándo, Epíscopo Trajecténsi, qui tunc his in locis exsulábat, documéntis religiónis christiánae est imbúta, quibus ita profécit, ut géneris claritáte minus deínceps florúerit quam splendóre virtútum. Adabáldo viro potentíssimo, qui Clotário regi Francórum addíctus erat, nupsit. Fílium péperit qui factus Dagobérto a secrétis, deínde Abbas Marcianénsis, Sanctórum albo adscríptus est, et tres fílias quae Deo se vírgines consecrárunt, et cultu público apud Flandros celebrántur.

℟. Propter veritátem. xcvi.

Lectio v.

RICTRUDIS, mórtuo Adabáldo, qui inter Sanctos numerátur, oblátas sibi a Clodovaeo secúndo núptias réspuit, et depósito saeculári induménto, id procuránte sancto Amándo, qui ab exsílio revérsus, suis eam adjúvit consíliis, Marciános se recépit intra límites dioecésis Atrebaténsis, ubi regulárem vitam proféssa in monastério a se constrúcto, regéndis moniálibus, quas inter fílias suas admíserat, réliquum vitae totum fere impéndit, vigíliis, jejúnio, et oratióni constantíssime addícta : munus dimísit ante mortem, ut sub régulis observántiae vitam finíret. Migrávit ad coelum anno sexcentésimo octogésimo octávo. In theca argéntea et deauráta, summa cum veneratióne, Marciánis ejus relíquiae servántur.

℟. Dilexísti. cx.

Lectio vi. Agrum hunc. *de Communi.* cx.

℟. Fallax grátia. cx.

In iii. Nocturno, Homilia. Coelórum regnum. cxii.

Lectio ix. de Homilia Feriae cujus fit Commem. in Laudibus.

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praeced. et Feriae.

DIE XXIII. MARTII.

S. Pachomii,

Abbatis. Semiduplex.

Oratio. Intercéssio. lxxvi.

Commem. Feriae.

In Quadrages. Lect. i. Noct. Justus si morte. lxxviii. *Alias de Scriptura occurrente.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita ejus per Tab. Monach. apud Bollandum.

PACHOMIUS, in Thebáide natus, paréntes idolólatras hábuit. Christianórum erga mílites benéfica caritáte motus, Christi fidem et baptísmum suscépit, et Palaemonis disciplínae se trádidit, ut cum eo vitam anachoréticam ágeret. Morabántur simul, texébant cilícia, et laborábant mánibus suis : vigíliis et contínuis fere jejúniis corpus affligébant. ℟. Honéstum. lxxx.

Lectio v.

PACHOMIUS legéndis Scriptúris assíduus, eas memóriter dídicit. In vico Tabenénsi habitatóribus vácuo, monastérium cóndidit, regulámque ab Angelo accépit, ad quam

discípulos institúeret. Per quíndecim annos stans, et in dorsum quidem paríeti reclínans, somnum cepit. Octo monastéria mónachis úndique ad illum occurréntibus aedificávit, praecípiens eis ut habérent moderátum cibum, vilíssimam vestem, somnum étiam competéntem. Validióribus validióra ópera, infirmióribus levióra imponébat.

℟. Amávit. lxxx.

Lectio vi.

PACHOMIUS in solemnitátibus ex vicínis locis Presbyteros advocábat, qui sacra perágerent, et discípulis sibíque corpus et sánguinem Christi Dómini ministrárent. Nullum enim inter mónachos qui clericátus offício fungerétur admittébat. Constrúxit étiam monastérium in quo vírgines Deo dicátae mónachos aemulabántur, praevia et imperánte ipsíus soróre. Pachómius tandem labóribus et áspero vivéndi génere conféctus, ánimam Deo réddidit circa annum Christi trecentésimum quadragésimum octávum.

℟. Iste homo. lxxx.

In iii. Nocturno, Homil. Grandis fidúcia. lxxxvii.

Lectio ix. de Feria, cujus fit Commem. in Laudibus.

Vesp. de sequenti, Commem. praeced. et Feriae.

DIE XXIV. MARTII.

S. Epiphanii,

Episcopi, Confess. et Doctoris. Duplex. m. t. v.

Oratio. Deus, qui pópulo. lxi.

In Quadr. Lect. i. Noct. Sapiéntiam. lxxi. *Alias de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Sozom. lib. 61, *cap.* 32 *et S. Hieron. Ep.* 62, *c.* 4.

EPIPHANIUS, in território Eleutheropolitáno in Palaestína ortus, ab ineúnte adolescéntia a praestantíssimis mónachis institútus est. Apud Ægyptios, Palaestínos et Cyprios, et mónachus et monachórum pater flóruit. A Cypriis eléctus est, ut Salamínae (quae tunc Constántia vocabátur), totíus ínsulae Metrópolis, onus episcopále suscíperet. Qua ex re per univérsum orbem máximam nóminis celebritátem adéptus est.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

EPIPHANIUS ex antiquórum lectióne eruditiónem, ex pietáte zelum hábuit, quem facílius exercébat, si quos veritáte repugnáre, vel nóverat vel suspicabátur; ita ut nec magno Chrysóstomo párceret, Theóphili calúmniis decéptus; sed si qua in his, ut homo peccávit, ardens haec opéruit cáritas. Ita fuit liberális in egénos, ut facultátibus absúmptis, ubi opus esse videbátur, Ecclésiae bona impéndere non recusáret.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

EPIPHANIUS insígni vitae conversatióne, atque étiam miráculis cláruit adhuc supérstes. Fuit illi cum Athanásio, Basilío, Dámaso, Hilarióne familiáritas; cum Hierónymo summa conjúnctio, cujus Pauliánum fratrem Presbyterum ordinávit, et hábuit. Mórtuus est, Arcádio príncipe, anno quadringentésimo tértio. ℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Osténdit Dóminus. lxxiii.

In Quadr. Lectio ix. de Homil. Feriae, cujus fit Comm. in Laud.

Vesp. de Annunt. B. M. V., Commem. praeced. et Feriae.

DIE XXVIII. MARTII.

S. Justini,

Episc. et Confess. Duplex. m. t. v.

Oratio.

IMMENSAM cleméntiam tuam, Dómine, humíliter implorámus, ut evangélicam fidem quam beátus Justínus

Conféssor et Póntifex tuus pópulis praedicávit, nos quoque, eo intercedénte, corde sincéro custodíre, atque opéribus comprobáre valeámus. Per Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriae.

Lect. i. Noct. Fidélis servus. lxii.

Alias de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gallia Christ.

QUIS christiánae fídei lumen prior Bigerrónibus attúlerit, et Tarbiénsis Ecclésiae fundaménta jécerit, ignorátur. De Justíno in véteri Martyrológio quod sancti Hierónymi nomen praefert, haec legúntur ad Kaléndas Máii : Depositio sancti Justíni, Epíscopi magni, in Bigórra civitáte. Hinc collígere est eum ante annum quater centésimum vigésimum, atque ipso forte saeculo quarto vel tértio fuísse Epíscopum Bigorritánum ; quandóquidem huic Martyrológio constat nullum inscríbi Sanctum qui non súperet aut saltem aequet sancti Hierónymi aetátem. Nam qui divérso charactére in fine habéntur, fuérunt ádditi. Justínus ibi nuncupátur Epíscopus magnus, quod forte idem est ac primus.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

MENTIONEM sancti Justíni Bigorritáni facit sanctus Gregórius Turonénsis in libro de glória Confessórum. Eum vero Presbyterum dicit, non Epíscopum; sed Martyrológii laudáti pótior est auctóritas, et illi útpote longe antiquióri magis credéndum. Scribit idem Gregórius Turonénsis, sancti Justíni córpore ditátum esse vicum Sexciacénsem, intra términum Beorretánae urbis. Obsérvat Ruinárdus, non procul ab ecclésia parochiáli Sexciaci háctenus vidéri in édito monte vetus oratórium pene destrúctum, cum duábus céllulis, sub nómine sancti Justíni Deo sacrum ; ubi cónjicit corpus ejus olim quievísse. Locus sex leucis a Tarba civitáte distat.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi. Ad sancti. *ut in Communi.* lxiv.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, cujus fit Commem. in Laudibus et Vesperis.

FESTA APRILIS.

DIE XVI. APRILIS.

S. Mamerti,

Episc. et Confess. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

CLAMANTES ad te, Dómine, dignánter exáudi : ut sicut ad preces beáti Pontíficis tui Mamérti pópulo in afflictióne pósito pepercísti, ita et nobis ejus intercessióne in omni tribulatióne succúrras. Per Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriae.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In Quadrag. Fidélis sermo. lxii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Sid. Apoll., Avito, Greg. Tur.

MAMERTUS, Hilárii Papae tempóribus circa annum quadringentésimum sexagésimum secúndum Viennénsis Epíscopus, ipsa resurrectiónis Domínicae vigília, deflagránte regális palátii arce, cum cives facultátibus suis domibúsque metuéntes ex ecclésia discessíssent, ipse solus in ea remánsit, et lácrymis et oratiónibus incéndium exstínguere méruit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

SED jam ántea fere per anni spátium frequéntes terrae motus plures ejúsdem civitátis domos et basílicas concússerant ; insóliti quoque sónitus noctúrni, et lupi,

ursi et cervi per urbem oberrántes, exitiále quiddam ac ferále minabántur. Quae flagélla ut avérteret, eádem nocte, cívibus post exstínctum incéndium ad ecclésiam revérsis, ánimo concépit institúere Litánias usitátis sanctióres. Has póstea indíxit tríduo ante Ascensiónem celebrándas in jejúniis, compunctióne cordis et eleemósynis, ad quas univérsis fidélibus concurréntibus, coórta cessávit calámitas. Eas supplicatiónes mox tota Gállia praescríptas et observátas, Roma ipsa Leónis tértii auctoritáte ampléxa est.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi. Ad sancti. *ut in Communi.* lxiv.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriae, cujus fit Commem. in Laudibus.

In Vesp. Commem. Feriae in Quadrag., et S. Aniceti, Papae et Martyris.

DIE XX. APRILIS.

S. Germani,

Episc. et Confess. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

DEUS, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis solemnitáte consecrásti : da Ecclésiae tuae in ipsíus festo exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum nostrum.

Lect. i. Noct. de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Venant. Fortunat. Pict. Episc. Saec. I. *Bened.*

GERMANUS, Ecclésiae Gallicánae saeculo sexto decus, apud Héduos honéstis paréntibus natus, a sancto Scopilióne propínquo suo educátus, puer cum illo ad matútinas preces ecclésiam, mille passus pene distántem, quacúmque áeris intempérie, quotídie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, nec multo post monastérii sancti Symphoriáni Augustodinénsis Abbas factus, noctem pene totam solus in ecclésia oratióni et rerum coeléstium contemplatióni insumébat. Jam miráculis clarére incípiens, Eusébio Parisiórum Epíscopo suffféctus est, nihílque de vitae austeritáte quam in monastério égerat remísit. Hora noctis tértia in ecclésiam véniens, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis : lectiónes sacras ad mensam adhibébat; et dum iter ágeret, cursum canónicum, nudo cápite, étiam inter equitándum persolvébat.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

IRA ejus in páuperes, máxime vero in servos et captívos rediméndos, beneficéntia fuit : quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex regis aerário, necnon ex régia supelléctili, ad pias largitiónes ingéntes ei pecúnias subministráret. Cum autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas in pago Mellodunénsi incidísset, réddita sibi a Germáno per mánuum impositiónem sanitáte, villam ipsam donávit beátae Maríae, quae tunc Ecclésiae Parisiénsis Patróna erat. Accersítus a Clotário, Childebérti successóre, qui, quod eum contémpserat, a Deo fúerat percússus, illum pállii sui attáctu sanávit. Caribértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eíque sacris interdíxit : et Sigebértum, quem a caede Chilperíci, fratris deterrére non pótuit, brevi moritúrum praedíxit.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

AD synodum Bituricénsem proféctus, Judaeum quemdam lucrátus est, cujus cónjugem a daemone obséssam liberávit ; et paulo post utrúmque cum multis áliis Judaeis baptizávit. Floréntio, qui póstea Masticonénsis Epíscopus fuit, óculi usum restítuit : et multa ália mirácula patrávit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo, in quibus praecípuas partes egit. Nihil ínterim, etsi aetáte provéctus, de suis austeritátibus remíttens, tandem méritis plenus, octogésimo aetátis anno ad coeléstem pátriam vocátus est, die vigésima octáva Máii, ut ipse praedíxerat; ab ipso Chilperíco, qui ejus epitáphium conscrípsit, pater páuperum, forma gregis, regum praecéptor, nuncupátus.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Vesp. de S. Anselmo, Episc. Conf. et Doct., Commem. praeced.

DIE XXIV. APRILIS.

Pro S. Phoebadio,

Episcopo Aginnensi.

Lectio ix.

Ex Severo Sulpicio.

PHOEBADIUS, mediánte saeculo quarto Aginnénsis Epíscopus, in Aquitánia natus, omnes haeréticos, máxime Ariános, quámdiu vixit non déstitit profligáre verbo et scripto ; damnávit missam in Gálliam a Constántio secúndam fórmulam Sirmiénsem. Adfuit synodo Ariminénsi una cum plúribus ex Gállia et Aquitánia Praesúlibus; quibus cum ex fisco público ordinátae essent annónae, plácuit suis vívere súmptibus, ut fídei libértas servarétur. Cum Arímini vi retineréntur Epíscopi, omnes ipse haereticórum ímpetus invícto sustínuit ánimo, proféssus malle se exsílium, imo et mortem pati, quam ab Ariánis concéptam fidem recípere. A Valénte, Marsórum Epíscopo, decéptus, acclamávit fídei fórmulae in qua error obvolvebátur. At fraude posthac detécta, ácriter reclámans, tanta vi mendácem fórmulam insectátus est, ut ejus innocéntia ac fídei intégritas univérso orbi patúerit. Concílio Valentíno praefuit anno trecentésimo septuagésimo quarto, deínde Caesar-Augustíno. Scripsit opus contra Ariános, et ália divérsa quae laudat sanctus Hierónymus in libro de Scriptóribus ecclesiásticis.

Fit Commemor. in Laudibus, Oratio. Da, quaesumus. lx.

DIE XXVII. APRILIS.

S. Clari,

Episcopi et Martyris. Duplex.

Oratio.

DEUS, qui per forte certámen ad immortális glóriae triúmphum beátum Clarum Mártyrem tuum atque Pontíficem misericórditer sublimásti : da córdibus nostris condígnam pro ejus solemnitáte laetítiam ; ut cujus memóriam ágimus, ejus et suffrágia experiámur. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Bollandistis.

CLARUS, in Africa natus, vir apostólici spíritus, Romam venit, ibíque a summo Pontífice consecrátus Epíscopus, in Gálliam míttitur, Evangélii praedicándi causa. Quod cum strénue et diligénter ubíque praestáret, vários pópulos et plúrimas civitátes, inter álias Narbonénsem colóniam ádiit, ubi Agrippinénses idolórum cúltui déditos finitimásque gentes christiánae fídei veritátibus ímbuit. Tum ad Albiam civitátem perréxit, ibíque per tres annos commorátus, crebris miráculis et

públicis cohortatiónibus brevi univérsam illam gentem convértit, et per baptísmi grátiam innovávit.

℟. Lux perpétua. xli.

Lectio v.

HINC in Aquitániam proféctus, Petragóricam urbem ádiit, Frontónis apostólici viri Anianíque ejus sequácis, jam praedicatiónibus erudítam, sed eórum ex hac vita abscéssu, suscéptae salutíferae institutiónis jam pene oblítam: quam proínde ut ad Christum redúceret, ipse Clarus plúrimum laborávit. Saeviébat tum ibi gravíssima pestis, a qua divínae virtútis benefício córpora sanans, ánimas étiam exitiális superstitiónis lue inféctas, supérna opitulatióne curávit. Exínde divíno glóriae zelo succénsus, falsórum núminum delúbra evértit, lucos excídit, simulácra contrívit, ritúsque profános et ímpios abolévit; nec modo urbem illam, sed óppida vicína, pagósque adjacéntes, tum praedicatióne, tum miráculis a nefándo idolórum cultu avocáta, ad Christi fidem ac religiónem addúxit.

℟. In servis suis. xli.

Lectio vi.

INDE ad Lectorénses progréssus, dum apud illos eódem apostólici spíritus fervóre in idolórum cultum invéhitur, a satellítibus sátanae intercéptus, vínculis constríctus, raptatúsque ad Jovis simulácrum, cum ibi ad nefánda sacra urgerétur, éaque respúeret; ac soli Deo suprémum cultum debéri praedicáret, váriis excruciátus torméntis, demum cápitis abscisióne martyrium consummávit. Cujus sanguis effúsus Christianórum semen copiósum evásit. Unde in his pópulis quos per beátam mortem Christo péperit, ejus memória in benedictióne permánsit, a quibus etiámnum ut potens opitulátor invocátur. Hujus sancti Mártyris exúviae, partim Ausciis in monastério sancti Oriéntii, partim Burdígalae, ubi étiam Christum annuntiávit, in sacrário sanctae Euláliae honorífice asservántur.

℟. Fíliae Jerúsalem. xli.

In iii. Nocturno, Homil. Iste locus evangélicus. xliv.

In Vesp. Commem. S. Vitalis, Martyris.

FESTA MAII.

DOM. II. POST PASCHA.

SS. Reliquiarum.

Duplex majus.

Omnia de Comm. plurimorum Martyrum tempore Paschali praeter sequentia.

Oratio, et Lectiones ii. Noct. ut in fine Breviarii. ccxxxv.

Lectiones i. Nocturni. Fratres, Debitóres. l.

In iii. Nocturno, Homil. Ne quisquam putáret. xlvii.

Lectio ix. de Homil. Domin., cujus fit Commem. in Laud. et Vesperis.

DOM. IV. POST PASCHA.

B. M. V. de Pace.

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V. per annum, exceptis quae sequuntur.

In i. Vesperis ad Magnif. Ant. Percútiam illis foedus pacis; pactum sempitérnum erit eis, et fundábo eos et multiplicábo, et dabo sanctificatiónem meam in médio eórum in perpétuum.

Oratio.

DEUS, qui per Unigénitum tuum pacem homínibus misericórditer largíri dignátus es: concéde nobis, intercedénte beáta María semper Vírgine, ut tanti múneris grátia constánter perfruéntes in terris, aetérnae pacis gáudia cónsequi mereámur in coelis. Per eúmdem Dóminum.

Commem. Dominicae.

In tertio Nocturno.
Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Luc. I. c*

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galiléae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis. — *Serm. de B. M. V.*

DILECTISSIMI, prudentíssimus et clementíssimus ártifex, quod quassátum fúerat non confrégit, sed utílius omníno refécit, ut vidélicet nobis novum formáret Adam ex véteri, Hevam transfúnderet in Maríam. Itaque, nec ipsa múlier benedícta in muliéribus vidébitur otiósa; inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad Mediatórem istum, nec alter nobis utílior, quam María. Crudélis nimírum Heva, per quam serpens antíquus pestíferum ipsi viro virus infúdit; sed fidélis María quae salútis antídotum et viris et muliéribus propinávit. Illa enim minístra seductiónis, haec propitiatiónis. Illa suggéssit praevaricatiónem, haec injécit redemptiónem.

℟. Felix namque es. cxlii.

Lectio viii.

QUID ad Maríam accédere trépidat humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile; tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Pervólve diligéntius evangélicae históriae sériem univérsam, et si quid forte imprecatórium, si quid durum, si quid dénique signum vel ténuis indignatiónis occúrrerit in María, de cétero suspéctam hábeas, et accédere vereáris. Quod si (ut vera sunt) plena magis ómnia pietátis et grátiae, plena mansuetúdinis et misericórdiae, quae ad eam pértinent invéneris, age grátias ei qui talem tibi mediatrícem benigníssima mediatióne provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est, sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima caritáte debitrícem se fecit, ómnibus misericórditer sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi.

℟. Beátam me dicent. cxlii.

Lectio ix. de Dominica occurr.

Commem. ejusdem in Laud. et Vesperis.

Ad Bened. Ant. Pacem sequímini cum ómnibus et sanctimóniam, sine qua nemo vidébit Deum.

In ii. Vesperis ad Magnificat, Ant. Fecit nobíscum secúndum suam misericórdiam, dedit nobis jucunditátem cordis, et fíeri pacem in diébus nostris per dies sempitérnos.

DIE II. MAII.

De Apparitione S. Bertrandi,

Convenarum Episcopi.

Lectio ix.

Ex veter. Instr. Eccl. Conv.

CONVENARUM inter et Bigórrae cómites exórto bello, tanta locis civitáti Convenárum circumjacéntibus clades írruit, ut harum regiónum íncolae ad extrémas inópiae angústias redigeréntur. Hac suórum calamitáte motus sanctus Bertrándus, ducem hostílis exércitus, qui Sáncius de Parra vocabátur, supplex adit, si qua tandem via ánimum hostílem ad praedae restitutiónem infléctere váleat; sed cum intélligit a victóre supplicatiónem déspici, confidentióri afféctu ad misericórdem Deum vela convértit; nec frustra : súbito enim verbis sancti Praesulis percúlsus Sáncius virum mutátur in álium, humanéque excéptum laetum ad suos cum arméntis et spóliis dimíttit; paulo post móritur sanctus Bertrándus. Alphónso quinto, Arragóniae regi, qui cum

Sarracénis bello conflictábat, Sáncius cum cópiis auxílio ádfuit. Commísso proelio et christiáno exércitu superáto, cum plúribus occúmbit Alphónsus, majórque pars exércitus captíva abdúcitur, quacum et ipse Sáncius. Dum autem rex Sarracénus de captívis in ultra marínas partes transmitténdis cógitat, eádem ipsa nocte Sáncio appáret sanctus Bertrándus, excitatúmque jubet ipsum praeeúntem sequi: íllico sponte cadunt víncula, utríque ultro aperiúntur jánuae, et intra ejúsdem noctis spátium e marítimis transferúntur Arragóniae regiónibus ad eam Pyrenaeórum móntium partem quae de Esquíto in Arpa vocátur. Cito percrébuit tanti miráculi fama. Ipse enim Sáncius ad civitátem Convenárum gratitúdinis et voti causa accúrrens, et profúsis lácrymis sepúlcro amantíssimi liberatóris procúmbens, non minóri pietátis quam admiratiónis afféctu rem totam narrábat; nec semel aut íterum, sed quotánnis, quámdiu vixit, pari gratitúdinis sensu vota solutúrus huc accédens, éadem confirmábat. Hinc cito ad vicínas gentes tam stupéndi evéntus fama pérvolans, mirum quantum pietátis ardórem erga beátum Praesulem accénderit; nec frustra, plúrimos enim ejus invocatióne ab aerúmnis aut iníquis quibus constringebántur vínculis modo prorsus mirábili liberátos, monuméntis fertur non dúbiis. Ut autem tantae populórum devotióni fíeret satis, institúta est in Offício canónico solémnis commemorátio sub nómine Apparitiónis sancti Bertrándi, ipsa die secúnda Máii, qua áccidit Sáncii liberátio: quam commemoratiónem Clemens Papa quintus, qui et ipse Convenárum Epíscopus fúerat, remque totam probáverat, próprio Offício celebrári praecépit. Edidit ínsuper Bullam jubilaei, qua concéssit ut quando festum Inventiónis sanctae crucis íncidit in Fériam sextam, fidéles qui a Vésperis festi Apparitiónis usque ad secúndas Vésperas inclusíve festi Inventiónis sanctae crucis ad ecclésiam cathedrálem convenírent, rite conféssi et sacro Christi córpore reféсti, pleníssimam peccatórum indulgéntiam obtinérent.

Fit Commemoratio in Laudibus.

Oratio.

Deus Sanctórum tuórum splendor mirábilis, concéde nobis, quaesumus, ut qui beáti Bertrándi Confessóris tui atque Pontíficis Apparitiónem cólimus, ab angústiis et vitae hujus perículis ejus pia intercessióne liberáti, gáudia cum ipso possideámus aetérna. Per Dóminum.

DIE VII. MAII.

Pro S. Misselino,

Confessore. *Lectio ix.*

Sanctus Gregórius Turonénsis, in suo libro de glória Confessórum, post praecónium sancti Justíni Epíscopi, qui fuit e primis christiánae fídei apud Bigerrónes praecónibus, mentiónem facit sancti Misselíni Presbyteri, quem ait sancto Praesuli mérito et sanctitáte propínquum fuísse, ac simílibus floruísse virtútibus. Idem refert corpus beáti Misselíni cónditum esse apud Talvam, vicum intra fines territórii Bigorritáni situm. In paróchia dioecésis Tarbiénsis vulgo dicta Arcizac-Adour, sanctus Misselínus invocátur et cólitur ut intercéssor et Patrónus.

Fit Commemoratio in Laudibus.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Confessóris tui Misselíni méritis et sanctitáte illustráre dignátus es: con-

cède quaesumus; ut ministérii quod adimplévit copiósum fructum percípere mereámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XII. MAII.

Pro S. Hygino,

Confessore non Pontifice.

Ex Boll. 3. *Maii, et Monum. Eccles. Lactor. in Gall. Christ. relat.*

GENIUM seu Hygínum Confessórem, inter Patrónos suos solémniter colit Ecclésia Lactorénsis. Ex ejus vita ab antíquo auctóre, non tamen coaevo, scripta, quam éxhibet Bernárdus Guidónis, habétur praesértim ipsum illústri família ortum, ómnibus virtútibus christiánis ac praecellénti imprímis oratiónis dono ornátum, multos ab idolórum cultu ad fidem ejus labóribus addúctos, eúmdem idcírco a persecutóribus impetítum, sed miráculo servátum, quo factum ut trigínta mílites qui ad eum comprehendéndum missi fúerant, et ipsi doctrínam Christi amplecteréntur. Exstitit olim Lactórae ecclésia et monastérium sancti Génii, cujus locus anno millésimo septuagésimo sexto Hugóni, Abbáti Cluniacénsi, donátus est.

Fit Commem. in Laudibus.

Oratio. Deus, qui nos. lxxvi.

DIE XVI. MAII.

S. Joannis Nepomuceni,

Martyris. Duplex.

Ut in fine Breviar. cclxxxiii.

In ii. Vesperis a Capitulo de S. Paschali Baylon, Conf. Commemoratio praecedentis.

DIE XXII. MAII.

S. Quitteriae,

Virginis et Mart. Semiduplex.

Oratio. Indulgéntiam. xcii.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gall. Christ.

SANCTAE Quittériae Vírginis et Mártyris natále notátur undécimo Kaléndas Júnii. Apud Vico-Július in Ecclésia Adurénsi fuit olim monastérium ejus nómine insignítum, non longe ab urbe: in cujus Ecclésia suam Epíscopus hábuit cáthedram, ita ut sanctae Quittériae Praesul dicerétur. ℟. Propter. xcvi.

Lectio v.

A GREGORIO nono Románo Pontífice mensae episcopáli Adurénsium Praesulum junctum est monastérium, quod ántea Casae-Dei súbditum fúerat. Qui supérerant réditus et fructus, erécto clericórum seminário donáti sunt, et exstíncti monachórum títuli. Súperest adhuc antíqua coenóbii ecclésia. ℟. Dilexísti. xcvii.

Lectio vi.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

In Natali sanctae Agnetis.

VENI jam, Virgo, ad thálamum quem quaesísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christo. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuae sequi confessiónis vestígia. Habébunt enim tecum corónam in coelo, quae tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia Maríae prosequénti participátio aetérnae remuneratiónis appáruit; ita eis te imitántibus aetérna crédimus gáudia non negánda. Itaque, o spléndida Christo, pulchra Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostri meminísse dignéris, quibus précibus póssumus exorámus, ut nobis ille tríbuat peccatórum indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam. ℟. Afferéntur. xcvii.

In iii. Nocturno, Homil. Dóminus noster quia. ciii.

DIE XXIX. MAII.

BB. Garciae de Aura

et sociorum, Martyrum. Duplex.

Oratio.

DEUS, pro cujus amóre ac fídei tuéndae zelo beáti Gárcias et sócii gládiis impiórum occubuére : praesta quaesumus, ut eórum suffrágiis in fide stábiles te semper ex ánimo diligámus. Per Dóminum nostrum.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

QUO témpore Tolosána dioecésis lethífera labe Albigénsium inficiebátur, immortális memóriae Póntifex Gregórius nonus Christifidélium salúti prospíciens inquisitóres illuc misit lectíssimos viros tum ex Praedicatórum tum ex Minórum Ordine. Ex primis erant Gárcias de Aura, ejúsque sócii, Guillélmus Arnáldi et Bernárdus, de Rupe Forti; ex áliis vero Stéphanus de Narbóna et Raymúndus de Carbonériis. Hisce et caritáte et múnere sex álii adjungebántur, nimírum Prior monastérii ex Ordine sancti Benedícti in óppido Avenionéti, mónachus Clusínus nuncupátus, Raymúndus Tolosánae Ecclésiae Archidiáconus, Bernárdus ejúsdem cléricus, Fortanérius et Ademárus item clérici, qui nuntiórum munus explébant, láicus demum tabéllio Petri nómine. Hosce úndecim una fídei et múneris societáte conjúnctos pari glóriae triúmphi immortalísque vitae Deus reservávit.

℟℟. *pro tempore.*

Lectio v.

JAM cum eo, quo par erat, stúdio et indústria missi a Pontífice inquisitóres suo múnere fungeréntur, Albigénsium ira et livor aspérius desaeviit. Raymúndus ab Alfaro, vir scelestíssimus, et Albigénsium doctrínis imbútus, qui nómine Tolosáni cómitis óppido Avenionéti praeféctus erat, quod óppidum a civitáte Tolósa non longe distat, inquisitóres eorúmque sócios in aedes dynástae arcessívit. Ingens patébat aula juridicúndo comparáta. Eo cum ingréssi essent inquisitóres eorúmque cómites supra memoráti, e látebris satéllites erúmpunt. Adoriúntur illos non solum inérmes, sed ultro alacritérque mori parátos. Nulli ígitur exaudíti gémitus aut ejulátus moriéntium, sed laeta cántica ex occumbéntium ore personábant, cum Ambrosiánum hymnum canéntes, voce concórdi grátias aetérno Deo persólverent. Cóntigit autem eórum beáta mors anno Dómini millésimo ducentésimo quadragésimo secúndo, quarto Kaléndas Júnii, nocte vidélicet Ascensiónis Dómini nostri Jesu Christi.

Lectio vi.

INFANDUM scelus ac illústris servórum Dei óbitus diu latére non póterant. Vel étiam homínibus tacéntibus, rem gestam signa et osténta insólita praedicárunt, quorum plura réferunt coaevi ac posterióres histórici. Omnium ergo ore tamquam veri Christi Mártyres hábiti sunt, et ecclesiásticus cultus statim illis exhíbitus tum in Tolosána civitáte, tum in óppido Avenoniéti, ubi eórum festum quotánnis ad haec usque témpora recólitur. Hunc autem immemorábilem cultum Pius nonus Póntifex máximus, audíta prius Sacrórum Rítuum Congregatiónis senténtia, approbávit octávo Idus Septémbris anni millésimi octingentésimi sexagésimi sexti. Idibus autem Aprilis anni sequéntis exténdit ad clerum Tarbiénsem facultátem recitándi Offícium Missámque celebrándi de iísdem beátis Martyribus.

FESTA JUNII.

DIE II. JUNII.

S. Pothini,

Episc. Blandinae, Virg. et sociorum, Mart. Semid.

Omnia de Communi plurim. Martyrum, praeter sequentia.

Oratio.

MARTYRUM tuórum Pothíni Pontíficis, Blandínae Vírginis, et sociórum solémnia recenséntes, súpplices te Dómine deprecámur : ut in caritáte radicáti et fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriae, quae revelánda est in nobis, invícto ánimo sustinére valeámus. Per Dóminum.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiae et Phrygiae. — *Euseb. Hist. Eccl. L.* 5, *C.* 1.

BEATISSIMUS Pothínus, Ecclésiae Lugdunénsis Epíscopus, nonagenário major ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed prae cupiditáte martyrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, et univérsa plebe váriis cum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a praeside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post haec inhumáne raptátus, et innúmeris plagis afféctus est; cum ii quidem qui própius adstábant, cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabántur. Exínde vix adhuc spirans, in cárcerem projéctus est; tandémque, post bíduum, ánimam exhalávit.

℟℟. *pro tempore.*

Lectio v.

MATURUS vero neóphytus, et Sanctus Diáconus Viennénsis cum Blandína ancílla, et Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram; cui superpósita Mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt. Blandína autem ad palum suspénsa, béstiis objécta est. Quae cum in crucis spéciem suspénsa cernerétur, Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persóna cérnerent illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta.

Lectio vi.

ATTALUS quoque cum per amphitheátrum circumducerétur, praecedénte eum tabélla, in qua latíno sermóne scriptum erat : Hic est Attalus Christiánus; praeses, postquam civem Románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, lítteris ad Caesarem datis de his qui inclúsi tenebántur. Ineúnte ígitur solémni apud nos mercátu, praeses addúci jubet Mártyres ad tribúnal, tamquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis. Céterum ingens glória accéssit Christo per

eos qui prius quidem negáverant, tunc vero confitebántur fidem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos morátus in Gálliis, cum illos ad fídei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant, tamquam partúriens videbátur. Instans íllico praeses interrogávit eum quis esset. Qui cum Christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postrídie ígitur una cum Attalo ingréssus est; nam et hunc praeses béstiis íterum tradíderat. Ambo ítaque cum ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, una cum Póntico, adolescénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est, a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimae juguláta est.

In iii. Nocturno, Homil. Dóminus ac Redémptor. liv. *Temp. autem Paschali.* Ne quisquam putáret. xlvii.

Lectio ix. SS. Marcellini et sociorum, e duabus una.

In Laud. fit Comm. SS. Marcellini et soc. ut in Breviario.

DIE VIII. JUNII.

S. Medardi,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. Da, quaesumus. lx.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Fortun. et T. S. Spicil.

MEDARDUS, apud Salentíacum in pago Viromanduénsi natus, a paréntibus pie institútus, oblátus est Viromanduénsi Epíscopo, ut in clericórum número adscriberétur. Crescéntibus cum aetáte méritis et doctrína, ad altióres gradus ascéndit. Présbyter consecrátus, Viromanduórum episcopátum, multórum assíduis précibus victus, regéndum suscépit; ac sedem Noviómi in óppido muníto collocávit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

INTERIM sanctus Eleuthérius, Tornacénsis Epíscopus, móritur. Post cujus exséquias, cum clerus et pópulus Tornacénsis Medárdum sibi dari Epíscopum postulássent, sancto Remígio ceterísque provínciae Epíscopis annuéntibus, rege et procéribus sua auctoritáte rem promovéntibus, utriúsque Ecclésiae curam suscépit; episcopális sedis honóre utrísque serváto, quamvis Tornacénses ab eo témpore usque ad Simónem, per annos círciter sexcéntos, non álios quam Novioménses Epíscopos habúerint.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

MEDARDUS Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Christum. Obiit anno salútis quingentésimo quinquagésimo sexto: eúmque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas sepelíri jussit, et basílicam ad ejus túmulum coepit aedificáre, quam Sigebértus fílius ejus absólvit et ornávit.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

In ii. Vesperis fit Commem. SS. Primi et Feliciani, Mart.

DIE XIII. JUNII.

Pro S. Aventino,

Martyre. *Lectio ix.*

Ex Monum. Vall. Larb.

IN Aquitániae fínibus Aventínum fidem praedicásse, et sánguine suo asseruísse, multa suádent vallis Larbústi monu-

ménta. Hunc ab ejúsdem nóminis solitário in dioecési Trecénsi, et ab Aventíno Dunocénsi, martyrii glória discérnit. Antíquo ritu sancti Mártyris memória cólitur in templo olim sub beátae Maríae, nunc sancti Aventíni invocatióne, ipsiúsque nómine insignítus est vicus, qui ejus relíquiis gloriátur. His in túmulo lapídeo pone majus altáre recónditis, céreum vectigal áfferunt quotánnis Hispáni.

Fit Commem. in Laudibus.

Oratio. Praesta... ut qui. xxv.

DIE XVI. JUNII.

S. Francisci Regis,

Conf. Duplex.

Ut in fine Breviarii cclxxxv. *primo loco.*

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE XVII. JUNII.

S. Clotildis,

Franc. Reginae, Viduae. Duplex.

Oratio.

RESPICE, quaesumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per devótam sanctae Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, iísdem nunc per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánae pietátis affféctum. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex S. Greg. Turon. et quibusdam aliis.

CLOTILDIS, Chilperíci regis fília, Clodovéo adhuc éthnico in conjúgium data, primogénitum Ingómerem baptizári jussit. Cum autem infántis in albis defúncti mortem baptísmo tribúeret Clodovéus, gráviter Clotíldem objurgávit. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, Creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnā, ut de útero meo génitum regno suo adscíret. Alterum quoque fílium Clodómerem baptizári curávit, quo páriter aegrotánte, irátus est rex : sed matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem. cx.

Lectio v.

CLOTILDIS, quae matrimónio consénserat, ea lege, ut abjécta idololatría, verum Deum cóleret Clodovéus, non cessábat hortári príncipem, ut staret promíssis, ejúsque conversiónem ad fidem eníxe postulábat a Deo. At rex Francórum rem protráxit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, imploráto Christi auxílio, sese voto adstrínxit ad suscipiéndam Dei religiónem, si victóriam de hóstibus reportáret. Regína de rebus gestis cértior facta, regi laeta occúrrit apud Remos, et advocávit sanctum Remígium, civitátis hujus Antístitem, a quo princeps fidem edóctus baptizátus est et chrísmate sancto inúnctus.

℟. Dilexísti. cx.

Lectio vi.

POST Clodovéi mortem, Turónes pétiit Clotíldis, ibíque ad sancti Martíni sepúlcrum, piis opéribus inténta, réliquum vitae tempus exégit. Clodómeris in bello Burgúndico occísi fílios népotes suos, Theodováldum, Guntárium, et Clodoáldum educávit : ac tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum, et Parísios transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus ad latus Clodovéi, in sacrário basílicae sancti Petri, deínde sanctae Genovéfae dictae.

℟. Fallax grátia. cx.

In iii. Nocturno, Homil. Coelórum regnum. cxii.

In ii. Vesperis fit Commem. SS. Marci et Marcelliani, Mart.

DIE XXVII. JUNII.

SS. Irenaei,

Doctoris, et sociorum ejus, Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi plurim. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, invisíbilis fortitúdo certántium, adésto, quaesumus, nobis supplicántibus, ut qui hodiérna die sanctórum Mártyrum tuórum Irenaei et sociórum gloriósum triúmphum recólimus, eórum méritis et précibus contra spirituália nequítiae muniámur. Per Dñum.

Et fit Commem. Octavae.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola sancti Irenaei, Epíscopi et Mártyris, ad Florínum de Monarchía. — *Euseb. Hist. Eccl., Lib.* 5. *Cap.* 20.

Lectio iv.

FLORINE, vidi te cum adhuc puer essem, in inferióre Asia apud Polycárpum, spléndide agéntem in palátio, et magnópere laborántem, ut te illi approbáres. Etenim ea quae tum témporis gesta sunt, mélius memória téneo, quam illa quae nuper accidérunt. Adeo ut et locum ipsum possem dícere, in quo beatíssimus Polycárpus sedens disserébat; procéssus quoque ejus et ingréssus, vitaeque totíus formam, et córporis spéciem; sermónes dénique quos ad pópulum habébat, et familiárem consuetúdinem quae illi cum Joánne, ut narrábat, et cum réliquis qui Dñm vidíssent, intercésserat, et quáliter dicta illórum commemorábat : quaecúmque de Dómino ab iísdem audíerat : de miráculis quoque illíus, ac de doctrína, prout ab iis qui verbum vitae ipsi conspéxerant, Polycárpus accéperat, eódem prorsus modo referébat, in ómnibus cum Scriptúris conséntiens. Haec ego, divína mihi largiénte misericórdia, tunc studiósius audiébam; non in charta, sed in corde meo audíta descríbens; eadémque per Dei grátiam assídue répeto ac revólvo.

℟. Sancti tui. lii.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus ecclesiásticis.

Lectio v. *Cap.* 45.

IRENAEUS, Pothíni Epíscopi, qui Lugdunénsem in Gállia regébat Ecclésiam, a Martyribus ejúsdem loci ob quasdam Ecclésiae quaestiónes legátus Romam missus, honoríficas super nómine suo ad Eleuthérium Epíscopum perfert lítteras. Póstea, jam Pothíno prope nonagenário, ob Christum martyrio coronáto, in locum ejus substitúitur. Scripsit quinque advérsus haereses libros, et contra Gentes volúmen breve; et de disciplína, áliud : et ad Marciánum fratrem, de apostólica praedicatióne; et librum variórum tractátuum, et ad Blastum de schísmate : et ad Florínum, de monarchía, sive quod Deus non sit cónditor malórum; et de Octonário, egrégium commentárium. Ferúntur ejus et áliae ad Victórem Epíscopum, de quaestióne Paschae, epístolae, in quibus cómmonet eum non fácile debére unitátem collégii scíndere. Síquidem Victor multos Asiae et Oriéntis Epíscopos, qui a décima quarta luna cum Judaeis Pascha celebrábant, damnándos credíderat. In qua senténtia ii qui discrepábant ab áliis Victóri non dedérunt manus. Flóruit máxime sub Cómmodo príncipe, qui Marco Antoníno Vero in impérium succésserat. ℟. Vérbera. lii.

Ex libro primo Historiárum sancti Gregórii Turonénsis Epíscopi.

Lectio vi. *Cap.* 27.

BEATISSIMUS Irenaeus, Pothíni succéssor Mártyris, qui a beáto Polycárpo Lugdunénsem ad urbem

diréctus est, admirábili virtúte enítuit: qui in módici témporis spátio praedicatióne sua máxime in íntegro civitátem réddidit christiánam. Sed veniénte persecutióne, tália ibídem diábolus bella per tyránnum exércuit, et tanta ibi multitúdo Christianórum ob confessiónem Domínici nóminis est juguláta, ut per platéas flúmina cúrrerent de sánguine christiáno: quorum nec númerum, nec nómina collígere potúimus; Dóminus enim eos in libro vitae conscrípsit. Beátum Irenaeum divérsis in sua cárnifex praeséntia poenis afféctum, Christo Dómino per martyrium dedicávit.

℟. Tamquam aurum. liii.

In iii. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. liv.

In Laud. fit Commem. Oct.— In ii. Vesperis fit Commem. S. Leonis, Papae Conf. et Oct.

DIE XXIX. JUNII.

Commemoratio omnium

SS. Apostolorum.

In festo SS. Apost. Petri et Pauli fit Commemor. omnium SS. Apost. in utrisque Vesperis et Laudibus ut sequitur.

In i. Vesperis, Ant. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem.

℣. Nimis honoráti. x.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster, et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére praesídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis: Qui vivis et regnas.

In Laud. Ant. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram. iii.

In ii. Vesperis, Ant. Vos amíci mei estis, si fecéritis quae ego praecípio vobis, dicit Dñus.

℣. Gloriósus in sanctis suis, fáciens mirabília. ℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

FESTA JULII.

DIE III. JULII.

S. Martialis,

Episcopi et Conf. Duplex. m. t. v.

Oratio.

DEUS, cujus ineffábili misericórdia beátus Conféssor et Póntifex tuus Martiális investigábiles divítias grátiae tuae in géntibus evangelizávit; ejus nobis intercessióne concéde, ut et in sciéntia tua créscere, et in omni ópere bono coram te ambuláre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavae.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Surio, Mart. Gall., etc.

SANCTUS Martiális a summo Pontífice in Gálliam, Evangélii praedicándi causa, missus, cum Alpiniáno et Austricliniáno in partes Aquitániae venit; quam provínciam idololatríae ténebris circumfúsam, divino lúmine primus illustrávit, et praedicatióne multis miráculis, quae per divérsa loca édidit, confirmáta, pópulos illos máxima ex parte ad Christum tradúxit. Nam et ipsum Austricliniánum in itínere mórtuum suscitávit. Tulli nóbilem quemdam virum, Nervam nómine, a daemone necátum, virtúte sancti nóminis Jesu ad vitam revocávit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

INDE Lemóvicum proféctus, ibi paralyticum báculi sui attáctu, prístinae sanitáti restítuit, hóminem freséticum ad sanam mentem redúxit, Ortárium, sanctae Valériae vírginis interfectórem morte repentína exstínctum, suscitávit. Quibus miráculis Stéphanus dux obstupefáctus, coeléstí grátia mentis óculos aperiénte, ejuráta idololatría, fidem christiánam

ampléxus est; et sacro baptísmatis lavácro tinctus, divinóque zelo excitátus, idóla commínuit, eorúmque aras evértit. Ipse Martiális, eódem duce sumptus suppeditánte, primum templum Lemóvicis exstrúctum, in honórem sancti Stéphani Protomártyris Christo dedicávit.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

BURDIGALAM, cetérasque Aquitániae urbes péragrans, ubíque veritátis evangélicae sémina effúdit, constitútis ibídem Antistítibus, doctrína, vitaeque sanctitáte ínclytis, qui plantária illa novélla irrigárent. Ipse apostólico múnere sanctíssime functus, plenúsque méritis ad coelum evolávit. Tanta vero fuit apud pópulos illos ejus sanctitátis existimátio, ut aequáli pene cum Apóstolis honóre ab ipsis colerétur. Quod cum alíquibus scrúpulum injecísset, quátuor ob hanc causam concília hábita sunt; Bituricénse scílicet, Pictaviénse, binúmque Lemovicénse : in quibus apostólica glória sancto Martiáli, synódica declaratióne vindicáta est. Et consúltus de eádem re a Gallicánis Epíscopis, Joánnes Papa vigésimus ipse, eum sanctum, non símplicem Confessórem, sed apostólicum virum, adeóque Apóstolum totíus Aquitániae dici debére decrévit. In cujus veneratiónem pie afféctus idem Póntifex colléctam in ejus natáli conscrípsit, in qua eum apostólico nómine decorávit.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam illam. lxx.

In ii. Vesperis fit Commem. Octavae.

DIE VII. JULII.

S. Prosperi,

Conf. et Doctoris. Duplex. m. t. v.

Oratio. Deus, qui pópulo. lxi.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex ejus operibus, et Scriptoribus coaetaneis.

PROSPER in Aquitánia natus est; unde Aquitánus dici solet, ut ab áliis ejúsdem nóminis viris facílius distinguátur. Qua vero ex parte amplíssimae illíus regiónis, quave ex urbe oriúndus fúerit non constat. Quae causa illi fúerit e pátria migrándi períndeignorátur. Certum vero, eum Dei nutu in Províınciam ante annum quadringentésimum vigésimum nonum dedúctum fuísse, ut christiánam de grátia doctrínam a sancto Augustíno advérsus Pelagiános assértam, contra Semipelagiános Massíliae tum pullulántes defénderet. Celebratíssimam de eórum erróribus et querélis ad sanctum illum Doctórem epístolam dedit anno quadringentésimo vigésimo octávo exeúnte, vel ineúnte quadringentésimo vigésimo nono, proféssus scríbere se fídei, qua Ecclésia vivit, afféctu.

℟. Honéstum. lxxx.

Lectio v.

PLURA ália vulgávit, tum ut sincéram de grátia fidem asséreret, tum ut Massiliénsium in sanctum Augustínum, quem male interpretabántur, calúmnias depélleret. Cum vero non desísterent tantum virum ejúsque defensóres impétere, Romam cum Hilário, ejúsdem causae strénuo defensóre, proféctus est, ad Coelestínum Papam rem delatúrus. Is célebri ad Gálliae Epíscopos data epístola, praeclárum judícii sui de Próspero ac Hilário testimónium impértiit, et sancti Augustíni famam tuítus est, jussítque Epíscopos siléntium obtrectatóribus impónere : subjúnxit étiam nonnúllas praedecessórum suórum, aut conciliórum ab iis approbatórum, de grátia et líbero arbítrio senténtias, quas

plures erudíti a sancto Próspero colléctas arbitrántur. Tanta auctoritáte fretus Prosper, in Gállias redux, majóri adhuc confidéntia manus conséruit cum Semipelagiánis Massiliénsibus, et Cassiáni Massiliénsium Presbyterórum celebérrimi collatiónem décimam tértiam Semipelagiána labe inféctam refféllere aggréssus est. ℟. Amávit eum. lxxx.

Lectio vi.

SANCTUS Fulgéntius ad Monímum libro primo, Prósperum núncupat virum erudítum et sanctum, qui sancti Augustíni dicta, recta deféndit fide et copióso sermóne. Eúmdem Victórius virum sanctum et venerábilem appéllat. Tradit Gennádius epístolas Papae Leónis advérsus Eutychen de vera Christi incarnatióne ad divérsos datas a Próspero dictátas credi. Quod idem a Marcellíno exscríptum est. Hac de causa ab Adóne et áliis dícitur fuísse Leónis Magni Notárius seu Amanuénsis. Nullo véterum testimónio líquido appáret sanctum Prósperum fuísse gradu ac órdine láicis aut mónachis superiórem. Vidétur ex eórum número fuísse qui, dimísso saeculo, vitam in secéssu agébant, ad divína omníno negótia transláti, nulli tamen obstrícti monastério. Indubitátum est eum non obiísse ante annum quadringentésimum quinquagésimum quintum. Forte ad annum usque quadringentésimum sexagésimum tértium vixit.

℟. Iste homo. lxxx.

In iii. Noct., Homil. Osténdit Dóminus. lxxiii.

In ii. Vesperis fit Commem. sanctae Elisabeth, Viduae.

DOMINICA II. JULII.

SS. Cordis Jesu.

Duplex ii. classis.

Omnia ut in Breviario 828. *Primae Vesp. dicuntur integrae.*

DIE IX. JULII.

S. Amandi,

Episc. Burdigalensis et Confess.

Semiduplex. m. t. v.

Oratio. Da quaesumus. lx.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Epist. S. Paulini, et Gregorio Turonensi.

AMANDUS, a téneris annis Deo mílitans, Scriptúrae sacrae stúdio ánimum simul adhíbuit. Morum integritáte conspícuus, a Delphíno Burdigalénsi Epíscopo ad presbyterátus gradum est promótus, et per plures annos vixit sub ejus disciplína. Sanctum Paulínum doctrína fídei hábuit imbuéndum, et in baptísmate patrínus suscépit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

A CLERO et pópulo post Delphínum eléctus Praesul, exémplo gregi praefuit, et humilitáte stúduit praelucére. Hinc cum Severínus Antístes Coloniénsis, ut plures aestimant, sede abdicáta, Burdígalam appulísset, ei Amándus regéndam commísit dioecésim, ut suae solitárius salúti consúleret.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

POST sancti Severíni óbitum, interrúptos résumens labóres, múnera episcopália implévit ea sedulitáte, ut a Paulíno Christi religiónis fidélis custos fúerit nuncupátus. In pace óbiit die décima octáva Júnii : quo anno, ignorátur; sed constat eum fuísse supérstitem sancto Paulíno, cujus scripta collégit et transmísit posteritáti. De eo mentiónem habet Románum Martyrológium. ℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Vesperae a Capitulo de SS. Septem Fratribus et sociis Mart. Commem. praecedentis.

DIE XX. JULII.

S. Margaritae,

Virginis et Martyris. Duplex.

Oratio. Indulgéntiam. xcii.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex notis Baronii in Martyrol. Rom. et aliis.

MARGARITA Virgo et Martyr, cultu quidem in Ecclésia illústris, monuméntis vero parum nota. Hanc Marínam dícere vidéntur Beda et Usuárdus décimo quarto Kaléndas Júlii : Graeci vero, qui eam Marínam étiam dicunt, agunt de ea in Menológio décimo sexto Kaléndas Augústi : in véteri autem Románo Martyrológio, cui adstipulántur antíqua manuscrípta atque recentióra Martyrológia, hac die ágitur.

℟. Propter veritátem. xcvi.

Lectio v.

ERRARE noscúntur hi qui ipsam Alexandríae passam réferunt, cum constet ipsam Antiochía Pisídiae oriúndam, ibídem martyrium consummásse, ut Graeci tradunt, vel saltem Antiochíae Syriae, unde vidéntur relíquiae in Occidentáles plagas circa finem tértii décimi saeculi translátae.

℟. Dilexísti justítiam. xcvii.

Lectio vi.

CETUS fuit in Ecclésia Occidentáli étiam hujus sanctae Mártyris cultus; in antíquis enim Litániis Románae Ecclésiae, quae habéntur in Ordine Románo, inter álias sanctas Vírgines et Mártyres recensétur. De ejúsdem célebri festa die habétur méntio in concílio Oxoniénsi, décimo tértio saeculo ineúnte. ℟. Afferéntur. xcvii.

In iii. Noct. Homil. Coelórum regnum. cxii. *cum* ℟℟. *de Virg.*

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praeced. et S. Praxedis, Virg. ut in Breviario.

FESTA AUGUSTI.

DIE IX. AUGUSTI.

S. Africani,

Convenarum Episcopi et Conf. Semiduplex. Oratio.

TRIBUE, quaesumus, pópulo tuo, Dómine Deus noster, ut sicut beáti Confessóris tui atque Pontíficis Africáni doctrína ad cultum tui nóminis est institútus, sic, ejus suffragántibus méritis, puram tibi servitútem exhíbeat. Per Dñum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Papebr. et aliis.

AFRICANUS, seu Africus, vel Efricus, Praesídii Convenárum Epíscopi, qui concílio Aurelianénsi secúndo subscrípsit, in sede succéssor, ad episcopátum assúmptus est circa annum quingentésimum quadragésimum. Multa tráditur esse passus a Visigóthis Ariánis Hispániam tunc témporis obtinéntibus, relictóque episcopátu, transiísse ad Ruthénos, ubi assíduis praedicatiónibus, exémplis, miráculis, plúrimos ad veram fidem pietatémque convértit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

CORPUS Africáni sepúltum fuit in loco territórii Ruthenénsis, prope Vabras urbem, quae longo post témpore episcopális facta est : quo in loco, occasióne cultus ejus et propter populórum concúrsum, urbs accrévit ejus nómine insigníta. Quaprópter nova étiam ibídem aedificáta est basílica, quae sub ejus nómine dicáta fuit anno millésimo ducentésimo sexagésimo primo; in qua collegiátum capítulum canonicórum anno millésimo quadringentésimo quadragésimo quarto fundátum est.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

DIU ántequam nova illa basílica construerétur jam per multas dioecéses agebátur sancti Africi festum. Dissipátae sunt sacrae ejus exúviae, saeculo décimo sexto, furóre novatórum a quibus evérsus est ipsíus túmulus, et reliquiárum ejúsdem theca argéntea, auro et gemmis decoráta, dirépta fuit. Cum vero partes eárum non módicae ecclésiis Tolosánae et Albiénsi donátae essent, canónici sancti Africáni detriméntum quod passi erant recuperáre cúpidi, áliqua sancti sui Patróni ossa ab utráque Ecclésia impetrárunt.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Ut ignorántiam illam. lxx.

Lectio ix. Vigiliae, cujus fit Commem., et S. Romani, Mart. in Laudibus.

Vesperae de S. Laurentio sine Commemoratione.

DIE XV. AUGUSTI.

Voti Ludovici XIII.

Lectio ix.

Ex declaratione Ludovici XIII. data die 10 *Februarii* 1638.

HODIE celebrátur memória solémnis illíus voti, quo Ludovícus décimus tértius, Francórum rex, se súaque tutélae beátae Maríae Vírginis commendávit edícto propósito in haec verba : Beatíssimam et gloriosíssimam Vírginem in speciálem regni nostri Patrónam assuméntes, eídem speciáli modo nos, nostrum sceptrum, nostram corónam, nostrósque omnes súbditos dicámus et consecrámus. Cujus nostri mancipátus ne memória apud pósteros éxcidat, mandámus fieri post Vésperas diéi festi Assumptiónis processiónem, ritu et apparátu quam máxime solémni, in síngulis dominatiónis nostrae Ecclésiis, tam cathedrálibus quam parochiálibus et conventuálibus, cujuscúmque civitátis et pagi : praecipiéntes insuper quátenus superióres cúriae, ac locórum optimátes dictae processióni intérsint. Móneant étiam Epíscopi pópulos omnes nostros, ut peculiári erga beatíssimam Vírginem amóre afficiántur, ipsiúsque patrocínium die illa solémni implórent; ut fretum ádeo poténtis Patrónae praesídio regnum nostrum ab ómnibus hóstium tutum sit insídiis, et diutúrna gáudeat pace, Deúsque óptimus máximus tanta in eo colátur reveréntia, ut nos subditíque omnes ad beátum finem cui sumus cónditi, téndere ac perveníre valeámus. Vita functo Ludovíco décimo tértio, edíctum confirmávit Anna Austríaca, mater Ludovíci décimi quarti, regni moderátrix : et Ludovícus décimus quintus erga beatíssimam Vírginem avítae pietátis imitátor, lítteris ad omnes Galliárum Epíscopos missis, anno millésimo septingentésimo vigésimo octávo pia vota renovávit.

Haec Lectio omittitur, quando hoc festum incidit in Dominica.

DIE XXI. AUGUSTI.

Pro S. Juliano,

Episcopo et Confessore.

Lectio ix.

Ex Gall. Christ. et Hist. Benearn. Petri de Marca. Lib. 1.

IN antíquo Ecclésiae Benearnénsis Breviário légitur sanctum Juliánum, Trevirénsis Ecclésiae Diáconum, a Leóntio Antístite Trevirénsi consecrátum Epíscopum, missum fuísse ad Benearnénses, ut eos ab idolórum cultu ad Christi fidem addúceret. Plura suádent monuménta Leóntium, ut in véteri eórum Breviário habétur, Aquitánum fuísse, et ex illústribus procéribus ortum. Quaprópter mirum

non est Pontíficem illum Treviriénsem de populárium suórum idololatríae deditórum salúte sollícitum, ad eos verbi Dei direxísse praecónem ex urbe Treviriénsi, quae tunc erat sedes praeféꝺti praetórii Galliárum, et quasi totíus Gálliae Metrópolis, ut a sanꝺto Athanásio in Apológia nuncupátur. Beneárnum (quod hódie nomen est províncíae, fuit olim civitátis) áppulit Juliánus, verbóque et exémplo, quibus miraculórum fulgor accéssit, totam Christo péperit gentem, cujus primus est Epíscopus. Flóruit inítio quinti saeculi. Qua sedébat aetáte, circa annum quadringentésimum séptimum, Vándali Gállias ingréssi, Treviriénsem urbem diruérunt et per totam effúsi Gálliam, usque ad Novempopuláníam pervenére; nec Beneárno eórum furor pepércit. Exstat in subúrbio ecclésia sub sanꝺti Juliáni título dedicáta, quae públici monuméntum est cultus quo antíquitus ejus memória celebráta est.

Fit Commem. in Laudibus.

Oratio.

DEUS, qui per beátum Juliánum Confessórem tuũ atque Pontíficem pópulum non credéntem ad lumen supérnae claritátis transférre dignátus es: ipsíus nobis pia intercessióne concéde; ut per sémitas justítiae quam dócuit gradiéntes, corónam glóriae ássequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. Augustini,

Episc. Conf. et Ecclesiae Doꝺ. Duplex.

In Cathedrali tantum, sed pro iis omnibus qui territorium Cathedralis incolunt, Duplex 1 cl. cum Oꝺtava.

Leꝺ. i. Noꝺurni. Sapiéntiam. *cetera ut in Breviario.* lxxi.

DOMINICA
POST OCTAVAM ASSUMPT.

Purissimi Cordis B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. M. V.; Leꝺio ix. de Homilia et Commem. Dom. in utrisque Vesp. et Laud.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOM. I. SEPTEMBRIS.

S. Angeli Custodis.

Duplex. ii. classis cum Oꝺava. Ut ad calcem Breviarii.

DIE III. SEPTEMBRIS.

S. Licerii,

Episcopi et Confessoris. Duplex.

Oratio. m. t. v.

SANCTI Confessóris tui atque Pontíficis Licérii solémnia celebrántes, te, Dómine, supplíciter exorámus: ut ipsum apud tuam cleméntiam sentiámus nobis esse patrónum, quem nobis esse grátia tua providísti salútis aetérnae minístrum. Per Dóminum nostrum.

Leꝺ. i. Noꝺ. de Script. occurr.

In secundo Noꝺurno.

Leꝺio iv.

Ex Bern. Guid. et Bolland.

LICERIUS, natióne Hispánus, nóbili ortus génere, a patre suo rhetórices professóre, in humanióribus lítteris institútus est. Grátia divína ejus ánimum a púero ita firmávit, ut jam tunc viderétur natus senex. Spretis mundi illécebris, uníque Christo adhaerére cúpidus, pátriam deséruit, et Tarbam proféꝺus est, ubi florébat sanꝺus Antístes Faustus, cui se commísit erudiéndum. Post óbitum sanꝺi Praesulis, ádiit virum apostólicum Quintiánum Ruthenénsem Epíscopum, in cujus ministério Subdiáconus, Diáconus et Présbyter est ordinátus. Deínde ad Conseranénsem Ecclésam Epíscopus

diréctus est, in qua cum máximo cívium plausu fuit excéptus. In eo, ait ejus vitae scriptor, eminébat virtus pontifícii quae ad corónam glóriae quotídie crescébat.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

TARIIS quibus cláruit gestis ita suam illustrávit Ecclésiam, ut non sólitae fama sanctitátis longe latéque notus fúerit. Cum Ricosíndus dux Gothórum (qui mérito conjícitur unus fuísse e dúcibus Alaríci regis Ariáni) ad urbem diripiéndam accessísset, univérsi cives, auxílio humáno destitúti, in sancti sui Pontíficis méritis spem omnem suam collocárunt, eúmque fletu magis quam voce deprecáti sunt, ut pátriae intrántibus hóstibus peritúrae subveníret, et gregem suum dente lupi rapácis contaminári non síneret. Misericórdia motus óptimus pastor súpplices cum lácrymis fudit ad Deum preces. Quo factum ut Ricosíndus sanctum Antístitem sibi, ni cito recéderet, últimum éxitum minitántem noctu in somnis conspéxerit; unde térritus vix exspectáta luce castra movit.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio iv.

SUMMA in páuperes caritáte enítuit, multiplicátis, ut aleréntur, aliquándo pánibus. Quadragínta et quátuor annos pontificáli honóre insignítus implévit, migravítque ad Dóminum in civitáte Conseranénsi, die sexto Kaléndas Septémbris, ante médium sexti saeculi. Idem omníno censéndus est ac Glicérius ille Conseranénsis Epíscopus, qui célebri concílio Agathénsi anno quingentésimo sexto subscripsísse légitur. Meritórum splendóre quibus eum cum víveret et post tránsitum Deus illústrem fecit, consecútus est ut Ecclésia quam rexit urbsque illum in Patrónum praecípuum elígerent, ejúsque nómine sóleant nominári. Ibídem asservántur sacrae ejus relíquiae et máxima religióne colúntur.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

In Vesp. Commem. sequentis.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. Taurini,

Episc. et Mart. Semiduplex.

Oratio.

DEUS, qui beáti Tauríni Pontíficis et Mártyris ministério doctrínae christiánae thesáuros effúndere dignátus es: concéde propítius; ut ipso intercedénte, ejus vestígiis inhaeréntes, auctórem fídei et consummatórem Jesum ássequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JUXTA véterem Ecclésiae Ausciénsis traditiónem, quam plures confírmant rerum Aquitanicárum scriptóres, sanctus Taurínus Martyr primus fuit Auscórum Epíscopus. Nullum hácténus conjectúrae suae arguméntum probábile ab iis vidétur allátum qui eúmdem recénsent número quintum aut sextum inter Epíscopos Elúsae urbis, quae olim fuit totíus Novempopulániae Metrópolis, cuíque a Gothis, Saracénis vel Normánnis dírutae, cívitas Auscórum jamdúdum celebérrima, et a Ptolomaeo Augústa nuncupáta, in ea dignitáte succéssit.

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

CERTUM est autem suos Auscis fuísse peculiáres Epíscopos dum Elúsa Metropolitánae urbis júribus potiebátur, síquidem Epíscopi utriúsque illíus sedis deprehendúntur nonnúllis concíliis subscripsísse. Compértum quoque Eccl-

siam Aquitánicam nonnúllis suis Epíscopis, inter quos sanctus Phaebádius Aginnénsis éminet, quarto saeculo claruísse. Praesúlibus magni concílii Arelaténsis, quod anno trecentésimo décimo quarto contra Donatístas hábitum est, accensétur Epíscopus Elusánus, et ejus nomen inter subscriptiónes reperítur. Non dúbium est quin tum fundáta esset Ecclésia Ausciénsis; adeóque sanctus Tauŕnus censéndus vidétur circa finem tértii saeculi, vel ineúnte quarto, ejus fundaménta posuísse.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio iv.

MARTYRIUM passus est sanctus Tauŕnus, non senténtia júdicis, sed ab íncolis cujúsdam pagi, quos ea mente adíverat, ut eos ab idololatría ad Christi fidem convérteret. Cultus religiósus studióse in tota regióne ipsi usque impénsus fuit. Servántur adhuc et recolúntur ejus relíquiae in Ecclésia Metropolitána Ausciénsi, subter altáre quod sub ejus invocatióne Deo consecrátum est; ubi non pauci sancti Praesulis invocatióne sanitátem levaménque a Dómino percepérunt.

℟. Stola jucunditátis. xxx.

In iii. Nocturno, Homilia. Si considerémus. xxxi.

Vesp. a Capit. de S. Laurentio Justiniano, Episcopo et Conf.; Commem. praecedentis.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

S. Radegundis,

Viduae. *Duplex.*

Oratio.

DEUS, cujus amóre beáta Radegúndis ex aulae tumúltu, spretis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit: tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere et amáre coeléstia. Per Dóminum.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

RADEGUNDIS, fília Berthárii, Thuringórum príncipis, décimum explébat aetátis annum, cum a Clothário primo, Francórum Suessionénsium rege, in Gállias captíva ducta est. Clothárius óptimis eam magístris liberálibus erudiéndam disciplínis crédidit. Tunc Radegúndis, arréptis ávide fídei christiánae documéntis, et sponte ejuráto hereditário deórum inánium cultu, non praecépta tantum, sed et evangélica decrévit serváre consília. Detráctis ex própria mensa cibis púeros reficiébat egénos. Domesticórum contémptum et persecutiónes álacri tolerábat ánimo. Christo, quem sibi sponsum destináverat, in ómnibus studébat placére. At Clothárius exímiis captívae dótibus et elegánti decóre captus, eam sibi jamdúdum uxórem destináverat: quem honórem nec resisténtia nec fuga vitáre pótuit. Ex captíva regis facta conjux, beneficéntiam in páuperes, crebras vigílias, oratiónes assíduas, cilícii et aculeátae caténae usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitae asperitátem cum régia dignitáte conjúnxit.

℟. Propter veritátem. cx.

Lectio v.

ORPHANORUM mater, viduárum et Ecclésiae ministrórum patróna Radegúndis erat. Nullum fuit miseriárum genus, cui matérna non occúrrerit pietáte. Coeléstis haec vivéndi norma prócerum in eam irrisiónes et persecutiónes concitávit. Quamóbrem occíso fratre jussu Clothárii, ipso permitténte Radegúndis ab aula discédens, sanctum Medárdum adit, a quo monásticam vestem eníxe póstulat: quo reluctánte, sacrárium ingréssa, tonsis capíllis et accépto velo, confidénter ad eúmdem Pontíficem revérsa, ab

ipso in diaconíssam benedícta est. Pictávos profécta, ibi monastérium vírginum sub régula sancti Caesárii Arelaténsis cóndidit.

℟. Dilexísti justítiam. cx.

Lectio vi.

SA pietáte sacrifícium Eucharístiae prosequebátur Radegúndis, ut in illíus usum própriis mánibus confíceret panes, quos divérsis suppeditábat Ecclésiis. Id illi máxime curae erat, ut pro rege indesinénter preces fíerent in monastério. Missis cléricis ad Justínum imperatórem, partem ligni Domínicae crucis impetrávit, quam in monastério solémniter repóni curávit. Accénsis carbónibus ferróque candénti córporis membra, víscera autem siti cruciábat inexstinguíbili. Ita voto Martyr, juge in se perferébat martyrium. Obiit anno quingentésimo octogésimo séptimo. Corpus ejus terrae mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in dioecési obeúnda Maeróveo Pictaviénsi, cui reservátum est ut revérsus Missam celebráret, ac túmulo opérculum impóneret.

℟. Fallax grátia. cx.

In iii. Nocturno, Homilia. Coelórum regnum. cxii.

In Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

S. Severi,

Confessoris. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

CONCEDE quaesumus, miséricors Deus, ut précibus sancti Confessóris tui Sevéri in minístris tuis augeátur Spíritus grátiae quem recepérunt ; quo adjúti, gregi sibi commísso invigiláre et verbo exemplóque prodésse non desístant. Per Dóminum.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gregorio Turon., Gall. Christ., et notis Ruin. in libr. de Glor. Conf. Greg. Turon.

SEVERUS seu Sevérius in Tarbiénsi dioecési nomen dedit Abbátiae dictae sancti Sevéri de Russitáno, in valle Russitána fertilíssima Bigórrae, ad Russae flúvii ripam, octo círciter distánte leucis a civitáte Tarba. Méntio illíus fit in Martyrológio universáli ad diem primam Augústi; ubi dícitur Présbyter et parochiális Ecclésiae Saxionénsis rector. Eum nóbili stirpe natum, magna virtúte et religióne praeditum, duárum Ecclesiárum conditórem, et caritáte affectúque in páuperes illústrem commémorat sanctus Gregórius Turonénsis, in libro de Glória Confessórum.

℟. Honéstum. lxxx.

Lectio v.

SEVERUS iste Présbyter et coenóbii Bigorritáni patrónus, álius est a sancto Sevéro Abbáte Agathénsi, et ab eo qui in Vascóniae cápite cólitur Martyr. Sepúltus est in una e duábus ecclésiis quas in praedio suo Saxiénsi construxerat : ubi aedificátum est coenóbium quod Sarracéni destruxére. Illud Léntulus Bigórrae comes saeculo undécimo resarcívit, et sancto Victóri Massiliénsi subjécit.

℟. Amávit eum. lxxx.

Lectio vi.

FILII reviviscéntis miráculum, de quo Gregórius Turonénsis lóquitur, inscríptum légitur véteri conchae, in qua sancti Stéphani corpus depósitum est. Sacrae ipsíus relíquiae a Calviniánis combústae sunt, anno millésimo quingentésimo septuagésimo tértio.

℟. Iste homo. lxxx.

In iii. Nocturno, Homil. Pusíllum gregem. lxxxvi.

Vesperae de Nativit. B. M. V. ine Commemoratione.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

Pro S. Ebontio,

Episcopo et Confessore.

Lectio ix.

Ex veter. Instrum. Mss. Eccl. Conven.

EBONTIUS, nobilíssimo génere in Lusitánia ortus, monastérii sancti Victoriáni in Hispánia regulárem vitam proféssus, hujus Abbas eléctus est. Ejus virtútum fama percrebrescénte, Ecclésiae Rodiénsis Epíscopus consecrátur, quo témpore in Cataláunia saeviéntes Mauri, cathólicos gravi premébant jugo : quorum furórem ita coércuit Ebóntius, ut eos pénitus deléverit, non tam régiis armis quam précibus, Balbastrúmque óppidum libertáti restitúerit. Tunc plácuit regi Alphónso Balbastrénsem Ecclésiam, diu viduátam pastóre, Ecclésiae Rodiénsi sub eódem Ebóntio Praesule unióne sociári. Quam ob causam áliaque gravíssima Ecclesiárum negótia, semel et íterum Paschálem secúndum summum Pontíficem adíre coáctus, dum ad sedem revértitur, Cónvenas ádiit, gravíque morbo ibi corréptus, extrémum diem clausit, et apud Sarrancolinénses, qui sacris ejus exúviis gloriántur, magno honóre cólitur.

Et fit Commem. in Laudibus. Oratio. Da quaesumus. lx.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

SS. Mauritii,

et sociorum, Martyrum.

Duplex (etiam in Dioecesi, ob nsignes reliquias quae sunt in Ecclesia Cathedrali.)

Oratio.

DEUS pro te certántium fortitúdo, et coróna per te vincéntium : da nobis quaesumus; ut qui in beatórum Mártyrum Maurítii et sociórum passióne virtútem tuam praedicámus, per eámdem contra salútis hostes firma fide roborémur. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr. Si venerit in Quatuor Temporibus legitur Fratres, Debitóres. *de Communi, et Lectio ix. de Homilia Feriae occurrentis cujus fit Commemoratio in Laudibus tantum.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex S. Eucher. Lugd. Act. Mart.

SUB Maximiáno, qui a Diocletiáno colléga ascítus império statim in Gállias est proféctus, erat in exércitu légio mílitum, qui Thebaei appellabántur. Hi in auxílium novo imperatóri ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis strénui, nóbiles virtúte, sed nobilióres fide, evangélici praecépti étiam sub armis non immémores. Maximiánus sacrificatúrus idólis Octodúrum conveníre exércitum jussit, atróci propósita jussióne, ut per aras daemónibus consecrátas jurárent. Soli Thebaei id detrectáre ausi sunt. Eo ítaque cógnito, Maximiánus Agáunum mittit, ubi octávo ab Octodúro milliári inter Alpína juga conséderant, et décimum quemque ex legióne ob negléсta impéria gládio feríri jubet, céteros parére mandátis. Ubi ad Thebaeos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio passim in castris exóritur, se idolórum profána sacra semper detestatúros, extréma experíri sátius esse, quam advérsus christiánam fidem veníre.

℟. Sancti tui. lii.

Lectio v.

HIS compértis, Maximiánus ímperat ut íterum décimus eórum morti detur, et céteri nihilóminus ad ea quae spréverant compellántur. Percússus est ítaque qui décimus

sorte obvénerat. Flagrábat in illis martyrii gloriósus ardor, suadénte imprímis sancto Maurítio tunc primicério legiónis, qui cum Exupério campi ductóre et Cándido senatóre, mílitum exhortabátur síngulos, ut pro sacraménto Christi ánimas ultro profúnderent, sequerentúrque contubernáles qui jam in coelo processerant. Itaque haec Maximiáno mandáta mittunt sicut pia, ita et fórtia : Mílites sumus, imperátor, tui; sed tamen servi Dei. Tibi milítiam debémus, illi obediéntiam : tenémus ecce arma, et non resístimus. Si quid in nos ultra statúeris, ignes, torménta, ferrum subíre paráti sumus; Christiános nos fatémur.

℟. Vérbera. lii.

Lectio vi.

MAXIMIANUS despérans gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia intérfici omnes decrévit, et rem cónfici, circumfúsis agmínibus jubet. Caedebántur ítaque passim gládiis, non reclamántes saltem, aut repugnántes, sed depósitis armis, cervíces persecutóribus vel intéctum corpus offeréntes. Non vel ipsa suórum multitúdine eláti sunt, ut ferro conaréntur assérere justítiae causam : sed hoc solum reminiscéntes se illum confitéri qui nec reclamándo ad occisiónem ductus est, et tamquam agnus non apériens os suum; ipsi quoque tamquam grex Dominicárum óvium laniári se tamquam ab irruéntibus lupis passi sunt. Reveláta sunt post annos fere centum eórum córpora sancto Theodóro Octodurénsi Epíscopo, qui concílio Aquileiénsi sub sancto Ambrósio subscrípsit, et hinc delátae várias in partes eórum relíquiae, et diffúsa venerátio.

℟. Tamquam aurum. liii.

In iii. Nocturno, Homilia. Dóminus ac Redémptor. liv.

In Vesp. Commem. S. Lini, Pont. et Mart., et sanctae Theclae, Virg. et Martyris.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. Fausti,

Episcopi Tarbiensis et Conf.

Duplex. *Oratio.*

DEUS fidélium animárum pastor et rector, qui Ecclésiae tuae beátum Faustum Pontíficem elígere dignátus es : ejus nobis intercessióne concéde, et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit. Per Dóminum.

Commem. sanctae Dodae Virg. Oratio. Exáudi nos. xcii.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Bern. Guidonis in vita S. Licerii, Bolland., et Monum. in Gall. Christ. laudatis, T. 1. *coll.* 1227.

FAUSTUS, Tarbiénsis Epíscopus, vitae sanctitáte, doctrína, eloquéntia, assiduáque verbi Dei praedicatióne dignus plane fuit cui sanctus Licérius, qui deínde fuit Conseranénsis Epíscopus, sese tráderet instituéndum. Paulo post Faustus Vico-Júlium in exsílium míttitur pro Christi causa. Redeúntem ab exsílio illum secútus est sanctus Licérius, ipsíque usque ad felícem ejus óbitum adhaesit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

FLORUIT sanctus Praesul versus finem quinti saeculi. Id collígitur ex eo quod sanctus Licérius ejus discípulus mérito censeátur idem ac Glicérius ille Conseranénsis, qui synodo Agathénsi, anno quingentésimo sexto hábitae, subscripsísse deprehénditur. Sancti Fausti Tarbiénsis mentiónem habent Kalendária vétera sancti Oriéntii

Levitánei ad séptimum Kaléndas Septémbris, et pervetústum sancti Sevéri in Vascónia Martyrológium ad sextum Kaléndas ejúsdem mensis.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi. Sermo S. Maximi Episcopi. Ad sancti. *ut in Communi.* lxiv.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Lectio ix.

Pro S. Doda, Virgine.

SANCTA Doda, in dioecési Ausciénsi nata, ab antíquis tempóribus cultu religióso celebráta fuit. Hujus Vírginis mentiónem facit Martyrológium universále anno millésimo septingentésimo nono Parísiis éditum, ubi sancta Doda ab Astáraco nuncupátur; régio est comitátus Armeniacénsis, in qua sanctae Vírginis habétur memória. Quo obiérit anno ignorátur. Antíqua est in eádem regióne ecclésia sub ejus invocatióne consecráta.

Et fit Commemoratio in Laudibus.

Vesperae de S. Michaele Archangelo, Commemoratio praecedentis.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

S. Remigii,

Episc. et Confess. Duplex.

Omnia ut in Breviario hac die.

Vesperae de SS. Angelis Custodibus, Commemoratio praecedentis.

DIE XI. OCTOBRIS.

S. Savini,

Confessoris. Semiduplex. m. t. v.

Oratio. Adésto. lxxvi.

Lectiones i. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita ejus apud Labb. Bibl. Mant. t. 2. et Hist. Benearn. Petri de Marca, Mabill., etc.

SAVINUS, Barcinóne oriúndus, propínquum nómine Eutílium hábuit, comitátus Pictaviénsis administratióne célebrem: ad quem cum se contulísset, amans solitúdinis ádiit monastérium sancto Martíno Epíscopo Turonénsi olim aedificátum in território Pictaviénsi, et nómine Logogíaci cógnitum.

℟. Honéstum. lxxx.

Lectio v.

TRIBUS annis ibi exáctis, secéssit deínde ad Pyrenaeos montes, ubi intra céllulam se ábdidit, antri instar, longam septem pedes, altam quinque. Trédecim eo loci annis mansit, una conténtus túnica, et nudis incédens pédibus.

℟. Amávit eum. lxxx.

Lectio vi.

OBIIT séptimo Idus Octóbris, anno incérto, sepultúsque est in loco Levitániae, qui álias Æmiliánum palátium vocabátur, ad móntium radíces. Monastérium ibi constrúctum fuit, quod a Sarracénis destrúctum, restaurátum est et dotátum a Cárolo Magno. Quinque leucis distat a Tarba, et nómine sancti Savíni insignítur.

℟. Iste homo. lxxx.

In iii. Nocturno, Homil. Pusíllum gregem. lxxxvi.

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE XII. OCTOBRIS.

S. Gaudentii,

Martyris. Semiduplex.

Oratio.

DA, quaesumus Dómine, famíliae tuae, intercedénte sancto púero Gaudéntio Mártyre tuo, supérba non sápere, sed tibi plácita humilitáte

profícere, ut prava despíciens, quaecúmque recta sunt líbera caritáte exérceat. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vetust. chart. Capituli S. Gaudent.

GAUDENTIUS, in óppido cui nomen dedit, tráditur quinto saeculo, matre Quittéria natus, imperánte Tolósae Evaríco Gothórum rege Ariáno, qui, pulsis Romanórum relíquiis, Aquitániam invásit. Hinc in cathólicos, nulla aetátis, sexus aut conditiónis hábita ratióne, immaníssime saevíre coepit. Lugent horum témporum scriptóres, Cónvenas, Auscios, Beneárnos omni clade attrítos, evérsa templa, Epíscopos pulsos aut interféctos; abólitam religiónem, ómnium fere órdinum cléricis, carcéribus, exsílio et morte sublátis. Persecutiónis incéndia in omnem Aquitániam sparsúrus ímpius rex, in regiónem Convenárum quemdam praeféctum, saevítiae suae minístrum, nómine Malétum, misit, qui ecclésiam quam sanctus Saturnínus, Vascóniae Apóstolus, in ea urbe, cui Gaudéntius nomen relíquit, in honórem sancti Petri exstrúxerat, fúnditus delévit juveníque Gaudéntio caput abscídit.

℟. Honéstum. xxix.

Lectio v.

URBS sancti Gaudéntii duábus a civitáte Convenárum leucis ad Grúmnam sita, a sancto Mártyre nomen suum derívat. Ibi vetus exstábat oratórium, quod rudéribus antíquae ecclésiae a sancto Saturníno exstrúctae, et a bárbaris evérsae, super imposuérant: hanc sub invocatióne sancti Petri et sancti Gaudéntii undécimo saeculo ampliávit et adornávit Bernárdus quondam Epíscopus Convenárum; illúdque cléricis qui rei divínae et horis canónicis vacárent concéssit, assignátis in hunc finem cóngruis redítibus. Sancti Mártyris sui relíquias ab antiquióri aevo singulári cultu semper venerátam esse Ecclésiam Gaudentiánam, testis est translátio quam anno millésimo trecentésimo décimo quinto, die sábbati, in festo sancti Gaudéntii post festum Decollatiónis sancti Joánnis Baptístae, sede episcopáli vacánte, praeside Bertrándo de Bartha, Archidiácono Ecclésiae sancti Gaudéntii, celebrárunt canónici. Partem cápitis et ossa quaedam, anno millésimo quadringentésimo quadragésimo tértio extráxit, et seórsum in pretiósa repósuit theca argéntea Berengárius, canónicus Urgelléńsis, et Cardinális Fuxiénsis, Vicárius Generális.

℟. Desidérium. xxix.

Lectio vi.

DEMUM Galhárdus de Hospitáli, Convenárum Praesul, sacras Mártyris exúvias in capsa ahénea encáusto picta inclúsas jurídice inspéxit anno millésimo quingentésimo sexto, et sic descríbit: Duo dentes in alvéolo pósiti, pars maxíllae, frustum cránii et summi húmeri: quae ossa metu haereticórum duce Mongomério igne et ferro templa vastántium, in ecclésiam sancti Michaélis montis Avezáni, quae licet extra dioecésim, capítulo sancti Gaudéntii súbjacet, data sunt, et ibídem etiámnum religióse asservántur. Nec vanus fuit pro sacro pígnore trepidántis Ecclésiae timor; Mongomérius, depopuláta província, in urbem írruit, sancti Mártyris quae adhuc supérerant relíquias igne vorándas tradit; sed singulári Dei providéntia, pars quaedam a sacrílegis focis erépta, in ignóbili et lígnea theca prae témporis calamitáte recónditur. Réddita regno et Ecclésiae pace, Gilbértus, Convenárum Epíscopus, assisténte Joánne, sancti Pápuli Praesule, in trigésima Augústi

anni sexcentésimi sexagésimi primi supra millésimum in capsa argéntea solémniter inclúsit, quo peráсto ritu sacro, et hábita per urbem cum relíquiis solémni supplicatióne, panegyricum ad pópulum hábuit.

℟. Stola jucunditátis. xxx.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. Cap. 10. *d*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. I. *in Matth. cap.* 10.

SUPRA díxerat : Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine ; et quod in aure audítis, praedicáte super tecta : nunc infert quid post praedicatiónem sequátur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divísus est : unaquaeque domus et infidéles et credéntes hábuit, et proptérea bellum missum est bonum, ut rumperétur pax mala. Tale quid et in Génesi advérsus rebélles hómines, qui moti fúerant de Oriénte, et turrem exstrúere festinábant, per quam coeli alta penetrárent, fecísse scríbitur Deus, ut divíderet linguas eórum.

℟. Coróna áurea. xxxi.

Lectio viii.

VENI enim separáre hóminem advérsus patrem suum. Hic locus prope iísdem verbis in Michaea Prophéta scríbitur. Et notándum, ubicúmque de véteri Testaménto testimónium pónitur, utrum sensus tantum, an sermo conséntiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Qui ante praemíserat : Non veni pacem míttere, sed gládium, et divídere hómines advérsus patrem et matrem, nurum et socrum : ne quis pietátem religióni anteférret, subjécit dicens : Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cántico légimus canticórum : Ordinávit in me caritátem. Hic ordo in omni afféctu necessárius est : Ama, post Deum, patrem, ama matrem, ama filios.

℟. Hic est vere. xxxii.

Lectio ix.

ORDO pulchérrimus : ad praedicatiónem mittit, docet perícula non timénda, afféctum súbjicit religióni. Aurum supra túlerat, aes de zona excússerat : dura Evangelistárum condítio. Unde ergo sumptus, unde victus necessária? Austeritátem mandatórum spe témperat promissórum : Qui récipit, ínquiens, vos, me récipit : et qui me récipit, récipit eum qui me misit; ut in suscipiéndis Apóstolis unusquísque credéntium Christum se suscepísse arbitrétur.

Te Deum laudámus.

Vesp. a Capit. de S. Eduardo, Confessore, Commemoratio praecedentis.

DIE XVI. OCTOBRIS.

S. Bertrandi,

Convenarum Episc. et Conf.

Duplex. Oratio.

FAMILIAM tuam, Deus, in tua misericórdia sperántem coelésti prótege benígnus auxílio : ut quae de beáti Bertrándi virtútibus gloriátur, ejus méritis et intercessióne perpétua pace et unitáte laetétur. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita ejus per Vital. proton. scripta.

BERTRANDUS, génere claríssimus, natus est in Vascónia circa médium undécimi saeculi, apud Ictium castrum, quod

nunc ínsula Jordánis vocátur, in dioecési Ausciénsi. Patrem hábuit Athónem Raymúndum, matrem vero Guillélmi cómitis Tolosáni fíliam. Jam inde a pueritia egrégiam ánimi índolem pietátis stúdio cumulávit. Adoléscens, abjécto milítiae cíngulo quod súmpserat, mundo valefécit, ut Christo soli adhaeréret, adjunxítque se collégio Canonicórum Regulárium Ecclésiae Tolosánae. Ibi omni virtútum génere, sed obediéntia potíssimum et humilitáte cláruit; cum, salva morum comitáte, nihil sibi de nobilitátis antiquíssimae júribus víndicans, ómnibus se libentíssime súbderet : accedébat pia in edomándo córpore crudélitas, atque in frenándis jejuniórum, vigiliárum et oratiónum ope cupiditátibus, invícta constántia. Paulo post ejúsdem Ecclésiae creátus Archidiáconus, illud munus singulári zelo ac vigilántia adimplévit, nulla omníno re praetermíssa quae ad Ecclésiae decus et animárum salútem pertinéret.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

EXINDE lóngius diffúsa virtútum Bertrándi fama, defúncto Oggero Convenárum Epíscopo, commúni ómnium órdinum voto invítus et lácrymans ad regéndam illam Ecclésiam assúmitur, et a Guillélmo Auscitáno Archiepíscopo avúnculo suo consecrátur. Póntifex ordinátus Bertrándus, pietátis offício plus sólito incúbuit, oratióni instántius vacans, corpus cilícii asperitáte et contínuis jejúniis sevérius in dies coercébat. In praedicándo Dei verbo assíduus, in erudiéndo grege suo díligens, síngulas ipse Ecclésias pastor sollícitus visitábat, cathedrálem ecclésiam a plúribus saeculis collápsam resarcíri curávit, et claustro cingi, in quo canónicos habitáre vóluit, quibus régulam sancti Augustíni, quam ipse sequebátur, sancívit. Tanta fuit ejus fama, ut multi e divérsis regiónibus ad óppidum cui sancte praeerat convénerint, et domos in monte jamdúdum íncolis vácuo, in quo prius cívitas fúerat aedificáta, eréxerint, ipso ad constructiónem sumptus suppeditánte.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

AMORE divíno incénsus, et animárum salútis cupidíssimus, innúmeros a vitiórum coeno ad melióra redúxit. Non árdui montes, non inaccéssae valles, non praerúptae rupes, non dévia eum morabántur itínera. Hinc miráculis tanti viri sanctitátem, étiam dum víveret, testári vóluit Deus. Morti próximus, ad ecclésiam deférri vóluit, ubi post fusas ad Deum preces, data pópulo benedictióne, obdormívit in Dómino décimo séptimo Kaléndas Novémbris, anno Christi círciter centésimo vigésimo sexto supra millésimum, episcopátus sui fere quinquagésimo. Sepúltus est in majóri ecclésia ante oratórium sanctíssimae Dei Genitrícis. In sanctórum album a Cleménte quinto, qui et ipse Convenárum Epíscopus fúerat, relátus, plúrimis clarus miráculis, tanta cum veneratióne cólitur, ut ecclésia cathedrális, cujus Patrónus est, et ipsa cívitas, ejus nómine insigniántur. Peténte Hyacíntho, sanctae Ecclésiae Románae Cardináli Diácono, Vitális, Protonotárius Apostólicus, ex província Auscitána oriúndus, vitam sancti Bertrándi, elápsis ab ejus morte círciter quadragínta annis, conscrípsit.

℟. Iste est. lxv.

In tertio Nocturno, Homilia.

Léctio sancti Evangélii. lxvi.

In Vesperis Commem. sanctae Hedwigis, Viduae.

DIE XXI. OCTOBRIS.

S. Ursulae,

et sociarum ejus, Virg. et Mart. Duplex. Oratio.

DEUS, qui singulári providéntia beátam Ursulam et sócias ejus ad virginitátis et Martyrii palmam provexísti : da nobis eárum intercessióne, ita vários saeculi aestus pertransíre, ut ad aetérnae salútis portum felíciter perveníre mereámur. Per Dóminum.

Commem. S. Hilarionis, Abb. ut in Breviario.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Act. apud Sur. Wandalbert. et aliis.

URSULA, quae et Saula, Martha, virginésque áliae plures, in excídio Británniae, de quo Gildas sápiens scripsit, cum plúrimi, eódem teste, transmarínas terras péterent, in advérsum Germániae littus delátae sunt, et a bárbaris, qui regiónem tunc vastábant, hostíliter abdúctae, prope Colóniam Agrippínam ad ripam Rheni, pro Christi nómine occísae sunt. Eárum córpora sepúlta sunt Colóniae, ubi plúrimis nobilitáta miráculis, magna fidélium veneratióne multis abhinc saeculis colúntur.

℟. Propter veritátem. xcvi.

Lectio v.

FUXIT et celebritátem loci sanctus Anno, ejúsdem Ecclésiae Epíscopus, qui singulári erga beátas Mártyres pietáte afféctus, ad sacros illárum cíneres saepius pernoctábat. Sed et e sacris hujus basílicae túmulis plúrimae relíquiae in várias Gálliae partes allátae plúrimas regni Ecclésias ditavérunt. Inter quas Parísiis éminet basílica collégii Sorbónici, quae Ursulae patrocínio jamprídem consecráta, duo sanctárum Mártyrum cápita in sacrário suo olim conservábat.

℟. Dilexísti justítiam. xcvii.

Lectio vi. Quóniam hódie. *de Communi* xcvi. ℟. Afferéntur.

In iii. Nocturno, Homil. Saepe vos, fratres. xcviii.

Lectio ix. e duabus una S. Hilarionis, et Commem. in Laud.

In Vesperis, Commem. sequent.

DIE XXII. OCTOBRIS.

S. Exuperii,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

DOMINE Jesu Christe, qui ex dívite propter nos egénus factus es, ut inópia tua dívites redderémur : concéde propítius, ut beáti imitatóris tui Exupérii Confessóris tui atque Pontíficis vestígiis inhaeréntes, contémptis fallácibus mundi divítiis, aetérna praemia cónsequi mereámur. Per Dñum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex S. Hieron. et Bolland.

EXUPERIUS natus Arrei, in valle Aura dioecésis Tarbiénsis, post óbitum sancti Sylvii, univérso plaudénte clero et pópulo, ad Tolosánam sedem evéctus est. Doctrína, sanctitáte, sed praecípue effúsa in páuperes caritáte, dignus qui inter Gallicános tunc témporis Praesules primus numerétur. Tolósam a furóre Vandalórum, univérsas Gállias vastántium, liberávit. Quod réferens sanctus Hierónymus ait : Non possum absque lácrymis Tolósae fácere mentiónem, quae ut huc usque non rúeret, sancti Epíscopi Exupérii mérita praestitérunt.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

VIGILANTIUM erróres disseminántem représsit Exupérius; ecclesiásticos mores simoníaca labe inféctos

felíciter expurgávit. Tandem consummáto ópere, Blagnáci, prope Tolósam, obdormívit in Dómino, anno círciter quadringentésimo décimo séptimo. Ejus relíquiae Tolósam translátae sunt, quarum pars quaedam concéssa Arreo, ubi sub sancti Exupérii invocatióne non ignóbile templum sui exstruxérunt concíves.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

De Ep. S. Hieronymi Presb. ad Rusticum Monachum.

SANCTUS Exupérius, Tolósae Epíscopus, víduae Sarepténsis imitátor, esúriens pascit álios ; et ore pallénte jejúniis, fame torquétur aliéna : omnémque substántiam Christi viscéribus erogávit. Nihil illo dítius, qui corpus Dómini canístro vimíneo, sánguinem ejus portat in vitro ; qui avarítiam ejécit de templo ; qui absque funículo et increpatióne cáthedras vendéntium colúmbas, id est, dona Spíritus sancti, mensásque subvértit mammónae, et nummulariórum aera dispérsit : ut domus Dei vocétur domus oratiónis, et non latrónum spelúnca. Hujus e vicíno sectáre vestígia, et ceterórum qui virtútum illíus símiles sunt, quos sacerdótium et humilióres facit et páuperes. ℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Vesp. de seq., Comm. praeced.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

S. Leothadii,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

MISERICORDIAM tuam nobis, quaesumus Dómine, beáti Confessóris tui atque Pontíficis Leothádii intercéssio gloriósa concíliet : ut qui peccándo gráviter te offéndimus, assíduis ipsíus précibus ab omni reátu liberémur. Per Dñum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Cointio Annal. Eccl. Franc. et Gall. Christ.

LEOTHADIUS Epíscopus, cum Ausciénsi Ecclésiae per annos septem ac vigínti sanctíssime praefuísset, anno septingentésimo décimo octávo ad Deum migrávit décimo Kaléndas Novémbris. Annus ex vetéribus membránis Ausciénsis Ecclésiae collígitur. Dies in Kalendário Cluniacénsi, in Martyrológio Benedictíno et in suppleménto Martyrológii Gallicáni notátur. Ipsum fuísse Abbátem Moissiacénsem in dioecési Cadurcénsi, ántequam Ausciénsem cáthedram conscénderet, plures opináti sunt. Sed illi conjectúrae témpora consentíre non vidéntur.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

DE Leothádii morte, sepultúra et miráculis haec peculiáriter habet auctor Martyrológii Gallicáni. In Burgúndia, quo pro utilitáte ecclesiástica proféctus erat, ad suórum labórum metas pervénit, placidáque morte in Christo, qui vera vita est, requiévit. Corpus ejus ad própriam sedem revéctum, et in summa aede sanctíssimae Vírginis Deíparae cónditum, signis glóriae plerísque effúlsit, ex quibus id efféctum ut fidélis pópuli votis, tamquam gratus apud Deum suffragátur, jam abhinc fúerit invocátus, quibus largiénte Dómino non raro opitulátur.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

De Expositióne sancti Hierónymi in Epístolam primam ad Timótheum.

FIDELIS sermo : Si quis episcopátum desíderat. Primum láicos instítuit Apóstolus : de quibus óptimi quique in sacerdótium eligúntur ; et sic dicit quales débeant ordinári. Bonum opus desíderat. Ad boni

óperis desidérium eum próvocat, non ad honórem. Opórtet Epíscopum irreprehensíbilem esse, sóbrium et mente et córpore. Ornátum, prudéntem, pudícum. His ómnibus spirituálibus ornaméntis. Ad humanitátis opus cuncta plebs rectóris forma provocétur. Doctórem. Tam verbo quam exémplo; quia Angelus Dei omnipoténtis est. Non percussórem. Sive ne sit pétulans ad caedéndum : sive ne malo exémplo consciéntias fériat infirmórum. Sed modéstum. Qui ómnia fáciat cum mensúra. Non litigiósum, non cúpidum. Servum Dei non opórtet litigáre. Lites autem et júrgia máxime ex cupiditátibus oriúntur. Opórtet autem et illum testimónium habére bonum ab his qui foris sunt. Omnes enim naturáliter novérunt culpáre vítia, et laudáre virtútes. Ut non in láqueum íncidat diáboli. Ut non per illum diábolus multos in láqueum téneat, qui possint fíeri Christiáni.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Lectio ix. de Vigilia SS. Apostolorum Simonis et Judae, et Commem. in Laudibus.

Vesp. de SS. Simone et Juda, Apost. sine Commemoratione.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

S. Caesarii,

Episc., Conf., et Eccles. Doctoris.

Duplex. m. t. v.

Oratio. Deus, qui pópulo. lxi.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita ejus per discipulos suos scripta.

CAESARIUS, Cabilóne claro génere ortus, in ínsula Lirinénsi sub Porcário Abbáte mónachus, et póstea cerellárius fuit. Quo múnere post breve tempus absolútus, ita per jejúnia, vigílias et orándi stúdium vires córporis attrívit, ut Arelátem valetúdinis recuperándae causa missus fúerit. Illic cum Æónio, Arelaténsi Antístite, statim ob sacrae doctrínae desidérium junxit consuetúdinem. Is Caesárium, perspécta morum ejus innocéntia, Diáconum, et tandem, impetráto Porcárii Abbátis consénsu, Presbyterum ordinávit, et Arelaténsi Ecclésiae adscrípsit, in quo nihilóminus cursum canónicum institutiónis monásticae, máxime vero humilitátem, caritátem, obséquium, et patiéntiam monastérii semper retínuit. Hinc triénnio fere ante mortem Æónii, suburbánae ínsulae monastério ab eódem praeféctus est; qui cum eum jamprídem sibi successórem cúperet, suum hac de re votum cívibus et Gothórum princípibus expósuit. Caesárius vero ne id fíeret, arrépta fuga, in sepúlcris aliquámdiu delítuit : verum, Deo sic volénte, detéctus et invéntus, pontificátus quidem onus, cogénte caritátis necessitáte, suscépit, sed sublevánte quam non dimísit contemplatiónis suavitáte, lénius tolerávit.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

TERTIAE, Sextae et Nonae Offícia in majóri basílica sancti Stéphani instítuit, laicósque hortabátur Dei laudes in ecclésia cánere, ut eos a fábulis avocáret. Ter apud reges Gothos proditiónis accusátus, ac tóties in exsílium et in cárcerem detrúsus, ter innocéntia ejus manifestis arguméntis comprobáta, absolútus est, et ad Ecclésiam suam remíssus. In hac síngulis fere diébus praedicábat; áliis vero ecclésiis homilías pópulo recitándas suppeditábat : inter bella quibus tunc ferè contínuis Arelaténsis província deflagrábat, captívis rediméndis sacram supelléctilem distráhere non dubitávit, in hoc cum Ambrósio conséntiens, ei displicére

non posse de supelléctili sua dari redemptiónem, qui prius semetípsum pro redemptióne hóminis tradidísset. Puelláre coenóbium ante haec bella in civitáte constrúere coeperat, ut Vírginum choris Arelaténsium Ecclésia et cívitas munirétur. Quo tandem instauráto atque perfécto, Caesáriam sorórem praepósuit Abbatíssam. Exstat háctenus inter régulas patrum institutiónis norma quam illi praescrípsit; cujus prima lex erat, ut nulli unquam licéret exíre e monastério. A Symmácho Papa, qui eum Romam invitáverat, humaníssime excéptus est, et pállii dignitáte auctus.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

PLURIBUS intérfuit praefuítque concíliis; imprímis Arausicáno secúndo, in quo de grátia et líbero arbítrio vigínti quinque cánones promulgáti sunt; in quibus inter cétera definítum est cánone quinto, quod si quis, sicut augméntum, ita étiam inítium fídei, ipsúmque credulitátis afféctum naturáliter nobis inésse dicat, apostólicis dogmátibus adversári comprobétur. Hoc erróre damnáto, sana de Christi grátia doctrína ex ipsis Augustíni senténtiis sancíta est, juxta capítula quae a Felíce, Románo Pontífice, auctoritáte Sedis Apostólicae muníta Caesárius suscéperat. Scripsit Caesárius speciálem librum de grátia Dei et líbero arbítrio, advérsus senténtiam Fausti, Rhegiénsis Epíscopi, et in Scriptúram enarratiónes, et homilías cum epístolis super vária rerum divinárum arguménta, viris religiósis, ut in appéndice Gennádii légitur, omníno necessárias; unde post Irenaeum et Hilárium praecípuus Ecclésiae Gallicánae doctor agnóscitur. Demum exáctis in pontificátu annis quadragínta, prídie festum sancti Augustíni, uti se et optáre et desideráre díxerat, e vivis excéssit, anno aetátis septuagésimo tértio, Christi quingentésimo quadragésimo secúndo, et in basílica sanctae Maríae sepúltus est.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Osténdit Dóminus. lxxiii.

In Vesperis Commem. sequent.

DIE XXX. OCTOBRIS.

S. Grati,

Episc. et Conf. Semiduplex.

Oratio. m. t. v.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui ad immortáles triúmphos beátum Gratum Confessórem tuum atque Pontíficem extulísti: da nobis dignam pro ejus veneránda solemnitáte laetítiam; et praesta, ut qui in ejus patrocínio gloriámur, sanctis móribus ad ejus mereámur perveníre consórtium. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Gall. Christ. et Monumentis Eccl. Oleron.

GRATUS ineúnte saeculo sexto Oleronénsem regébat Ecclésiam. Subscrípsit enim célebri concílio Agathénsi, quod anno Christi quingentésimo sexto ex Epíscopis provinciárum Arelaténsis, Narbonénsis, Auscitánae seu Elusánae, Burdigalénsis, Bituricénsis et Turonénsis congregátum est, praeside sancto Caesário Arelaténsi. Quid praetérea Gratus égerit, et quo témpore extrémum diem obíerit, incértum: sed illum exímii pastóris partes omnes implevísse, et sanctíssime decessísse constat; antiquíssimo quippe ritu cólitur hac die ejus memória in Ecclésia Oleronénsi, quae jamprídem ejus patrocínio gloriátur. Caput ejus cum maxílla superióri in capsa argéntea servávit ecclésia háctenus éadem.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

RELIQUUM córporis quod ob haereticórum furóres Jaccam in Hispánia translátum fúerat, inde in ecclésiam Oleronénsem, mótibus compósitis, relátum fuísse collígitur ex actis inventiónis córporis sacri, anno millésimo septingentésimo décimo, a Jósepho, Oleronénsi Epíscopo, ecclésiam cathedrálem visitánte, circumstántibus multis tum canónicis alilsve de clero, tum magistrátibus et cívibus, repérti intra murum supra eum locum in quo sacrosáncta Eucharístia asservátur. Etenim huic sacro córpori, Hispánicis séricis involúto, deest caput, sola maxílla inferióre supérstite, quae colláta jurídice maxíllae superióri cápitis beáti Grati, cum ipsa aptíssime cohaeret. Desunt vero ossa quaedam, quorum partem Ecclésia Jaccénsis se ex canónicis Oleronénsibus accepísse fatétur in grátiam servati sancti depósiti.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

EX eo témpore Ecclésia Jaccénsis Missam in honórem sancti Grati quotánnis hac ipsa die solémniter célebrat in capélla sancto Pontífici sacra. Ejúsdem relíquias, capsa argéntea clausas, in solémnibus supplicatiónibus circúmfert. Váriis autem et insígnibus miráculis ad haec usque témpora probávit Deus quam accéptum hábeat cultum sancto Praesuli impénsum. ℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Vesperae de sequenti, Commemoratio praecedentis.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

Omnium SS. Episcoporum, Presbyterorum et aliorum Ministr. Eccl. Tarbiensis. Dupl. majus.

Omnia de Communi Confess. Pontificis, praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, da spíritum sapiéntiae suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiae tuae, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia aetérna pastórum. Per Dóminum.

Lect. i. Noct. Laudémus viros gloriósos. lxix.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Sermo sancti Bernardi Abbatis in Cant. 76.

INVENERUNT me vígiles qui custódiunt civitátem. Qui vígiles hi? Nempe illi quos Salvátor in Evangélio beátos pronúntiat, si, cum vénerit, invénerit vigilántes. Quam boni vígiles, qui nobis dormiéntibus ipsi pervígilant, quasi ratiónem reddituri pro animábus nostris! Quam boni custódes, qui vigilántes ánimo, et in oratiónibus pernoctántes, hóstium insídias sagáciter explórant, antícipant consília malignántium, deprehéndunt láqueos, elúdunt tendículas, retiácula díssipant, machinaménta frustrántur! Hi sunt fratrum amatóres et pópuli christiáni, qui multum orant pro pópulo et univérsa civitáte. Hi sunt qui multum sollíciti pro commíssis sibi óvibus, cor suum tradunt ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illos, et in conspéctu Altíssimi deprecántur, sciéntes suam insufficiéntiam in custodiénda civitáte, et quia nisi Dóminus custodíerit civitátem, frustra vígilat qui custódit eam.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

FUERUNT qui se totos óvibus pascéndis expónerent, pastóris ópere et nómine gloriántes; nihil sibi reputántes indígnum, nisi quod salúti óvium obviáre putárent; non quaeréntes quae sua sunt, sed impendéntes. Impéndere

curam, impéndere substántiam, impéndere et semetípsos. Unde unus illórum : Et ego, ait, superimpéndar pro animábus vestris. Et tamquam dícerent, non vénimus ministrári, sed ministráre; ponébant, quóties oportuísset, sine sumptu Evangélium. Unus erat de súbditis quaestus, una pompa, únaque volúptas, si quómodo eos possent paráre Dómino plebem perféctam. Id omnímodis satagébant étiam in multa contritióne cordis et córporis, in labóre et aerúmna, in fame et siti, in frígore et nuditáte. Ubi nunc, quaeso, consuetúdo haec? Súbiit dissímilis valde. ℟. Pósui. lxiv.

Lectio vi.

Serm. 1. *in Vigil. SS. Petri et Pauli.*

CONFUNDAMUR, fratres, si forte haec confréria addúcat nobis glóriam, géneret grátiam vobis timor iste. Hómines isti fuérunt, qui praecessérunt nos, qui tam mirabíliter praecessérunt per vias vitae, ut vix eos hómines fuísse credámus. Sic ergo in sanctórum festivitátibus et gaudére, et confúndi debémus. Gaudére, quia patrónos praemísimus; confúndi, quia eos imitári non póssumus. Ita semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet, ut semper non solum extréma, sed prima gáudii luctus óccupet : quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. ℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homil. Ut ignorántiam illam. lxx. *Lectio ix. de Homilia Vigil. omnium Sanctorum, cujus fit Comm. in Laud.*

Vesperae de festo omnium Sanctorum sine Commem. praeced.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

S. Brictii,

Episcopi et Conf. Semiduplex.

Oratio. Da, quaesumus. lx.

Lect. i. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Historia Ecclesiastica Francorum sancti Gregorii Turonensis Episcopi. Lib. 2. *Cap.* 1. *et Lib.* 10. *Cap.* 31.

BRICTIUS, civis Turónicus, cum esset primaevae aetátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quadam autem die Bríctium Diáconum vir beátus allóquitur : En ego, Bricti, delírus tibi vídeor? Amen dico tibi quia obtínui apud Deum ut post meum tránsitum ad pontificátus honórem accédas; sed nóveris te in episcopátu multa advérsa passúrum.

℟. Invéni David. lxiv.

Lectio v.

ADEPTUS ergo Bríctius, consentiéntibus cívibus, anno Arcádii et Honórii secúndo, pontificátus offícium, oratióni vacábat. Anno autem ordinatiónis ejus trigésimo tértio, óritur contra eum lamentábilis causa pro crímine, illo viríliter negánte. Illis vero non credéntibus, sed contradicéntibus, tráhitur, calumniátur, ejícitur, ut sermo sancti adimplerétur. Hoc enim ejécto, Justiniánum in episcopátu constítuunt.

℟. Pósui adjutórium. lxiv.

Lectio vi.

AT Bríctius Epíscopus Romam véniens cuncta quae pertúlerat Papae refert : ibíque plerúmque Missárum solémnia célebrans, quidquid in sanctum Martínum delíquerat, defléndo díluit. Séptimo ígitur anno immúnis invéntus a crímine, ad urbem suam redíre jussus est. Fuerúntque omnes anni episcopátus ejus quadragínta septem; obiítque et sepúltus est in basílica quam super sanctum Martínum aedificávit.

℟. Iste est. lxv.

In iii. Nocturno, Homilia. Léctio sancti Evangélii. lxvi.

Vesperae de sequenti, Commem. praeced. et alterius S. Saturnini, Mart. ut in Breviario, per Ant. et ℣. e Laudibus.

DOMIN. POST OCTAVAM OMNIUM SANCTORUM.

In Anniversario Dedicationis Omnium Ecclesiarum Galliae.

Duplex i. classis cum Octava.

Indultum die 9 Aprilis 1802 datum decernit, ut Anniversar. Dedicationis omnium Ecclesiarum in Gallicano territorio erectarum, in Domin. quae Octavam festi omnium Sanctorum proxime sequitur in cunctis Galliarum Ecclesiis celebretur.

Omnia de Communi Dedicat. Ecclesiae, ut in Breviario cum ix. Lectione de Homilia Dominicae occurrentis et ejus Commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus.

Imprimatur.

✠ C. A. Episc. Tarbiensis.



Kalendarium
SUPPLEMENTI TARBIENSIS.

Festa Mobilia.

Feria III. post Domin. Septuag. Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti, *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. clxxxix.)
Feria III. post Domin. Sexag. Passionis D. N. J. C. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. cxciv.)
Feria VI. post Cineres. SS. Spineae Coronae D. N. J. C. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. cxcix.) Commem. Feriae.
Feria VI. post Domin. I. Quadrag. SS. Lanceae et Clavorum D. N. J. C. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. cciv.) Commem. Feriae.
Feria VI. post Domin. II. Quadrag. SS. Sindonis D. N. J. C. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccviii.) Commem. Feriae.
Feria VI. post Domin. III. Quadrag. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccxiii.) Commem. Feriae.
Feria VI. post Domin. IV. Quadrages. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccxvi.) Commem. Feriae.
Dom. II. post Pascha, SS. Reliquiarum, *dupl. maj.* Commem. Dom. 23
Dom III. post Pascha, Patrocinii S. Joseph. (Ut in Brev. 795.)
Dom. IV. post Pascha, B. M. V. de Pace, *dupl. maj.* Commem. Dom. 24
Dominica secunda Julii, Festum SS. Cordis Jesu, *duplex ii. classis.* 828. Commem. Dominicae.
Dominica post Octavam Assumptionis, Festum purissimi Cordis B. M. V. *duplex majus.* Commem. Dominicae. 37
Dominica prima Septembr. S. Angeli Custodis, *duplex ii. classis cum Octava.* (Ad calcem Brev. post pag. cclxxiv.) Commem. Dominicae.
Dominica secunda, Dies Octava S. Angeli Custodis, *duplex.* Commem. Dominicae.
Dominica secunda Octobris, Maternitatis B. M. V. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccxxv.) Commem. Dominicae.
Dominica tertia Octobr., Puritatis B. M. V. *duplex majus.* (Ut in Append. Breviarii. ccxxix.) Commem. Dominicae.
Dominica quarta Octobr., Patrocinii B. M. V. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccxxxiii.) Commem. Dominicae.
Dominica post Oct. Omnium Sanctorum, In Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum Galliae, *duplex i. classis cum Octava.* Commem. Dominicae. 53

Festa Fixa.

November.

XXIX. S. Saturnini, Episc. et Mart. *duplex.* 1

December.

I. S. Pauli, Episc. et Conf. *semiduplex.* 2
IV. Sanctae Barbarae, Virg. et Mart. *duplex.* 3
V. S. Petri Chrysologi, Episc. Conf. et Ecclesiae Doctoris, *duplex.* (Ut in Brev. *ex IV. hujus.* 682.) Comm. Feriae et S. Sabae.
X. Translationis Almae Domus Lauretanae B. Mariae Virg. *duplex majus.* (Ut in App. Brev. ccxxxvii.)
XII. De Octava Immac. Conceptionis. *semiduplex.* Commemoratio sanctae Valeriae, Virg. et Mart. 4
XVIII. Exspectationis Partus B. M. V. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccxli.)
XIX. S. Austindi, Episc. et Conf. *semiduplex.* 4
XXII. S. Vincentii, Episc. et Mart. *semiduplex.* 5
XXVI. Omnium SS. Martyrum Commemoratio. 5

Januarius.

IV. Sanctae Faustae, Virg. et Mart. Commemoratio. 6
XXIII. Desponsationis B. M. V. *dupl. maj.* (Ut in App. Brev. ccxlv.)
XXVIII. S. Raymundi de Pennafort, Conf. *semiduplex.* (*ex XXIII. hujus.* 728.)

Februarius.

IV. Sanctae Joannae Valesiae, Viduae, *duplex.* 6
VI. S. Andreae Corsini, Episc. et Conf. *duplex.* (Ut in Append. Brev. *ex IV. hujus.*)
IX. Sanctae Apolloniae, Virg. et Mart. *duplex.* 6
XI. Sanctae Genovefae, Virg. *duplex.* 7
XII. S. Galactorii, Episc. et Mart. *semiduplex.* 7
XIII. SS. Geruntii et Severi, Mart. *semiduplex.* 7
XIX. S. Fulgentii, Episc. Conf. et Doct. *duplex.* 8
XX. S. Valerii, Episc. et Conf. *semiduplex.* 8
XXVI. Sanctae Bathildis, Viduae, *duplex.* 9
XXVII. S. Amandi Trajectensis, Episc. et Conf. *semiduplex.* 9

Martius.

I. S. Leonis, Episc. et Mart. *semiduplex.* 10
II. S. Cyrilli Alexandrini, Episc. Conf. et Doct. *duplex.* 10
III. S. Alexandri, Episc. et Mart. *semiduplex.* 13
V. S. Luperculi, Episc. et Mart. *semiduplex.* 13
XI. S. Caerasii, Episc. et Conf. *semiduplex.* 14
XIII. S. Cyrilli, Episc. Conf. et Doct. *duplex.* 14
XIV. Sanctae Mariae Ægyptiae, Poenit. *semiduplex.* 15
XV. S. Eutropii, Episc. et Mart. *semiduplex.* 16
XVI. S. Orientii, Episc. et Conf. *semiduplex.* 17
XVIII. S. Gabrielis, Archangeli, *dupl. maj.* (Ut in Append. Brev. ccl.)
XXII. Sanctae Rictrudis, Viduae, *semiduplex.* 18
XXIII. S. Pachomii, Abbatis, *semiduplex.* 18
XXIV. S. Epiphanii, Episc. Conf. et Doct. *duplex.* 19
XXVIII. S. Justini, Episc. et Conf. *duplex.* 19

Aprilis.

XVI. S. Mamerti, Episc. et Conf. *semiduplex.* 20
XX. S. Germani, Episc. et Conf. *semiduplex.* 21
XXIV. S. Phoebadii, Episc. Commemoratio. 22
XXVII. S. Clari, Episc. et Mart. *duplex.* 22

Maius.

II. Apparitionis S. Bertrandi, Conv. Episc. et Conf. Commem. 24
VII. S. Misselini, Conf. Commemoratio. 25
XII. S. Hygini, Conf. Commemoratio. 26
XVI. S. Joannis Nepomuceni, Mart. *duplex.* 26
XXI. S. Ubaldi, Episc. et Conf. *semiduplex.* (*ex XVI. hujus.* 817.)
XXII. Sanctae Quitteriae, Virg. et Mart. *semiduplex.* 26
XXIV. B. M. V. titulo Auxilium Christianorum. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. cclix.)
XXIX. BB. Garciae de Aura et soc. Mart. *duplex.* 27

Junius.

II. SS. Pothini, Blandinae et soc. Mart. *semiduplex.* 28
VIII. S. Medardi, Episc. et Conf. *semiduplex.* 29
XIII. S. Aventini, Mart. Commemoratio. 29
XVI. S. Francisci Regis, Conf. *duplex.* (Ut in App. Brev. cclxxxv.)
XVII. Sanctae Clotildis, Francorum Reginae, Viduae, *duplex.* 30
XXVII. SS. Irenaei, Doct. et soc. Mart. *duplex.* 31
XXIX. Commem. Omnium SS. Apostolorum. 32

Julius.

III. S. Martialis, Episc. et Conf. *duplex.* 32
VII. S. Prosperi, Conf. et Doct. *duplex.* 33

IX.	S. Amandi, Episc. et Conf. *semiduplex.*	34
XX.	Sanctae Margaritae, Virg. et Mart. *duplex.*	35
XXI.	S. Hieronymi Æmiliani, Conf. *duplex.* (*ex XX. hujus.* 899.)	

Augustus.

IX.	S. Africani, Convenarum Episc. et Conf. *semiduplex.*	35
XV.	Votum Ludovici XIII.	36
XVI.	S. Rochi, Conf. *duplex.* (Ut in Append. Brev. cclxiv.)	
XVIII.	S. Hyacinthi, Confessoris, *duplex.* (*ex XVI. hujus.* 947.)	
XXI	S. Juliani, Episc. et Conf. Commemoratio.	36
XXV.	S. Ludovici, Francorum Regis, Conf. *duplex.* (960.)	
XXVIII.	S. Augustini, Episc. et Doct. *in Cathedrali duplex i. classis cum Octava.*	37

September.

III.	S. Licerii, Episc. et Conf. *duplex.*	37
IV.	S. Taurini, Episc. et Mart. *semiduplex.*	38
VI.	Sanctae Radegundis, Viduae, *duplex.*	39
VII.	S. Severi, Conf. *semiduplex.*	40
XII.	S. Ebontii, Episc. et Conf. Commemoratio.	41
XXII.	SS. Mauritii et soc. Mart. *duplex.*	41
XXV.	S. Thomae de Villanova, Episc. et Conf. *duplex.* (*ex XXII. hujus.* 1004.)	
XXVIII.	S. Fausti, Episc. et Conf. *duplex.*	42

October.

I.	S. Remigii, Episc. et Conf. *duplex.*	43
III.	S. Wenceslai, ducis et Mart. *semid.* (*ex XXVIII. hujus.* 1008.)	
XI.	S. Savini, Conf. *semiduplex.*	43
XII.	S. Gaudentii, Mart. *semiduplex.*	43
XVI.	S. Bertrandi, Episc. et Conf. *duplex.*	45
XXI.	Sanctarum Ursulae et soc. ejus, Virg. et Mart. *duplex.*	47
XXII.	S. Exuperii, Episc. et Conf. *semiduplex.*	47
XXIII.	SS. Redemptoris. *duplex majus.* (Ut in Append. Brev. ccxvi.)	
XXIV.	S. Raphaelis Archangeli, *dupl. maj.* (Ut in App. Brev. cclxv.)	
XXVII.	S. Leothadii, Episc. et Conf. *semiduplex.*	48
XXIX.	S. Caesarii, Episc. Conf. et Doct. *duplex.*	49
XXX.	S. Grati, Episc. et Conf. *semiduplex.*	50
XXXI.	Omnium SS. Episcoporum, Presbyterorum et aliorum Ministrorum Ecclesiae Tarbiensis, *duplex majus.*	51

November.

XIII.	S. Stanislai Kostkae, Conf. *dupl.* (Ut in Append. Brev. cclxx.)	
XIV.	S. Didaci, Conf. *semiduplex.* (*ex XIII. hujus.* 1064.)	
XXVIII.	S. Brictii, Episc. et Conf. *semiduplex.*	52

Officia Votiva.

Officium sanctissimi Sacramenti, *semiduplex*, ut in fine Breviarii.
Officium Immaculatae Conceptionis, *semiduplex*, ut in fine Breviarii.

Officia mysteriorum et instrumentorum Dominicae passionis cum respondentibus Missis erunt integre propria, ut a Clero saeculari Urbis recitantur, et quoties in designatis Feriis locum habere nequeunt, ob occursum alterius Officii potioris tantum ritus, transferantur ad primas insequentes dies liberas juxta rubricas; verumtamen non ultra Quadragesimam.

Imprimatur.

Tornaci, 30 Junii 1877.

D. G. HALLEZ V. G.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS URGELLENSIS.

FESTA MAJI.

DIE XXII. MAJI.

In Festo SS. Torquati, Chtesiphontis, Secundi, Indaletii, Cœcilii, Hesychii et Euphrasii, Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart. temp. Pasch., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Chtesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cœcílium, Hesychium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: concéde propítius, ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno Lectiones ut in festo S. Torquati, H.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. **Ego sum vitis vera**, de j. loco.

DIE XXVIII. MAJI.

In Festo S. Justi, Episc. et Confessoris.

Duplex ij. classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, Aña. **Justus ut palma florébit, sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.**

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus Dómine grátia cœléstis amplíficet; quam beáti Justi, Confessóris tui atque Pontíficis, illustráre voluísti gloriósis méritis ac doctrínis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Comm. Conf. Pont. j. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Urgellum, urbs citerióris Hispániæ, in Cataláunia atque Urgelléensis olim comitátus caput, suórum Præsulum sanctimónia excélluit. Nam ut taceámus de Hermengáudo et Odóne, quibus quasi sole et luna ornáta respléndet, plúrimis áliis sanctíssimis Antistítibus illustráta est tam ante, quam post Saracénicam vastatiónem. Prióorum tamen memóriæ certæ periérunt in urbe ab Saracénis parta ruína. Nihilóminus ádeo Sancti Justi Urgellénsis Epíscopi notítia longe latéque diffúsa fúerat, ut eum et magnum Epíscopum fuísse, et scriptórem ecclesiásticum, ac váriis concíliis subscripsísse, indúbiis constet monuméntis.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Valentiæ, ut vidétur, in Hispánia ortus tres hábuit fratres, qui simul cum eo Epíscopi álias Ecclésias sanctitátis

fama clari gubernárunt. Justiniánus enim Valéntiæ Epíscopus fuit, Nebrídius Egáræ quæ nunc Tarrássa dícitur, Elpídius autem ignótæ Ecclésiæ. Justus licet post finem secúndi Toletáni concílii, una cum Nebrídio fratre, Tolétum advénerit, tamen his verbis subscrípsit : « Justus in Christi nómine Ecclésiæ Urgellitánæ Epíscopus, hanc constitutiónem consacerdótum meórum in Toletána urbe hábitam, cum post aliquántulum témporis advenéssem salva auctoritáte priscórum Cánonum, relégi, probávi et subscrípsi. » Subscrípsit étiam concílio Provinciáli Hérdæ hábito sub Amalaríco Gothórum rege ac Justiniáno Imperatóre.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Sed quod multo celébrius Justi nomen réddidit, est ejus exposítio brevis quidem, áttamen sententiárum ditíssima, quam super Cántica scripsit, ac Sérgio Tarraconénsi Archiepíscopo, Metropolitáno suo et amicíssimo, dicávit. Sanctus Isidórus Hispalénsis in suo de viris illústribus libro hæc de sancto Justo scribit : « Justus Urgellitánæ Ecclésiæ Hispaniárum et frater prædícti Justiniáni, édidit libéllum expositiónis in Cántica Canticórum totum valde bréviter, atque apérte, per allegoríam sensum discútiens. » Scripsit étiam sermónem de sancto Vincéntio Mártyre Valentíno. Tandem zelo pro glória Dómini sui æstuans, virtútibus ac méritis plenus, obdormívit in Dómino circa annum, a reparáta salúte, quingentésimum quinquagésimum. Ejus sacri córporis exúviæ, calamitátibus bellórum, quibus máxime afflícta est Urgellénsis cívitas, disparuére : eárum tamen pars, saltem a sæculo décimo quarto, cólitur et sub ara máxima compósita est.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxiv. 42-47.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxxvii. *n.*o 3.

Non dixit, néscio, sed nescítis; cum enim ipsos ad illam pene horam deduxísset et constituísset, rursus ab interrogándo ávocat, quod velit ipsos semper esse sollícitos. Proptérea dicit : Vigiláte, osténdens se hac de causa dícere noluísse. Illud autem scitóte quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti quia qua hora non putátis Fílius hóminis véniet. Proptérea dicit qua hora non expectátis véniet, ut sollícitos reddat et virtútis coléndæ studiósos. Illud autem sibi vult, si scirent pleríque hómines quándonam sint moritúri, diligéntiam suam circa illam horam exhibérent.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Ne ígitur de illa sola sollíciti essent, neque commúnem illam diem neque cujúsque ho-

ram declarávit, ut semper illam expectárent, sempérque eódem stúdio teneréntur; ídeo cujúsque vitæ finem incértum relíquit. Deínde apérte se Dóminum vocat, neque unquam ita clare díxerat. Hic autem vidétur mihi désides cárpere, qui non tantam ádhibent ánimæ tuéndæ curam, quantam circa pecúnias monstrant ii qui fures métuunt. Nam hi, si illos expéctent, vígilant, nihílque ex recónditis sinunt auférri: vos autem, etsi certo sciátis ventúrum illum esse, non vigilátis, inquit, nec paráti estis, ne sine præparatióne hinc discedátis. Quaprópter cum pernície dormiéntium dies ille véniet. Quemádmodum enim ille si sciret furti tempus, illud vitáret; sic et vos, si paráti essétis, effugerétis.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Deinde quia judícii mentiónem fecit, ad doctóres demum sermónem convértit, ac de supplíciis et præmiis verba facit, et cum primo bonos memorásset, in peccatóres désinit, ac, timórem incútiens, finem dicéndi facit. Beátus enim, inquit, servus ille; beátus quem invénerit sic faciéntem. Hæc autem non de pecúniis tantum dicta sunt, sed étiam de verbo et de virtúte, de donis et de dispensatióne cuíque commíssa. Hæc parábola magistrátibus quoque óptime cómpetit. Quisque enim ómnia quæ sua sunt ad commúnem utilitátem conférre debet, sive sapiéntiam hábeas, sive principátum, sive divítias, sive quidvis áliud, ne ad detriméntum conservórum, neve ad pernícíem sit tuam. Ideo ambo ab illo requírit, et prudéntiam et fidem Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Aña.
Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdccclxxvii.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS URGELLENSIS.

FESTA MAJI.

DIE XXII. MAJI.

In Festo SS. Torquati, Chtesiphontis, Secundi, Indaletii, Cœcilii, Hesychii et Euphrasii, Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter sequentia.

Oratio.

DEUS qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Chtesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cœcílium, Hesychium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : concéde propítius, ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno Lectiones ut in festo S. Torquati, H.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Cum audiéritis prælia, de Comm. plur. Mart. j. loco.

DIE XXVIII. MAJI.

In Festo S. Justi, Episc. et Confessoris.

Duplex ij. classis.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, Aña. Justus ut palma florébit : sicut cedrus quæ in Líbano est, multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet : quam beáti Justi, Confessóris tui atque Pontíficis, illustráre voluísti gloriósis méritis ac doctrínis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Comm. Conf. Pont. j. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

URGELLUM, urbs citerióris Hispániæ, in Cataláunia atque Urgelléensis olim comitátus caput, suórum Præsulum sanctimónia excélluit. Nam ut taceámus de Hermengáudo, et Odóne, quibus quasi sole et luna ornáta respléndet, plúrimis áliis sanctíssimis Antistítibus illustráta est tam ante,quam post Saracénicam vastatiónem. Prióum tamen memóriæ certæ periérunt in urbe ab Saracénis parta ruína. Nihilóminus ádeo sancti Justi Urgellénsis Epíscopi notítia longe latéque diffúsa fúerat, ut eum et magnum Epíscopum fuísse, et scriptórem ecclesiásticum, ac váriis concíliis subscripsísse, indúbiis constet monuméntis.

℟. Invéni David.

Lectio v.

VALENTIÆ, ut vidétur, in Hispánia ortus tres hábuit

ratres, qui simul cum eo, Epíscopi álias Ecclésias sanctitátis fama clari gubernárunt. Justiniánus enim Valéntiæ Epíscopus fuit, Nebrídius Egáræ, quæ nunc Tarrássa dícitur, Elpídius autem ignótæ Ecclésiæ. Justus licet post finem secúndi Toletáni concílii, una cum Nebrídio fratre, Tolétum advénerit, tamen his verbis subscrípsit : « Justus in Christi nómine Ecclésiæ Urgellitánæ Epíscopus, hanc constitutiónem consacerdótum meórum in Toletána urbe hábitam, cum post aliquántulum témporis advenissem, salva auctoritáte priscórum Cánonum, relégi, probávi et subscrípsi. » Subscrípsit étiam concílio Provinciáli Ilérdæ hábito sub Amalaríco Gothórum rege ac Justiniáno Imperatóre.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Sed quod multo celébrius Justi nomen réddidit, est ejus exposítio brevis quidem, áttamen sententiárum ditíssima, quam super Cántica scripsit, ac Sérgio Tarraconénsi Archiepíscopo, Metropolitáno suo et amicíssimo, dicávit. Sanctus Isidórus Hispalénsis in suo de viris illústribus libro hæc de sancto Justo scribit : « Justus Urgellitánæ Ecclésiæ Hispaniárum et frater prædícti Justiniáni, édidit libéllum expositiónis in Cántica Canticórum totum valde bréviter, atque apérte, per allegoríam sensum discútiens. » Scripsit étiam sermónem de sancto Vincéntio Mártyre Valentíno. Tandem zelo pro glória Dómini sui æstuans, virtútibus ac méritis plenus, obdormívit in Dómino circa annum a reparáta salúte quingentésimum quinquagésimum. Ejus sacri córporis exúviæ, calamitátibus bellórum, quibus máxime afflícta est Urgellénsis cívitas, disparuére; eárum tamen pars, saltem a sæculo décimo quarto, cólitur et sub ara máxima compósita est.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xxiv, 42-47.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxxvii. *n.*° 3.

Non dixit, néscio, sed nescítis; cum enim ipsos ad illam pene horam deduxísset et constituísset, rursus ab interrogándo ávocat, quod velit ipsos semper esse sollícitos. Proptérea dicit : Vigiláte, osténdens se hac de causa dícere noluísse. Illud autem scitóte quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis Fílius hóminis véniet, Proptérea dicit qua hora non expectátis véniet, ut sollícitos reddat et virtútis coléndæ studiósos. Illud autem sibi vult, si scirent pleríque hómines quándonam sint moritúri, diligéntiam suam circa illam horam exhibérent.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Ne ígitur de illa sola sollíciti essent, neque commúnem

illam diem, neque cujúsque horam declarávit, ut semper illam expectárent, sempérque eódem stúdio teneréntur; ídeo cujúsque vitæ finem incértum relíquit. Deínde apérte se Dóminum vocat, neque unquam ita clare díxerat. Hic autem vidétur mihi désides cárpere qui non tantam ádhibent ánimæ tuéndæ curam, quantam circa pecúnias monstrant ii qui fures métuunt. Nam hi, si illos expéctent, vígilant, nihílque ex recónditis sinunt auférri: vos autem, etsi certo sciátis ventúrum illum esse, non vigilátis, inquit, nec paráti estis, ne sine præparatióne hinc discedátis. Quaprópter cum perníciè dormiéntium dies ille véniet. Quemádmodum enim ille si sciret furti tempus, illud vitáret; sic et vos, si paráti essétis, effugerétis.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Deinde quia judícii mentiónem fecit, ad doctóres demum sermónem convértit, ac de supplíciis et præmiis verba facit, et cum primo bonos memorásset, in peccatóres désinit, ac, timórem incútiens, finem dicéndi facit. Beátus enim; inquit, servus ille; beátus quem invénerit sic faciéntem. Hæc autem non de pecúniis tantum dicta sunt, sed étiam de verbo et de virtúte, de donis et de dispensatióne cuíque commíssa. Hæc parábola magistrátibus quoque óptime cómpetit. Quisque enim ómnia quæ sua sunt ad commúnem utilitátem conférre debet, sive sapiéntiam hábeas, sive principátum, sive divítias, sive quidvis áliud, ne ad detriméntum conservórum, neve ad perníciem sit tuam. Ideo ámbo ab illo requírit, et prudéntiam et fidem. Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Aña.

Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum.

DIE VII. JULII.

In Festo S. Odonis, Episc. Conf., ac Civitatis Urgell. Patroni.

Duplex j. classis cum Oct.

Ad Vesperas, Añæ de Laudibus. Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis de j. Vesperis Apost.

Capitulum. *Eccli. c.* XLIV.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

Nobili natus génere, Odo, puram
Optimis mentem ímbuis institútis;
Unde mox inter júvenes decóra
Luce refúlges.

Córpore excéllens animóque forti
Cíngulum sumis gladiúmque miles:
Sors movet rerum, movet et paréntis
Justa volúntas.

Hóstium pugnans teris omne robur,
Páuperes Christi Prócerum rapínis
Eximis, lætus Dómino renásci
Jura favénte.

Pace jam parta, mónitus supérne
Abjícis ferrum grave, clericáli

Et recenséri plácidæ cohórti
Corde peróptas.
Præsulem Clerus populúsque clamant
Voce concórdi, licet et relúctes:
Annuas tandem decet, atque sumas
Infulæ honórem.
Grátias Summo méritas Párenti
Réddite imménsas, Genitóque grates;
Flámini Sancto pópuli Pyrénes
Réddite grates. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Aña.

Ad Sancti Patris nostri Odónis Sepúlchrum cæci vident, muti loquúntur; sol rútilat, ejúsque ope, unda mitéscit.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in cœlésti regno sanctum Odónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, glória et honóre coronásti: concéde propítius, ut ejus précibus et méritis ita in hoc mundo vivámus, ut ad indeficiéntis vitæ præmia perveníre mereámur. Per Dóminum.

Ad Matutinum omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Hymnus. Nóbili... ut in j. Vesperis.

In j. Nocturno Lectiones, Laudémus... de Communi ij. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Odo, beatíssimus Ecclésiæ Urgellénsis Epíscopus, ex nobilíssimo Barcinonénsium, Aquitániæ, et Urgélli Cómitum génere, patrem hábuit Artállum, Pallariénsem Cómitem, et Lúciam matrem claríssimam fœminam. Adhuc adolescéntulus, cum jam felícis ingénii spécimen dedísset, a paréntibus tráditus est magístris doctrína et eruditióne claris, a quibus lítteras et sciéntias edóctus tantum in eis profécit, ut quid póstmodum futúrus esset re ipsa demonstráret. Ejus tamen proféctus multo fuére uberióres in Sanctórum sciéntia, ad quam toto cordis sui rapiebátur afféctu. Ex qua tanta in eum manávit innocéntia vitæ, modéstia vultus, morum candor, ac tanta virtútum cópia, ut eminéret inter coætáneos omnes velut inter ignes luna minóres. Cum vero, ad juveníle perveníssset ætátem, talem ánimi magnitúdinem ac viríle robur osténdit, ut a paréntibus militári sit accínctus ense, quem ille certo respuísset, nisi obediéntia, ac potíssimum Religiónis zelus eum compulíssent, ad nequítiam Prócerum Comitátus Patris sui compescéndam, qui non Ecclésias tantum vexáre conabántur, et ecclesiásticas possessiónes dirípere; sed étiam páuperes Christi fœda incursióne mísere conflictábant.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Quod ut perfécit, justitiæque vindex éxtitit acérrimus, béllica institúta clericáli cum milítia, ceu semper optáverat, sine mora commutávit. In qua, et Archidiáconi munus Urgellénsis Ecclésiæ ad exémplum exércuit, et réliquo Clero, totíque fidéli pópulo virtútum

ómnium splendóre præfúlsit. Quo factum est, ut, extíncto schísmate, quod Urgellitánam Ecclésiam afflíxerat, ac vacánte póstmodum ejúsdem throno, in eum tum Cleri, tum Prócerum, totiúsque pópuli suffrágiis, invítus licet et relúctans, evéctus sit. Claromóntem proféctus, ubi tunc Urbánus Secúndus, Póntifex Máximus, Concílium generále habébat, ab eo et electiónis confirmatiónem, et episcopálem consecratiónem accépit, ac étiam magníficum Diplóma, quo Urgellénsis Ecclésiæ possessiónes confirmabántur. Urgéllum revérsus, contínuo ecclesiástica jura secúndum sacrórum Cánonum sanctiónes, episcopáli sollicitúdine restítuit; sceleratórum hóminum insoléntiam, qui possessiónes Ecclesiárum vi captas detinébant, cohíbuit, et ad restitutiónem cómpulit excommunicatiónis gládio; páuperum injúrias a poténtibus irrogátas, patérna caritáte redémit; pópuli mores, schísmate, bellorúmque licéntia depravátos omni solértia emendávit; prístinum disciplínæ nitórem redúxit, et cuncta ita perfécit, ut eo vivénte tota Diœcésis vera Christi sóboles haberétur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Quæ ut facílius obtinéret nil intentátum relíquit, quo sánctior ipse in dies fíeret. Oratióni contínuus erat, et ministério verbi. Mortificatiónis ope, ita sui ánimi corporísque motus ad Christi Dómini exémplar compósuit, ut irreprehensíbilis invenirétur, ac forma gregis factus ex ánimo ómnibus documénto esset. Fuit vir prudens et simplex, affábilis adlóquio, amábilis adspéctu, temperántia clarus, castitátis amátor, et vindex. In eo præcípue elúxit liberalitátis virtus, qua, dum egénis large aliménta præbébat, eos ínterim divínis mónitis ac vultus hilaritáte recreábat. Quam caritátem ut in álios deriváret, tam in episcopáli civitáte, quam in valle Liliténsi confraternitátes instítuit, quibus primórum christianórum cœtus et ágapes revixísse videbántur. Tandem vir Dei multis defúnctus labóribus, ad Dómini sui ampléxum evolávit anno reparátæ salútis millésimo centésimo vigésimo secúndo, Nonis Július, postquam Urgélli Sedem vigínti et octo annos rexísset. Eo vita functo, tot ac tanta ad ipsíus túmulum contigére mirácula, ut undécimo post mortem anno solémni ritu coli cœperit. Ejus singuláre præsídium Urgellitána Cívitas, quæ eum venerátur Patrónum, omni in calamitáte, potíssimum cum effúsis ímbribus aut vitiántur ségetes, aut Sícoris nimis intuméscit, ádeo præsens expérta est, ut secúra ipsíus opem implóret, sacrum ejus sepúlchrum discooperiéndo.

℟. Iste est qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xi, 33-36.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra

candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Lucæ Evangelium Expositio. Lib. IV.

De seípso Dóminus hæc lóquitur, osténdens etsi supra díxerit nullum generatióni nequam nisi signum Jonæ dandum, nequáquam tamen lucis suæ claritátem fidélibus occultándam. Ipse quippe lucérnam accéndit, qui testam humánæ natúræ flamma suæ divinitátis implévit. Quam proféćto lucérnam nec credéntibus abscóndere, nec módio suppónere, hoc est, sub mensúra legis inclúdere, vel intra unius Judææ gentis términos vóluit cohibére: sed supra candelábrum, inquit, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Candelábrum Ecclésiam dicit, cui lucérnam superpósuit, quia nostris in fróntibus fidem suæ Incarnatiónis affíxit, ut qui Ecclésiam fidéliter íngredi volúerint, lumen veritátis palam queant intuéri.

℟. Amávit eum.

Lećtio viij.

Lucerna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit. Si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Si, inquit, pura rećtáque intentióne, quæ potes ágere bona studúeris, lucis proféćto sunt ópera quæ facis, etiámsi coram homínibus imperfećtiónis áliquid habére videántur. Quóniam diligéntibus Deum, ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sanćti. Si autem pervérsa est inténtio, quæ præcédit, pravum est omne opus quod séquitur, quamvis rećtum esse videátur. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Hoc est ne ipsa cordis inténtio, quæ lumen est ánimæ, vitiórum calígine fuscétur, sédula discretióne perpéndе. Juxta quod álibi præcípitur: omni custódia serva tuum cor, quóniam ex ipso vita procédit.

℟. Sint lumbi.

Lećtio ix.

Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te. Totum corpus nostrum ómnia nostra ópera dicit, quia et Apóstolus membra nostra núncupat quædam ópera, quæ ímprobat, et mortificánda præcipit, dicens: Mortificáte ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicatiónem, immundítiam, libídinem et cætera tália. Si ígitur ipse bonum bona intentióne patráveris, non habens in tua consciéntia áliquam partem tenebrósæ cogitatiónis, etiámsi contígerit áliquem proximórum tua bona aćtióne nocéri, verbi grátia, aut de pecúnia, quam a te índigens et petens accéperat, fácere vel pati áliquid mali, aut de verbo exhortatiónis coerrántem corrígere volébas, forte perniciósius erráre; tu tamen pro tuo símplici et lúcido corde et hic et in futúro, lucis grátia donáberis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Vade in hac fortitúdine tua, *

et liberábis Israel de manu Mádian; scito quod míserim te. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica.

2 Scio, Deus meus,* quod probes corda, et simplicitátem díligas; et pópulum tuum, qui hic repértus est, vidi cum ingénti gáudio tibi offérre donária.

3. Dedit illi Dóminus * in præcéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israel.

4. Bona est eleemósyna* magis quam thesáuros auri recóndere: et ipsa est, quæ facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam. Allelúia.

5. Ipsum elégit Dóminus, * offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem in memóriam placáre pro pópulo suo.

Capitulum et Hymnus de Communi.

Ad Benedictus, Aña.

Tu virtútum ópifex, tu Pátriæ decus, tu regiónis occíduæ ornaméntum, beatíssime Odo, ora pro nobis Dóminum, allelúia.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in cœlésti regno sanctum Odónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, glória et honóre coronásti: concéde propítius; ut ejus précibus et méritis ita in hoc mundo vivámus, ut ad indeficiéntis vitæ præmia perveníre mereámur. Per Dóminum.

In ij. Vesperis omnia ut in primis, præter quintum Psalm., qui erit: Meménto, Dómine David, ut in Vesperis Feriæ v. et ℣. Justum, etc.

DIE XIV. JULII.

Octava S. Odonis, Episc. et Conf. Duplex.

Omnia ut in die, præter sequentia.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

In Natali S. Cypriani Martyris.

Sanctissimus et solemníssimus dies, atque huic Ecclésiæ ornaménto familiárior et præclárior, lætificándis nobis hodiérnus illúxit, quem sua nobis glória Odo beatíssimus illustrávit. Cujus reveréndi Epíscopi láudibus nulla lingua sufficeret; nec si se ipse laudáret. In hoc ítaque sermóne nostro, quem de illo débitum vestris áuribus réddimus, magis approbáte voluntátis afféctum, quam exígite facultátis efféctum.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Sic enim et láudibus Dei, quibus non solum orátio, sed ne cogitátio quidem ulla satis est. Cum se sanctus laudátor minus idóneum cérneret, ait: Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine. Hoc et ego díxerim: sit étiam ista mea devótio, ut si par non sum ad explicándum quod volo, accépto ferátur, quia volo. Quid enim nisi Dei sunt laudes sancti Pontíficis laudes? Aut cujus honor est Odo ad Deum toto corde convérsus, nisi ejus, cui dictum est: Deus virtútum, convérte nos?

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Cujus opus est Odo hujus plebis doctor, nisi ejus, cui dictum est: Doce me justificatiónes tuas? Cujus opus est Odo pastor, nisi ejus qui dixit: Dabo vobis pastóres secúndum cor meum, et pascent vos cum disciplína? Postrémo cujus opus est Odo in ómnibus victor, nisi ejus de quo dictum est: In ómnibus supervíncimus per eum qui diléxit nos? Non ergo recédimus a láudibus Dei, quando laudámus ópera Dei in Antístite Dei.

℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* xi, 33-36.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. xx, *in Matth.*, *n.* 3.

Non dicit tantum, si eleemósynam erogáveris, ea servátur, sed contrárium comminátur: Si non déderis, perit tibi. Quod autem dicit, hujúsmodi est: Ne defódias aurum in terra, nec quídpiam símile: nam tíneæ, ærúgini et fúribus hæc cóngregas. Etiámsi vero hæc damna effúgeris, id tamen non effúgies, quod cor tuum in servitútem redigátur, et terrénis infigátur. Ubi enim fúerit thesáurus tuus, ibi erit et cor tuum. Si porro in cœlo depónas, non hunc modo fructum pércipis, quod præmia pro his paráta consequáris; verum hic jam mercédem áccipis, quod illo translátus sis, quod cœléstia sápias et de illis sollícitus sis: palam enim est te illo ánimum transtulísse, ubi thesáurum deposuísti.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Cæterum, si in terra deposúeris, contrária experiéris. Quod, si tibi jam dicta obscúra sint, audi sequéntia. Lucérna córporis tui est óculus. Si ígitur óculus tuus simplex fúerit, totum corpus tuum lúcidum erit; si vero óculus tuus fúerit nequam, totum corpus tuum tenebrósum erit. Si ergo lumen, quod in te est, ténebræ sint, ipsæ ténebræ quantæ erunt? Ad magis sensibília sermónem dedúcit. Quia enim de mente jam loquútus erat, ut in servitútem redácta, et captíva, id quod a multis non fácile póterat intélligi, ad extérna et óculis subjécta sermónem transfert, ut ab his illa intellígere possent. Nam si non nosti, inquit, quid sit mentis damnum, a corpóreis hoc edísce: quod enim óculus est córpori, hoc mens est ánimæ.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Quemadmodum enim numquam optes auro ornári, et séricis índui véstibus, simúlque excæcári óculis, sed horum incolumitátem toti hujúsmodi apparátui anteponéndam exístimes: nam si visum perdas, nihil tibi réliqua vita prodest. Sicut enim excæcátis óculis, reliquórum fere mem-

brórum operátio abscédit, extíncta luce: sic corrúpta semel mente innúmeris vita malis replébitur. Quemádmodum ergo in córpore hoc curámus, ut óculus sit sanus, sic de mentis sanitáte curándum. Si hanc excæcémus, quæ áliis lucem ministráre debet, unde jam aspícere potérimus? Sicut enim qui fontem aufert, flúvium exsíccat: sic qui mentem óbruit, omnes ejus in hac vita operatiónes obscurávit. Ideo ait: Si lumen, quod in te est, ténebræ sint, ipsæ ténebræ quantæ? Nam cum gubernátor submérgitur, et lucérna extínguitur, et dux cápitur, quæ spes póstea súbditis?

Te Deum laudámus.

DIE XIX. AUGUSTI.

In Festo S. Magini Martyris Tarraconensis.

Duplex.

Ex Decr. S. R. C. 28 *Sept.* 1876 *et* 1 *Martii* 1877 *in Tarraconen. et Urgellen.*

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis, Aña. Magíne Martyr Christi gloriόse, qui siti æstuántibus pérfidis tortóribus, ex árida terra elícito fonte, póculum præbuísti, tua, quæsumus, orátio comméndet nos indesinénter Deo, ut suæ grátiæ rore corda nostra perfúndat.

Oratio.

Deus qui hunc diem beáti Magíni Mártyris tui triúmpho consecrásti; exáudi preces pópuli tui, et præsta: ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Maginus, seu Máximus, de cujus præcláris gestis antíqua et constans viget populórum tradítio, Tarraconénsis civis et Martyr fuit. Hic mundanárum rerum pertæsus, ac solitúdinis amóre illéctus, ut libérius Deo servíret, ad Brufagános montes perréxit, ibíque non longe a Tarracóne, repérto specu, eremíticæ vitæ genus iníre cœpit. Cum autem illórum móntium íncolas ádmodum rudes, atque éthnicæ superstitióni addíctos invenísset, eísdem Christum humáni géneris redemptórem annuntiáre, eorúmque mores excólere aggréssus est eo succéssu, ut, accedénte cœléstium signórum virtúte, ipsórum plúrimos ad veræ fídei lucem, et ad evangélicæ legis observántiam addúxerit. Hisce compértis, is qui a Maximíno Imperatóre præféctus erat Tarraconénsi provínciæ, eum coram se accítum gráviter increpávit quod contra imperatória edícta deos contémnere, suísque præstígiis pópulos decípere audéret. Cui Magínus invícto ánimo oppónit se præstigiatórem non esse, sed unum Deum, ejúsque ætérnum Verbum Deum et Dóminum Jesum Christum, pópulis prædicáre, cui única divínus honor debétur. Quámobrem irátus Præses illum in tetrum cárcerem detrúdit, extréma supplícia eídem mínitans, nisi a propósito resíliat.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio v.

Tanta erat viri sánctitas, ut nonnísi illíus império se exitúrum dæmónium clamásse ferant, quo fília Præfécti vexabátur. Addúcto autem Magíno, ejúsque précibus ejécto malígno spíritu, de christiána religióne constánter disseréntem ingrátus pater arctióri custódia ipsum inclúdi, gravióribus constríngi caténis, fame, siti cruciári jubet. At Deus, qui mirábilis est in Sanctis suis, miro splendóre cárcerem illústrat, confractísque vínculis ac jánuis reserátis, per civitátis portam, quæ olim a Curru, hódie a Sancto Magíno vocátur, ad móntium Brufaganórum diléctam solitúdinem líberum atque incólumem eum redíre sinit. Quæ res statim ac Præsidi innótuit, eo mílites immísit ut illíus caput íllico abscínderent. Hi vero Præside ipso efferatióres, cum ad specum perveníssent, mitíssimum Christi Fámulum, cólaphis plagísque crudéliter mulctátum, per loca áspera ac vépribus cónsita traxérunt; fácile ab eo intérea impetrántes, ut ad eórum extinguéndam sitim, fontem e terra elíceret, qui ad nostra usque témpora persevérat. Tandem strénuus fídei conféssor ab iísdem, quibus benefécerat, gládio percússus, ad ætérnam martyrii corónam advolávit.

℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

Sacrum ejus corpus christiáni religióse sepúlchro condidérunt: ibíque deínde sacéllum in ejus honórem eréctum fuit, cui póstea monastérium sodálium Ordinis Sancti Domínici accéssit. Porro usque ab immemorábili témpore locus ille incláruit tum peregrinórum ex toto Cataláuniæ principátu, et Valentíno regno affluéntia, tum fama miraculórum, præsértim a quovis morbórum génere sanatiónum, quæ, invocáto Magíni nómine, aut usu prodigiósæ aquæ ab eo olim elícitæ contigísse narrántur. At vero Tarraconénses, qui ínclytum Mártyrem concívem suum habuísse gloriántur, nulli populórum umquam secúndi fuére in veneratióne eídem exhibénda, fiduciáque sua in válido ejus patrocínio collocánda. Ad prædíctam autem a Curru portam véluti perénne monuméntum extat sacéllum illíus memóriæ ab avórum pietáte eréctum, ubi perantíquo cultu célebris asservátur Sancti Magíni imágo super línteo depícta ac muro affíxa; loci tamen humiditáte numquam vel mínimum læsa, licet férrea crates ad ejus tutélam aliquándo appósita, et adhuc manens in porténti signum, ferme jam sit rubígine consúmpta.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* xvi, 24-27.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Basilii Epíscopi.

(*In mart. mametem.*)

Quoniam in máxima celebritáte hódie reférimus mártyrum memóriam, mens omnis

erécta est, et auris paráta expéctans, ut dignum áliquid tanto mártyre dicátur. Ita namque comparáti sunt sincéri et cándidi fílii, ut magnífica de paréntibus suis éxigant encómia, nec fácile ferant amplitúdinem eórum quæ deprædicánda sunt perdicéntes periclitári humilitátem. Quid ígitur sumus factúri? Quómodo et desidériis vestris satisfaciémus? Mémores estóte Mártyris, quotquot adjutórem ipsum ad precándum habuére, quibuscúmque ex nómine advocátus in opéribus præsto fuit, quoscúmque sanitáti restítuit, quotquot vitæ términos prorogávit. Collectis in unum his ómnibus, ex commúni symbolo Mártyri encómium constrúite.

℟. Coróna áurea.

Lectio viij.

Ista sunt Mártyris encómia spirituálium charísmatum divítiæ. Non est enim quod illum more sæculárium et externórum encomiórum cohonestémus. Non est cur patres et progenitóres illústres proferámus; nam turpe est aliúnde ornáre eum, qui própria ipse virtúte illústris est. Hic Martyr non accépit aliúnde quem habet splendórem, sed ipse per vitæ conversatiónem glóriæ fáculam accéndit. A Magíno réliqui, non ab áliis Magínus glóriam habet. Fílii qui ab eo pietátem edócti sunt, in ipso gloriéntur. Ipse enim ex se ipso virtútem ubértim profúndit. Non quasi torrens áliquis confluénte aliéno gloriátur, sed fons est, qui ex suis ipsíus fínibus decórem effúndit. Celebrémus virum non aliéno sed próprio ornaménto decorátum. ℟. Hic est vere.

Lectio ix.

Ad Mártyris memóriam et tota régio mota est, et ad illíus festum diem urbs univérsa immutáta gestit. Ne divítium quidem cognáti excúrrunt ad majórum suórum sepúlchra, sed omnes ad pietátis locum accédunt. Vides quemádmodum virtus honorétur, non divítiæ? Ita Ecclésia cum eos qui præcessére honórat, eos qui præséntes sunt cohortátur. Ne, inquit, stúdeas divítiis, ne sapiéntiæ mundi exolescénti, ne glóriæ marcescénti. Evanéscunt hæc una cum vita, sed cultor sis pietátis. Hæc enim et ad cœlum te évehet, hæc et immortálem memóriam ac perénnem apud hómines claritátem tibi comparábit. Si quisquam ígitur Magíni memor est, ne admirétur divítias. Convénimus enim non ut dívitem laudémus, sed ut paupertátem cum pietáte conjúnctam extollámus.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Aña. Magíne beatíssime, cívium Tarraconénsium glória, qui plúribus tolerátis pro Christo cruciátibus gaudénti ánimo ad gloriósam martyrii palmam evolásti, ora pro nobis Dóminum. Allelúia.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Festo S. Josephi Calasanctii a matre Dei, Confess. quondam diœc. Urgellensis Parochi.

Duplex ij. classis in Diœcesi Urgellensi.

Omnia ut in Breviario Romano præter sequentia.

Ad Vesperas.

Capitulum. *Eccli.* 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic ,et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

Sacram veníte súpplices
Joséphi ad aram, párvuli,
Quos ille primos ádvocat,
Primóque amóre díligit.
Veníte, sanctæ vírgines,
Quarum perícula dépulit,
Omnísque turba páuperum
Verbo reféćta et pábulo.
Veníte quotquot fáucibus
Mortis benígnus ábstulit,
Unáque Joseph débitum
Hymni tribútum sólvite.
Laudáte robur péctoris,
Quo mille firmus pértulit,
Sacri furóris víctima,
Hostílis arcus spícula.
Quod caritátis ígnibus
Medúlla cordis árserit,
Quod castitátis lílium
Non fœda sordes læserit.
Fecúnda linguæ múnera,
Corpus flagéllis sáucium,
Fractum fame et labóribus,
Cantáte laudis cántico.
Deo Patri cum Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit sit júgiter,
Sæclum per omne glória. Amen.

Ad Magnificat, Aña.

Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos; tálium est enim regnum Dei.

Ad Matutinum,

Hymnus.

More lux festo celebránda fulget;
Templa Josépho rénovent honóres;
Cóncinat laudes chorus omnis; auras
Thura vapórent.

Diva crescéntem téneris ab annis
Cáritas fovit, superóque pectus
Igne collústrans, dócilem per alta
Duxit alúmnum.

Sensa montánæ truculénta plebis
Voce mulcéntem stúpuit Pyréne :
Dira Josépho pósuit tonánte
Bárcinon arma.

Ira nec Tibris, neque pestis atra
Pródigum vitæ fácies retárdat :
Pérvolat passim, miserísque dextram
Tendit amícam.

Quin et inférni rábiem tyránni
Sprevit invíctus patiénter heros,
Et sibi clarum péperit secúndi
Nomen Jobi.

Donec ætérnum recolátur ævum
Sint tibi plausus, tibi sint honóres,
Cuncta qui nutu moderáris æquo,
Trinus et unus. Amen.

Ad Laudes, Hymnus.

Plebi ignáræ procul ite quæstus,
Ecce doctrínæ jubar appropínquat,
Ecce Joséphum píetas Ibéris
Evocat oris.

Ille desértum míserans popéllum,
Párvulis aptam réserat paléstram,
Formet ut mentes, iter ac beátas
Sternat ad arces.

Rite sub tanto fáciem Magístro
Vulgus immútat : novus ordo pagos
Expolit cunctos : plácidis renídent
Móribus urbes.

Orbis exúltat, meritóque plaudit
Gratus auctóri ; probat ipsa Virgo
Lapsa de cœlo, beat ac benígno
Lúmine pubem.

Donec ætérnum recolátur ævum
Sint tibi plausus, tibi sint honóres,
Cuncta qui nutu moderáris æquo,
Trinus et unus. Amen.

Ad Benedictus, Aña.

Tamquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis.

Ad ij. Vesperas, Hymnus ut in j.

Ad Magnificat, Aña.

Spíritus Dómini super me : evangelizáre paupéribus misit me.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXVI.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS URGELLENSIS.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III NOVEMBRIS.

In Festo S. Hermengaudi, Episc. et Conf. Diœcesis Patroni.

Duplex j. cl. cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Hermengáudum Confessórem tuum atque Pontíficem, próximi caritáte flagrántem, ad præmia ætérna evocáre dignátus es: da, quæsumus, ita nos ejus exémplo profícere, ut consórtio quoque pérfrui mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones, L**audémus viros gloriósos,** de ij. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hermengaudus Urgellénsis Ecclésiæ Præsul claríssimus, ad finem vergénte sæculo décimo ex Bernárdo et Quisla vice-comítibus de Confluénte, in antíquis Cataláuniæ fínibus natus est. Clericáli milítiæ, post exáctam in litterárum stúdiis pueritiam, adscríptus, atque Archidiaconátus dignitáte in prælaudáta Urgellénsi Ecclésia donátus, brevi se et doctrínæ præstántia, et vitæ sanctimónia, ádeo conspícuum réddidit, ut mórtuo Salla Civitátis Antístite, prótinus unánimi ómnium acclamatióne in ejus locum fúerit suffféctus. Hinc óptimus Pastor concréditum sibi pópulum exémplo et mónitis pascens, ac divínum cultum augére peróptans, novam Cathedrálem in honórem Deíparæ Vírginis extrúxit, quam deínde plúribus quoque latifúndiis donávit.

℟. **Invéni David.**

Lectio v.

Ecclesiasticæ disciplínæ factus instaurátor, suos Canónicos ad vitæ communiónem capesséndam, præscrípta eis régula per Summum Pontíficem approbáta, amplissimísque ex próprio património attribútis reddítibus, indúxit, quam vivéndi ratiónem in Coepiscopórum Synodo, cui ipse intérfuit, Gerundénses étiam Canónici ampléxi sunt. Saracénis nonnúlla adhuc ea ætáte diœcésis óppida occupántibus, bellum indíxit, atque inter cétera Gesónam seu Guissónam ab eorúmdem erípuit potestáte. Sanctórum relíquias singulári veneratióne prosequebátur, unde peregrinatiónem ad Divi Jacóbi Apóstoli sacras exúvias Compostéllæ asservátas, devóte óbiit. Corpus suum maceráre assuétus, rationábile obséquium Dómino offerébat, quo majóri humilitáte et puritáte altáris ministério fungerétur.

℟. **Pósui adjutórium.**

Lectio vj.

Eximia caritáte, qua erga gregem suum ferebátur, veheménter exæstuans, laboriósum opus aggréssus est. Cum namque ob Síçoris flumen, et propter magnas rupes árduus et perículis plenus Urgéllam foret accéssus, omnem óperam cóntulit sanctus Præsul ut, dirúptis et æquátis rúpibus, extructísque super Sícorim quátuor póntibus, fíerent áspera in vias planas, et ómnibus adveniéntibus tutum iter undequáque patéret. Dum vero, ejúsdem caritátis fervóre ductus, in ædificatióne pontis loci de Bar operárium ágeret, fortúito in cautes décidens, spíritum Creatóri suo réddidit, tértio Nonas Novémbris, reparátæ salútis undécimo sæculo decurrénte. Corpus ad Ecclésiam Cathedrálem solémni pompa tunc delátum, ibíque recónditum summo honóre cólitur. Plura inter prodígia, quibus Hermengáudi nomen celebrátur, insígne illud incolárum perénni traditióne habétur, quod, beáti Antístitis ope imploráta, plúviam salutárem, benígnam áeris tempériem, exundántis quandóque Sícoris repressiónem, cœléste demum auxílium in públicis quibuscúmque calamitátibus obtinére ipsi semper consuéverint.

℟. Iste est, qui.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profícíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

De Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia 9. in Evangelia.

Servus qui gemináta talénta rétulit, a Dómino laudátur, atque ad ætérnam remuneratiónem perdúcitur, cum ei voce Domínica dícitur: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. Pauca quippe bona sunt ómnia præséntis vitæ, quámlibet multa esse videántur, comparatióne retributiónis ætérnæ. Sed tunc fidélis servus super multa constitúitur quando, devícta omni corruptiónis moléstia, de ætérnis gáudiis in illa cœlésti sede gloriátur; tunc ad Dómini sui gáudium perfécte intromíttitur, quando in ætérna illa pátria assúmptus atque angelórum cœtibus admíxtus, sic intérius gaudet de múnere, ut non sit jam quod extérius dóleat de corruptióne.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Opportunum valde videbátur ut cum malo servo unum taléntum tóllitur, ei pótius qui duo, quam qui quinque talénta accéperat, darétur. Illi enim dari débuit, qui minus, quam qui plus hábuit. Sed, sicut supérius díximus, per quinque talénta, quinque vidélicet sensus, id est exteriórum sciéntia designátur: per duo autem, intelléctus et operátio exprímitur. Plus ergo hábuit qui duo, quam qui quinque talénta percéperat: quia qui per quinque talénta, exteriórum administratiónem méruit, ab intelléctu

interiórum adhuc vácuus fuit. Unum ergo taléntum, quod intelléctum significáre díximus, illi dari débuit qui bene exterióra quæ accéperat, ministrávit. Quod quotídie in sancta Ecclésia cérnimus : quia plerí-que dum bene minístrant exterióra quæ accípiunt, per adjúnctam grátiam ad intelléctum quoque mysticum perducúntur, ut étiam de intérna intelligéntia pólleant, qui exterióra fidéliter adminístrant.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Generalis étiam mox senténtia súbditur, qua dícitur : Omni enim habénti dábitur, et abundábit : ei autem, qui non habet, et quod vidétur habére auferétur ab eo. Habénti namque dábitur et abundábit : quia quisquis caritátem habet, étiam dona ália pércipit. Quisquis caritátem non habet, étiam dona quæ percepísse videbátur, amíttit. Unde necésse est, fratres mei, ut per omne quod ágitis, erga caritátis custódiam vigilétis. Cáritas autem vera est, amícum dilígere in Deo, et inimícum dilígere propter Deum. Quam quisquis non habet, omne bonum amíttit quod habet, talénto quod accéperat privátur, et, juxta Domínicam senténtiam in exterióres ténebras míttitur. Per pœnam quippe in exterióres ténebras cadit, qui per culpam suam sponte in interióres ténebras cécidit, et illic coáctus pátitur ténebras ultiónis, qui hic libénter sustínuit ténebras voluptátis.

Te Deum laudámus.

DIE X. NOVEMBRIS.

Octava S. Hermengaudi, Episc. et Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter ea quæ sequuntur.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno Lectiones, Sermo S. Máximi Epíscopi. Ad Sancti ac beatíssimi... ut in Comm. unius Conf. Pont.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profícíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Regulæ pastoralis part. 2. *cap.* 1. *et* 3.

Tantum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque ut metíri sollícite stúdeat quanta tenéndæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necésse est cogitatióne mundus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum sollicitúdine non relínquens.

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

Sit operatióne præcípuus, ut vitæ viam súbditis vivéndo denúntiet, et grex qui Pastóris vocem morésque séquitur, per exémpla mélius quam per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hac eádem necessitáte compéllitur summa monstráre. Illa namque vox libéntius auditórum cor pénetrat, quam dicéntis vita comméndat: quia quod loquéndo ímperat osten-déndo ádjuvat ut fiat. Hinc enim per Prophétam dícitur: Super montem excélsum ascénde tu qui evangelízas Sion. Ut vidélicet, qui cœlésti prædicatióne útitur, ima jam terrenórum óperum déserens, in rerum cúlmine stare videátur: tantóque facílius súbditos ad melióra pértrahat, quanto per vitæ méritum de supérnis clamat.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. et com. SS. Triphonis, etc. Mart. ut in Breviario.

Te Deum laudámus.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXVII.